

1
7
221







CVRSVS PHILOSOPHICVS,

SIVE

PHILOSOPHIA SCHOLASTICA, AD MENTEM SCOTI,

Noua & Congruentiori addiscentibus Methodo disposita.

AVTORE

R. P. F. THOMA LLAMAZARES,
Hispano Vallisoletano, ordinis Minorum è Prouincia Conceptionis in Hispania, Sacræ Theologiæ Lectore.

AD FLORENTISSIMAM ET CELEBERRIMAM Academiam Complutensem.



LVGDVNI,
Sumptibus IOAN. ANTON. HVGVETAN, & GVILLIELMI BARBIER.

Cum Approbationibus & Permissu.

M. DC. LXX.

OBSERVANTIÆ ET GRATITVDINIS MINERVAL.

FLORENTISSIMÆ ac toto orbe celeberrimæ Complutensi vniuersitati quam vt Athenas illas veteres Græciæ lumen, vel cum Nazianzeno Gregorio sedem & domicilium litterarum, vel cum Augustino liberalium Doctrinarum matrem ac nutricem, inferioribus quamuis inter maximam scholam elogiis iure appellabimus:

Cuius origo non ex doctarum fabularum adulationibus ad inanes deos conditores, déque eâ extruendæ, & nominanda decertantes refertur, sed ad virum secundum veri Dei cor, in quo ornando secum ipsa videtur diuinitas contendisse,

Eminentißimum Ecclesiæ Principem, Cardinalitiæ purpuræ decus, Franciscanæ familiæ iubar, F. Franciscum Ximenium Cisnerium,

Publico Hispaniæ & orbis bono natum, sanctitate, eruditione, prudentia, ciuili & militari vsque adeò in-

ſtructum vt nulli muneri impar quodlibet tanquam vnicum adminiſtrauerit ; immortalium autem operum quæ plurima perfecit, maius & glorioſius ducere cura & affectu teſtatus eſt ſuam ſcholam Complutenſem ; in cuius gremio,

Præuidebat diſciplinas omnes , ſed Theologiam præ reliquis à crepundiis ad virile robur immenſis operis & operarum præmiis educandam Doctoris ſubtilis Scoti, cuius doctrinæ primum locum dedit ; & aliorum gymnaſiarcharum placita eximiam illuſtrationem acceptura : è cuius lyceis,

Quaſi ex equo Troiano Heroibus fœcundo, Pontifices, Iudices, Magiſtratus, Conſiliarij, gubernatores, eccleſiarum magiſtri, vrbium , & regnorum præfecti miraculi ad inſtar fœliciſsimo prouentu effunduntur.

F. Thomas Llamazares, Ordinis Minorum regularis Obſeruantiæ , Sacræ Theologiæ Profeſſor , Collegij ſanctorum Petri & Pauli quondam alumnus , parenti optimæ ſtudiorum primitias , eiuſque magiſterio hauſtam & elaboratam Philoſophiam filij & diſcipuli obſequentiſsimi & addictiſsimi affectu D.

AD

AD OMNES
PHILOSOPHIÆ
ET VERITATIS STVDIOSOS,
AVCTORIS PRÆFATIO.

CVM multa & præclara ſapientiæ comparandæ ſubſidia, hoc noſtro litteris excultiſſimo ſæculo aut inueta ſint aut valde aucta, illud inter præcipua numerandum eſt, quod Doctoris noſtri Subtilis Scoti publico ſcholarum bono familiarior in dies effecta doctrina, & ſectatores ſuos confirmare & quoſlibet eam cognoſcere cupientes allicere poteſt. Principes enim ſcriptores & gymnaſiarchas omnes venerantur, plurimi in multis opinionibus ſequuntur, ſed pauciſſimis aut vacat aut libet eorum libros accurate perlegere, & prætermiſſis riuulis, ipſos, quod magni laboris eſt, adire fontes. Quare non ſolum gratis animis excipere, verum etiam inſtanter flagitare poſſent ſtudioſi quidquid ad Doctores Claſſicos illuſtrandos in lucem emittitur: quo in genere ſtrenuè hac noſtra ætate à Scoti ſectatoribus laboratum eſt, eruditiſſimis Commentariis & diſputationibus eò peruentum eſt, vt Magiſtri placita non minus perſpicua quàm ſubtilia, nec magis admiratione digna quàm vſu & appareant & iudicari debeant.

Scotus hoc ſæculo illuſtratus.

Tantus autem Scoticæ Scholæ profeſſorum conatus & tam fœlix ſucceſſus, qui primo aſpectu omnes, præter præſtantiſſimos à ſcribendo deterrere poterat, penitius animo infixus mediocres quoque & infimos, qualem me ingenue & abſque fuco agnoſco & profiteor, ardenter ad imitandum excitat: vt enim ſapienter ait Seneca epiſtola 80. *Qui præceſſerant, non præripuiſſe mihi videntur quæ dici poterant ſed aperuiſſe. Sed multum intereſt, vtrum ad conſumptam materiam, an ad ſubactam accedas. Creſcit in dies & inuenturis inuenta non obſtant.*

Studium Scoticæ doctrinæ.

Præterea conditio optima est vltimi. Parata verba inuenit, quæ aliter instructa nouam faciem habent, nec illis manus iniicit tanquam alienis. Sunt enim publica. Iurisconsulti negant quidquam publicum vsu capi. Iuxta quòd solidum & verum iudicium modestiæ adscribi debet optime tractatis denuo incumbere: Id enim qui agit, inferior videri non formidat: cum præsertim non contentionis aut gloriæ, sed honestissimi officij sit Patriorum dogmatum defensionem pro virili suscipere, & industria non deesse operi, in quo non desit, quod adjicias, verendum non est. Quis enim nescit selectiorum doctrinarum egregiam & propriam laudem esse nunquam exhauriri, & velut iuges puteos ab illis plus, qui frequentius extrahunt, augeri? Quapropter nostrorum auctorum lectio vehemens mihi desiderium iniecit, vetera studia, nouâ ab eis acceptâ luce, nouâ curâ instaurandi opinionum, quas aut didiceram aut docueram, præiudicio sepofito, veritatem vndecumque se ostenderet, investigandi. Et si quid operi confecissem, quod æquis & incorruptis iudicibus non displiceret, in lucem emittendi.

Hæc apud me agitans & assiduè meditans Theologicis commentationibus totus intentus, in eam incidi cogitationem, quæ doctissimorum exemplis comprobata neminem à se dissentire patitur: nimirum in Scholastica Theologia, vt incipientium, ita serio proficere volentium studia tunc recte institui, cum philosophica præmittuntur. *Ad quod vltimò deuenerunt Doctores* (ait Scotus 3. d. 24. n.16.) *immiscendo Philosophiam Sacræ Scripturæ, quod sine dubio multum valet & præcipue Metaphysicalia, vt veritas Scripturæ de Trinitate & Intelligentiis & Abstractis intelligatur.* Nec longius nobis euagari necesse est, domi suppetunt omnia: ipse enim Scotus, vt si quis alius è mediis Lycei spatiis ad Theologiç adyta processit, & Aristotelicam Philosophiam plenissime absoluit, quam maiores nostri à multis sæculis præ cæteris elegerunt, vt meliorem facerent, frementibus Ecclesiæ hostibus & Apostolica sententia abutentibus. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam*, Colossens. 2. quasi vero aliud agamus philosophicis dissertationibus, quàm ne hæreticorum fallaciis decipiamur, qui scientiis sæcularibus armati triumphare easque ab Ecclesia eliminare moliuntur: vt ex Aug. lib. 18. de ciuitate c. 52. & lib. 1. contra Crescon. c. 13. & seqq. Ambrosio lib. 1. de Fide c. 3. & lib. de Incarnat. c. 9. Nazianzen. orat. 1. de Theologia. Hieronymo dialogo adversus Luciferian. & aliis Patribus omniumque ætatum scriptoribus compertum est. Nobis extra controuersiam recipitur,

Scotus maximè Aristotelicus.

cipitur, Peripateticam diſciplinam, vbi à Fide Diuina non deuiat, vtilem & neceſſariam eſſe ſacris tractatoribus, & eatenus adhibendam, quatenus Theologiæ deſeruire valeat, quâ in re tyronibus aliquod iuuamen afferre, viamque ingreſſuris patefacere, vnicum operi ſuſcepto ſcopum præfigo, quem ſi attingere, aut ab eo non procul aberrare contingat, mihi ſupra laborem videbor fructum percepiſſe.

Scopus auctoris.

Sed Ariſtotelis Philoſophiam elucidantibus in primis obſeruandum eſt, cum in omnibus Ariſtoteles excelluerit ingenio, iudicio, pondere, efficacia, copia, delectu, reliquos Philoſophos aut vicerit aut æquauerit; ordine & methodo cuiuſlibet ſcientiæ propria tractandi & ab alienis diſtinguendi, habuiſſe parem neminem. Nam vt integrum ſcientiarum corpus methodicè digeſtum, ex eius libris, qui ad ætatem noſtram peruenerunt, non ſemper peti poſſit (in quo nolim Ariſtoteli nimium addictos decipi) certe ſi per partes inſpiciantur, nihil Ariſtotelicâ methodo cogitari poteſt abſolutius. Eſt autem accurata methodi obſeruatio omnibus quidem ſcriptoribus neceſſaria, ſed præcipue docentibus: ipſo enim Ariſtotele auctore lib. 1. Elenchor. cap. 2. in diſputando à naturali rerum exigentia ſæpè deflectimus propter aduerſariorum opiniones; at in genere *didaſcalico* (ita illud ipſe vocat) ideſt ad docendum comparato, nihil prohibet ordinem naturæ & doctrinæ exactiſſime tenere: eum quippe qui diſcere aliquid vult, pleraque credere & ſine probationibus recipere oportet. Idem eſt Diui Auguſtini iudicium lib. 2. de ordine cap. 9. aſſerentis, auctoritatem in dicendo, tempore præcedere, quamuis re ipsâ ratio prior ſit: quia diſcentes hoc ipſum ignorant, quo modo diſcere debeant & dociles ſe præbere. *Vnde euenit, vt omnibus diſcere cupientibus non aperiat niſi auctoritas ianuam.* Et hæc eſt ratio cur dialectica prior aliis ſcientiis tradi debeat: nam vt mirè dixit idem Auguſtin. lib. citato. cap. 13. non ſolum *docet docere*, ſed etiam *docet diſcere. In hac ſe ipſa ratio demonſtrat atque aperit, quæ ſit, quid velit, quid valeat. Scit ſcire, ſola ſcientes facere, non ſolum vult ſed etiam poteſt.* Rectam ergo methodum ſtudioſiſſime conſectari debet, qui docet, & præcipuè dialecticæ Magiſter, vt tenera ingenia captu difficilioribus aut ſuperfluis ab initio non obruantur, ſed paulatim accommodis exercitationibus adoleſcant & vires adquirant. Cum ergo Philoſophiam Ariſtotelicam tradamus, illi methodo nos adhærere oportet, quam vel Ariſtoteles ſeruauit, vel veriſimilius

Ariſtoteles ſummus methodi artifex.

eſt

est seruaturum fuisse, si quamlibet scientiam in vnum corpus, vt iam admonuimus, redegisset.

Philosophiæ acceptio in præsenti.

Quia vero *Philosophiæ* nomine, quod nihil aliud significat quàm *studium sapientiæ*, omnes scientiæ naturali intellectus lumine adquisibiles, comprehendi possunt, tam late illud non accipio, sed prout in Scholis communiter sumi consueuit; & in Logicam siue Dialecticam, Physicam & Metaphysicam diuidi, quas quo ordine & methodo tractare aggrediar, breuiter exponam.

Dialectici libri Aristotelis.

In primis quod ad Dialecticam attinet, propositum mihi est, nihil ad Theologiam Scholasticam vtile prætermittere eorum, quæ apud *Aristotelem* habentur in libro *Categoriarum seu Prædicamentorum, in libris de Enunciatione Prioris & Posterioris resolutionis, Topicorum & Elenchorum :* His enim quidquid perfectum Dialecticum efficere potest, continetur, non tamen coniunctim & tanquam vnum opus agatur, sed sparsim & membratim, quod adeo ex ipsis libris manifestum est, vt non desint, qui seriò existiment, diuersas toto genere scientias in illis tradi. Hoc quidem improbabiliter dicitur; iuuat nihilominus ad intelligendum, dialectica Aristotelis scripta continuata non esse: nullum enim in eis cernitur connexionis vestigium, nec totius Dialecticæ obiectum aut diffinitionem vllibi designasse Aristoteles reperitur. Aliquid ergo addendum, supplendum vel immutandum necessariò est, vt integrum Dialecticæ corpus vniforme sibique correspondens coagmentetur: Et primo loco *Porphyrius* vtilissimam quinque prædicabilium introductionem omnium scholarum consensu probatam categoriis præfixit. Post multa vero sæcula *Petrus Hispanus* totam Dialecticam ordinatè digessit tractatibus, quos modeste à re ipsa *summulas* idest parua summaria vel compendia nominauit. Hic est doctissimus ille vir quem varia & insignis eruditio ad apicem Honoris & Dignitatis euexit. Fuit enim Summus Pontifex Ioannis vigesimi-primi cognomine assumpto, huic dialecticæ studiosi acceptam ferunt expeditam & facilem suæ facultatis assequendæ viam, quæ antea ex diffusissimis Aristotelis interpretum voluminibus difficillime petebatur: *nam sapientes confitentur & non abscondunt patres suos*. Iob. 15. Et nomen quidem *summularum* huc vsque perseuerat, alio tamen sensu & instituto præparandi scilicet ad pleniorem Dialecticæ cognitionem, ipsa veritate reclamante, cum in his præludiis ad syllogismi vsque structuram perueniatur, qui est vltimus & summus Dialecticæ Scopus. Itaque methodum Petri Hispani me in Dialecticis sequi simpliciter profiteor,

Porphyrij Isagoge.

Petri Hispani summulæ.

teor, quamuis non ſine exceptione & ſuccedentium Doctorum adhibita cenſurâ, qui multa correxerunt, reſecarunt, aut quod facillimum eſt, inuentis addiderunt: ex quibus pauci mihi videntur cum noſtro Venerabili P. Fr. *Franciſco Titelmano* conferri poſſe, qui *ſex libris Dialecticæ conſiderationis*, vt verbo abſoluam, verum Dialecticum egit, & tam docere, quàm diſcere docuit. His ducibus Dialecticam ab omni alienarum doctrinarum admixtione, quæ incertis auctoribus, magno incipientium damno irrepſerunt, ſeparatam propono, nihil de naturis communibus, de ente rationis, de Prædicamentis, præter ſumma rerum capita, provt ab Ariſtotele delibata ſunt, nihil de intellectionis natura, actuumque intellectus recondita notitia & aliis huiuſmodi hic expectandum: ea enim omnia Phyſicæ aut Metaphyſicæ conſiderationis eſſe, ne apud ipſos quidem dubitatur, qui conſuetudini ſeruientes Dialecticæ attexerunt, ſicut nec pro antiqua methodo reducenda ſententiam dicturos, ſi res ad ſuffragia deuolueretur.

Dialectica in duas præcipuas partes diuiſio.

Nondum tamen totam Dialecticæ tradendæ rationem expreſſimus. Reſtat enim adhuc aliud genus quæſtionum ſeu veritatum ſcitu dignarum, quæ quia non tam aperte limites Dialecticos tranſgrediuntur, difficilius videntur dignoſci & ſeparari poſſe: verſantur namque in ſubtilius indaganda tam ipſius Dialecticæ quàm eius obiectorum naturâ. Ad hoc genus ſpectant Quæſtiones, quæ de *Signo & ſignificatione*, *Propoſitionis eſſentia & proprietatibus*, *determinatâ veritate & falſitate*, *Præmiſſarum vi ad efficiendam concluſionem* diſcuti ſolent, item & Quæſtiones dictæ *Proœmiales* cum nonnullis eiuſdem notæ, quorum tractatio ſuſceptam methodum ſanè non interpolabit, ſi meminerimus, Dialecticam non ſolum aliquid conſiderare, ſed etiam conſtruere & fabricari, eſſeque vere & proprie artem, aut artis habere ſimilitudinem (vtrumvis enim dicatur, ad id, quod modò intendimus, perinde eſt:) artificioſa artis conſtructio non deſiderat cognitionem cauſarum aut eſſentiæ rerum exactam, ſed præcepta & regulas quibus dirigatur: quod in qua voluerimus arte, manifeſtiſſime nobis apparebit. Aurifex aut alterius metalli cælator, quamuis ignoret, quo modo metalla generentur, quod Elementum in eis prædominetur, an inter ſe ſe ſpecie differant, peritiſſimus in ſuo opere eſſe poteſt. Grammaticum ſine Metaphyſica facultatis ſuæ peritiam habere, nemo inficias ierit: & tamen *Scotus* (vt alios omittam) *opuſculo de modis ſignificandi*, eorum quæ apud Grammaticos ſimplici præceptione conſtant, cauſas ſcientifice expoſuit,

adeo subtiliter, vt magnum ingenium in re paruâ, tanquam ex vngue leonem possis agnoscere. Et vt exemplo Aristotelico 1. posterior. cap. 10. ad non multum dissimilem materiam vtamur: scire vulnera rotunda tardius sanari, medici est: cur autem tardius sanentur, geometræ, qui demonstrare potest, partes circuli maxime distare, nec ideo à medicis etiam doctissimis geometriæ studium iure exigemus. Distingui igitur necesse est in tradendis artibus præcepta ab inuestigatione causarum, quæ distinctio me mouit, vt Dialecticam in *docentem & vtentem* diuiderem, easque omnino in tradendo separarem. Nec de his nominibus vllo modo contendam aut ad rem facere existimabo, si quæ *Logicæ docenti* attribuo, alij cuicumque scientiæ adscribantur: Id tantum mihi concedi postulo, totam illam partem, quæ à me vtens vocatur, & captu faciliorem & incipientibus aptiorem & cum Docente nullatenus connexam esse, quare primùm discentibus ingerendam. Vnde obiectioni occurritur, quam nominum confusio parere posset: prior enim necessario videtur doctrina, quàm vsus, quis namque ad vsum & exercitium deducat, quod ignorat? Doctrina ergo ad vsum prærequisita in *vtente* Logica traditur; sed illa reconditior, quæ plus docet, quàm ad vsum pertineat, *Docentis* nomen antonomastice sibi vendicat, & vsui succedit, vt ex dictis sequitur & incunctanter fatendum est.

Logica vtens & docens.

Dialectica omnibus vtilis.

Hæc germani artificij Dialectici ad vsum accommodata separatio, quæ Dialecticam exiguis finibus arctare videtur, latissime potius patere ostendit eius vtilitatem: nec enim quia *Dialectica* idest disputatrix appellatur, in solis Scholarum concertationibus regnat, sed rationalis est facultas intellectui in omni cognitione facem præferens, dum verum à falso, certum ab ambiguo, distributum à confuso, probabile à fallaci veluti Sol quidam disciplinarum discernit. Hanc cum Platone in Phædro & lib. 7. de Republica, oratoribus & Ciuilium rerum arbitris magno consensu & asseueratione prudentes præscribunt; Hanc vir ille disertissimus in Iurisconsultis desiderabat, ne omnia essent apud eos actorum similia. *Labeo dixit, Seruius respondit, apud Trebatium scriptum est:* nam secundum rationem sapere & loqui, plusque quàm alienæ sententiæ exceptorem esse, frustra à Dialectices imperito expectes, sine qua ingenium etiam magnum non sufficit: vt satis idoneus testis Cicero auctor est lib. 4. de Finibus. Hanc S. Hieronymus prooem. ad libb. Didymi de Spiritu Sancto adeo ad Sacratiora dogmata pro dignitate explicanda

canda conducere iudicauit, vt de cuiuſdam Eccleſiaſtici tractatoris ſcripto libere pronunciet: *Nihil* (inquit) *ibi Dialecticum, nihil virile atque diſtrictum, quod lectorem vel in gratis ad aſſenſum trahat.* Oportet ergo ſic Dialecticam tradi, vt cuiuſcumque ſcientiæ & doctrinæ profeſſoribus aptiſſima, quoad fieri poſſit reddatur, & nullum difficultate aut prolixitate deterreat: quia cito dicitur aut nunquam: ſicut S. Auguſtin. lib. 4. de Doctrina Chriſtiana cap. 3. de Rhetorica dixit: Quod non aliter melius, quàm propriis Dialecticæ cognitionis in vnum collatis & diſtinctione traditis effici poteſt. Ac de methodo in Dialectica ſeruata hactenus.

Physicæ.

Phyſicæ ſiue naturalis ſciẽtiæ coordinatio minus eſt difficilis, quia & minores alienarum Doctrinarum paſſa eſt admixtiones, & quæ non tam diu, nec tam pertinaciter adhæſerint, præter paucas omnino amouendas, vel etiam ex parte tolerandas: nec enim ſcientiarum connexio, mutuaque propinquitas negari poteſt, ex qua communium aliquarum conſiderationum neceſſitas oritur abſque vllâ rectæ methodi iniuriâ. Itaque in *Phyſicis* nullo duce præter Ariſtotelem indigemus, non quòd Philoſophiam naturalem totam ſimul tradiderit, ſed per partes, vt de Dialectica diximus (quod ad inutiles Quæſtiones vitandas ſcire & frequenter admonere oportet) earum tamen partium ſeries incorruptior ad nos peruenit & manifeſtior inquirentibus occurrit. Operæ pretium autem erit Phyſicorum librorum Ariſtotelis diuiſionem ex optimo Peripatetico *Simplicio* breuiter præmittere.

Naturale apud Ariſtotelem iuxta *Simplicij* ſententiam & veritatem idem eſt quod materiale ac corporeum: quidquid enim ſenſibile materia conſtat, naturale dicitur, quatenus in ſe ipſo habet motus & quietis principium, quâ ratione differunt naturalia ab *artificialibus*; à *Mathematicis* autem quia mathematica, corporea quidem & ſenſibilia ſunt, ſed cogitatione à materiâ ſeparantur; denique à *Metaphyſicis* prorſus materiæ expertibus & nihil cum illa commune habentibus. Quæ Doctrina ex 2. Phyſicor. cap. 1. & 2. aperte deducitur. Habemus igitur generale Philoſophi propoſitum in libris Phyſicis, agendi ſcilicet de rebus corporeis & materialibus & iis, quæ ſine materia intelligi non poſſunt. Huius ergo entis naturalis vel materialis *principia* & quæ principiis ſunt connexa *cauſas, motum, tempus, locum,* &c. tradit libris, qui Græce inſcribuntur *Phyſicæ acroaſeos* ſiue *acroamatis* ideſt *naturalis auſcultationis*, & communiter octo numerantur, quamuis ſeptimus nec legitimus nec alicuius momenti à

Doctis censeatur. Prædicta vero inscriptio non est horum librorum propria : bifariam enim Aristoteles scripta diuiduntur, alia sunt *Acroamatica* siue *auscultatoria* eodem sensu quo nos appellamus *scholastica*, quia discipulorum auditorio laborabantur, nihilque in eis non scientificum, aut ad sapientiam tendentibus indignum proponebatur ; alia *Exoterica* siue externa, in quibus multa ad vtilitatem extra scholas degentium, immo ad vulgi etiam captum admisceri consueuerant. Hæc distinctio ex ipso Aristotele constat, qui in libris de Cælo citat exoterica sua scripta. Non modo autem *octo Physicorum libri*, sed & illi quos deinceps commemorabimus, & fere omnes, qui à nostris Doctoribus citantur *Acroamatici* sunt, & ad limam rationis vndequaque exculti, nec aliter Exactissimo Scholasticorum iudicio placuissent. Post principia entis naturalis sequitur tractatio de corporibus simplicibus *Cælo* & *Elementis*, quæ quatuor libris de *Cælo* & *Mundo* continetur. Cumque de compositis generalibus & corruptibilibus agendum esset, duos libros de *generatione* & *corruptione* siue de *ortu* & *interitu* subiecit, in quibus omnium productionum species, quæ rebus conuenire possunt, edocuit. Deinde quatuor libros *Meteoron* siue *sublimium* non solum egit de his, quæ in aëre gignuntur : *pluuiis, ventis, nubibus*, &c. vt titulus præ se ferre videbatur, sed etiam de genitis intra viscera terræ *metallis* metallorumque naturam aliqua ex parte referentibus. Tandem ad perfectissima naturalia scilicet animata gradum faciens *tribus libris de Anima* eiusque speciebus & potentiis disseruit, cuius operis velut appendices sunt libri de *sensu & sensili*, *de memoria* & *reminiscentia*, de *somno* & *vigilia* & alij *paruorum naturalium* nomine comprehensi. Consequuntur libri de *Animalibus* & *Problemata* variorum argumentorum ad Physicam spectantium, cui extremam tot voluminibus Aristoteles manum apposuit.

Quæ partes Physicæ addiscentibus vtiles sint?

Ex his omnibus tria tantummodo scripta ex professo enucleanda & ad Scholæ stylum, vsumque adaptanda seligimus : nimirum *Physicorum libros*, de *Generatione* & *Anima*, nihilque alieno labori detrahentes, id solum polliceri audemus, quidquid alibi vtile Theologiæ candidatis sparsum est, hîc non defuturum, & curiosis resecatis, proficua & fructuosa incrementum receptura : valde quippe in hac re placet dictum vetus : *Philosophandum paucis* : nam si vtilitatis finibus non contineamur, nullus erit terminus res naturales inuestigandi ; nec nos ipsos sciuisse manum de tabula tollere confidimus. *Libris* itaque singulis *Physicorum singulas* attribuimus *disputationes* ; Nec desunt

unt exempla doctrinam omnem de *generatione & corruptione* secundo libro inserendi; Sed argumenti præstantia & methodi commoditas alteram cognitionem ab altera seiungere persuasit. In libris de *Anima* compendio studuimus, donec ad *animam rationalem* tractando peruenitur, vbi supra Aristotelem non sapere Philosopho Christiano religio est. Itaque hanc partem copiosiorem quoad licuit intra Philosophiæ limites effecimus, vnde facilis esset transitus ad *Moralem*, quam ita Aristoteles digessit, vt humani ingenij sine lumine Fidei penè aciem & vires excesserit. Sed tamen, vt præclare Lactantius lib. 3. & 4. *Diuinar. institut.* Philosophorum placitis in medium productis, ostendit, Summo Bono ignorato, ac proindè vero iustitiæ fonte, necesse est & vitæ officia prauè institui, & virtutum actus multis modis vitiari, nec solidam sed inanem & vmbratilem morum philosophiam apud Ethnicos inueniri. Quapropter magno Theologorum iudicio acquiescendum, qui Moralia Theologicis coniungunt, & modo omittenda, quæ digniori loco splendidius, & quod caput est verius & fructuosius iuxta Theologiæ regulas examinantur.

Moralis Philosophia Theologiæ associanda.

Succedunt ergo *Physicis Metaphysica*, in quorum tractatione aut velle Aristotelis ordinem sequi, aut eum vt perturbatum & confusum conuellere, æque frustra est: cum iam pridem eruditi obseruauerint, *Metaphysicorum libros* ex Aristotelis aduersariis, tumultuariis annotationibus ab eius discipulis concinnatos, quod quàm sit verum ex illorum qualicumque lectione etiam à non attentissimis dignoscitur. Solet hoc euenire magnis auctoribus, vt quidquid eorum nomen præfert, tanquam absolutissimum multâ cum expectatione arripiatur, quasi iudicatum fuerit inferius & liberioribus censuris & inconsultis defensionibus subiaceat. Qui in Scoti libris, dum obiectiones diluit, offendunt interdum illa verba *responsionem quære*, nihil vltra cogitantes, statim offenduntur: habent enim nimis teneras aures, sed & parum exercitatione subacta iudicia: nec enim expendunt, non apponi illam notam argumentis difficilioribus & non ingenij cunctationem esse, sed memoriæ subsidium, quò se Doctor ad alias manuscriptorum suorum paginas referebat, de illorum in publicum editione securus. Hoc genus, qui Aristotelis libros recensent, vocant ex veterum consuetudine *hypomnematicum* idest memoriale, cui opponitur *syntagmaticum* ordinatum atque digestum. Ex illa igitur *Metaphysicorum hypomnomatum* syluâ nostras *Metaphysicas disputationes* nullo negocio colligimus; prius de communissimo *En-*

Metaphysica.

te, eiusque *Paßionibus* tractantes. Deinde ad diuisiones summorum generum descendentes, ac tandem quæ de *Ente rationis* dicenda videbantur veluti corollarij loco adjicientes: neminem namque arbitror repugnaturum, quin eius consideratio aut Metaphysica sit, aut ad Metaphysicam reducatur. Non est autem silentio prætereundum, hanc scientiam, vt à nobis traditur, nobiliori sui parte ablatâ, ægrè nomen & dignitatem suam retinere: quod nec mirum videri debet, nec vitari vllo modo potest: omnia enim quæ de Dei existentia, vnitate, aliisque perfectionibus naturali lumine cognosci possunt, ad Metaphysicam spectant, sed in Theologia multò potiori iure, quàm Moralia docentur, ne sine Fidei doctrina frigescant, aut deuient, & dum Metaphysica ornatur, ipsi Diuinitati iniuria irrogetur. Quare optimum finem Philosophiæ imponemus immensas Deo gratias agentes, quòd ab iis nos aliquid sapere incipimus, vbi Gentium Sapientissimi desinebant.

Æquis ergo animis accipite Philosophiæ & veritatis studiosi, quod candidè more maiorum, non tam futuris discipulis offero, quàm discipulum me agnoscens censuræ vestræ omni demissione subiicio: *vnumquemque enim* (vt cum Ambrosio dicam lib. 8. ep. 63.) *fallunt sua scripta, & auctorem prætereunt, atque vt filij etiam deformes delectant, sic etiam scriptorem indecores sermones sui palpant.* Correctio omnibus necessaria, sed nouis scriptoribus præcipuè, à me vt ingens beneficium auidissime desideratur vt humanos lapsus fateri non formidans, si quid rectum sit Deo Opt. Max. fidelissimè adscribam, cui gloriam omnem deferre vera gloria est; sicut Sanctæ Ecclesiæ Romanæ iudicio scripta & scribenda submittere, vt humillime submitto, vera & solida Philosophia.

Correctionis necessitas.

CENSVRA

CENSURA, ET APPROBATIO R. A. P. Fr. Ioseph Ximenij Samaniego Lectoris Jubilati, Prouinciæ Burgensis Minorum de Obseruantia quondam Prouincialis Ministri, nunc Custodis.

I*Vssu R. P. N. Fr. Ildephonsi Salizanes totius Ordinis Fratrum Minorum Generalis Ministri Opus prænotatum*, Philosophia Scholastica, siue Cursus Philosophicus ad mentem Scoti, Auctore P. Fr. Thoma Llamazares Hispano Vallisoletano Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ Sacræ Theologiæ Lectore in Prouincia Conceptionis, *accuratè perlegi; nihilque in eo quod Orthodoxæ fidei integritati, sanctorum Patrum doctrinæ, aut Christianis moribus non consonet, offendi: quin potius reperi plurima, quæ opus, Auctoremque egregiè commendant. Etenim præter stilum grauem, pellucidam claritatem, maturum iudicium, vberem eruditionem, profundam sapientiam, mirabilem subtilitatem, quibus vniuersim efflorescit opus, Auctorque præstantioribus præsentis sæculi Philosophis supparem se facilè ostendit; eminet maximè in præclarissima Philosophiam Scholasticam tradendi methodo iam diu à viris doctis optata, nec assecuta, vel adamussim instauranda, vel primùm instituenda. Primùm enim in Dialectica traditis, præceptiuè his, quæ addiscentes absque probationibus recipere oportet, ac summatim communi dialecticandi materie; dein, illis tantùm, quæ & purè Logica sunt & disputatione digna, inibi disceptatis; reliquis, quæ ad alias facultates pertinent, ad propria loca missis, vel potius restitutis; postremò per totum opus, vanis, ac otiosis disputationibus omissis, inutilibus resecatis, leuioribus strictim, grauioribus, vtilioribusque pro merito ac dignitate discussis; Philosophiam Scholasticam, quam tractatuum inordinata transmutatione, intempestiua discussione difficultatum, inutilium curiositatum ambagibus, vanarum nouitatum colluuie, incipientibus inextricabilem laberinthum, proficientibus interminabile iter, innouandi vel superaddendi ardor in dies effecerat, ad facilem, ac breuem Cursum Auctor redegit. Quapropter opus, non solum publica luce dignum censeo, verùm & necessarium, vt cùm docentes, tum discentes, has naturales facultates tradendi, ac assequendi, commodiore qua Sacra Theologia famulentur via, & exemplar habeant & lucem. Matriti in Conuentu S. P. N. Francisci, die 26. Augusti, anno 1668.*

FR. IOSEPH XIMENIVS SAMANIEGO.

**

Pater

Pater Idelphonsus Salizanes totius ordinis Fratrum Minorum Seraphici P. N Sancti Francisci Minister Generalis & seruus dilecto nobis in Christo Patri Fratri *Thomæ Llamazares*, Sacræ Theologiæ Lectori, & Prouinciæ nostræ Immaculatæ Conceptionis in Hispania Regularis obseruantiæ, eiusdem Ordinis, Alumno, salutem in Domino sempiternam.

Tenore præsentium cum merito salutaris obedientiæ facultatem tibi concedimus vt Philosophiam, Scholasticam, siue Cursum Philosophicum, ad mentem subtilis Nostri Doctoris Scoti à te elaboratum, & à pluribus iisque perdoctis viris nostri ordinis quibus examinandum commisimus sine offensione approbatum vt pote, publico Scotistarum, Scholæ Emolumento, ac omnibus, Philosophiæ studiosis apprime, vtilem ad Apostolicarum ac Generalium nostrarum Constitutionum Præscriptum, Prælo tradere possis, & valeas seruatis in reliquo seruandis. Datum Matriti in Conuentu nostro S. Francisci die sexta Septembris 1669.

Fr. Ildephonsvs Salizanes,
Minister Generalis.

De mand. suæ Reverendissimæ
G.
Fr. Patricivs Tirelvs
Secret. Gener. Ordinis.

Facultas imprimendi Cursum Philosophicum.

TRACTATVS I.
IN
LOGICAM ARISTOTELIS,

AVCTORE

R. P. F. THOMA LLAMAZARES, ORDINIS MINORVM.

Prooemium.

LOGICÆ *seu* Dialecticæ *nomine cognitionem quandam intelligimus experientiâ & discursu partam, quæ versatur in dirigendis intellectus nostri operationibus, vt eas sine errore exerceamus. Dicitur* Logica *quia sermocinalis est:* Logos *enim Græcè, Latinè Sermonem sonat: Dirigit namque actus intellectus, quibus sermo mentalis conficitur. Dicitur etiam* Dialectica

ſeu diſputatrix: quia methodum diſſerendi nobis exponit. Apud antiquos dialectica nomine intelligebatur tantum ea pars, quæ de ſyllogiſmo probabili diſputat; Logicæ vero nomine tota ipſa ſcientia. Sed iam vſus hac duo nomina confudit & fecit ſynonima. Huius ergo facultatis Dialecticæ, is eſt ſcopus & finis, vt aliis ſcientiis ſubminiſtret: Ipſa enim eſt quæ omnibus præſtat modum diſſerendi. Vnde à quibuſdam dicitur examen & libra veritatis; Ab aliis formatrix ſapientiæ, Regula, & Menſura artium, Clypeus diſciplinarum, Mundi rationalis, ideſt humanæ mentis Sol, Rationis oculus, Clauis aurea, Ianua & ſcientia ſcientiarum, Finis & Apex diſciplinarum. Quæ omnia Logicæ non modo nobilitatem, verum etiam ad alias ſcientias adquirendas neceßitatem & ſubminiſtrationem apertè indicant. Sit ergo

PRIOR PARS LOGICÆ, QVÆ EST VTENS, ID EST EXEQVVTIVA SEV EXERCITATIO PRÆCEPTORVM LOGICALIVM.

CAPVT I.

De terminis & eorum proprietatibus.

SECTIO I.

Definitio Termini in communi.

1. HÆC vox *Terminus* in communissima sui acceptione idem est quod vltimum seu extremum cuiuscumque rei, intra quod tota res clauditur & extra quod nihil illius est. Provt autem in præsenti sumitur à Dialecticis, sic communiter definitur ex Arist. 1. prior. c.1. *Terminus est extremum propositionis : scilicet subiectum vel prædicatum, in quæ tamquam in partes resoluitur propositio.* Hæc definitio optima est & exacta : vt constab t inferius assignando regulas bonæ definitionis. Ly *extremum* habet rationem generis, in quo terminus convenit cum punctis & indiuisibilibus lineæ terminativis, & generaliter cum extremis partibus cuiuscumque rei. Ly *Propositionis* habet rationem differentiæ, per quod differt ab omnibus illis, cum quibus per rationem generis conueniebat : quia illa non sunt extrema propositionis. Reliqua quæ ponuntur in definitione conducunt ad eius exactam intelligentiam.

Ex his infertur insufficientia aliarum definitionum, quæ ab aliquibus assignantur. 1. Illius quam tradit Petrus Hispanus & quam tenent communiter Thomistæ : scilicet quod sit vox significatiua ad placitum, ex qua simplex conficitur propositio : quia non

convenit omni definito : non enim termino mentali & ſcripto, qui non ſunt voces. Deinde excludit voces non ſignificatiuas ad placitum : vt *Blityri*, quæ verè termini ſunt : vt patet in hac propoſitione : *Blityri eſt vox non ſignificativa ad placitum.* Denique excludit terminos propoſitionis compoſitæ, qualis eſt hypothetica conſtans duabus categoricis : vt patet in iſta : *vel iuſtus ſalvabitur, vel Deus eſt mendax.*

Secundo deficit alia definitio tradita à Villalpando ſcilicet, Terminus eſt ſignum ponibile in propoſitione : quia conuenit aliis à definito ſcilicet *copulæ eſt*, quæ non eſt terminus ſeu extremum propoſitionis, ſed potius eſt medium : Conuenit etiam aduerbiis & aliis particulis, quæ poni ſolent in propoſitione & non vt ſubiectum vel prædicatum, & ſic non habent rationem termini ; Claudicat etiam quia excludit voces non-ſignificativas, quæ propriè ſigna non ſunt, & tamen poſſunt eſſe termini.

Ex noſtra definitione inferes, omnia illa quæ habent rationem ſubiecti & prædicati in propoſitione, eſſe verè terminos, vnde literæ, verba, aduerbia & aliæ orationis partes apud grammaticos poſſunt eſſe termini, quando ſupponunt pro ſeipſis : vt patet in his propoſitionibus : *A eſt monoſyllabum, Satis eſt adverbium, Amo eſt Verbum* : Item Nota, ſubjectum eſſe illud quod alteri ſubiicitur, & prædicatum quod de altero prædicatur. Vt in iſta propoſitione : *Homo eſt animal*, *Homo* eſt ſubiectum & *animal* prædicatum.

2. Sed contra noſtram definitionem ſic argues. 1. Blityri non eſt terminus, ergo definitio quæ comprehendit voces non-ſignificatiuas, non eſt bona; probatur antecedens : Terminus debet eſſe aptus loquutioni ; ſed voces non ſignificatiuæ non ſunt aptæ loquutioni, ergo non ſunt termini. Probatur mi. loquutio externa eſt explicatio conceptus ſeu manifeſtatio rei conceptæ ; ſed per voces non-ſignificatiuas nihil explicatur aut manifeſtatur : cum nullius rei ſignum ſint, ergo non ſunt aptæ loquutioni & ſic nec termini. ℞. neg. 1. anteced. ad cuius probat. c. ma. neg. mi. quia non requiritur quod ſupponat pro alia re à ſe diſtincta, ſed ſufficit quod pro ſe ipſa : quia de illa poteſt aliquid prædicari : vt eſſe vocem, eſſe ſonum articulatum : vt patet in his propoſitionibus : *Blityri eſt ſonus articulatus* : *Homo eſt vox*, *Nomen eſt neutrius generis.* Vbi voces pro ſe ipſis ſupponunt & nihil à ſe ipſis diſtinctum manifeſtant.

Argues 2. Præfata definitio conuenit punctis & indiuiſibilibus terminatiuis propoſitionis vocalis & ſcriptæ ; ſed iſta non ſunt termini, ergo neque definitio tradita eſt bona. Reſp. neg. anteced. quia hæc non ſunt extrema earum, quatenus propoſitiones ſunt formaliter ; ſed ſunt extrema motuum, quibus illæ propoſitiones fiunt : id eſt extrema propoſitionum materialiter ſumptarum quatenus quantitatiuæ ſunt. Itaque ſicut ad cognoſcendam propoſitionem formaliter ſumptam non eſt opus formare conceptum de quantitate eius, ita ad formandum conceptum propoſitionis formaliter ſumptæ, non erit opus facere mentionem de punctis indiuiſibilibus terminatiuis, ſed tantum de ſubiecto & prædicato.

Argues 3. Definitio quæ datur per partes diſiunctiuas non eſt bona ; ſed talis eſt hæc : vt conſtat ex ly *ſubiectum vel prædicatum.* Ergo, &c. ℞. 1. Non tam eſſe partes, quam exempla : vt conſtat ex particula *ſcilicet.* ℞. 2. Non debere intelligi diſiunctiue, ſed potius coniunctiue, quia idem met terminus in diuerſis propoſitionibus modo

eſt

eſt ſubiectum, modo prædicatum.

3. Quæres 1. Quid ſit terminus formaliter ſumptus, quidque materialiter? ℞. Quod terminus formaliter ſumptus eſt quædam ſecunda intentio, quam dialecticus attribuit ſubiecto & prædicato, per hoc quod eſt actualiter ſubiici & actualiter prædicari; Terminus vero materialiter ſumptus eſt omne id, quod ſubiicitur termino formali, ideſt quod poteſt poni in propoſitione tanquam ſubiectum vel prædicatum.

Quæres 2. In hac propoſitione *Ego amo* & ſimilibus, qui ſunt duo termini diſtincti à copula? Nam *amo* eſt verbum ac proinde eſt quaſi copula, quæ iuxta dicta non eſt terminus, ſed nexus terminorum. Quid ergo eſt nexus in hac propoſitione, & qui termini? ℞. Illam & ſimiles propoſitiones huic æquiualere: *Ego ſum amans*: Ratio eſt quia omnis propoſitio debet conſtare ſubiecto, prædicato, & copula; copula autem ſemper eſt verbum *Sum, es, fui*: quia copula eſt nexus ſubiecti & prædicati, qui neceſſario ſignificatur per prædictum verbum *ſum, es.* Itaque in omnibus propoſitionibus hoc verbum debet ſubintelligi: Igitur *amo* eſt virtualiter copula & prædicatum, quatenus prædicatum eſt terminus, non quatenus copula.

Et Nota, voces extra propoſitionem non eſſe terminos: quod conſtat ex definitione, quæ explicat terminum per *eſſe extremum propoſitionis.* Ex qua infertur ratio ſic: de ratione termini eſt terminare propoſitionem, ergo extra illam non eſt terminus: quia non terminat propoſitionem; Nec ſufficit quod ſit aptitudinaliter extremum propoſitionis: nam terminus definitur per eſſe extremum actu, non aptitudine, ergo non erit terminus actu, ſed aptitudine: Quare impropriè vocantur termini extra propoſitionem.

SECTIO II.

De Termino mentali, vocali, & ſcripto.

4. CVm terminus ex dictis ſit extremum propoſitionis, quot fuerint propoſitionis ſpecies, tot erunt & terminorum. Quia ergo propoſitio triplex communiter aſſignatur, mentalis ſcilicet, vocalis, & ſcripta, inde etiam triplex eſt terminus mentalis, vocalis & ſcriptus. Scriptus eſt vox ſcripta in papyro vel quavis alia re propoſitionis ſcriptæ compoſitiua, ideſt, eſt extremum propoſitionis ſcriptæ. Terminus vocalis eſt vox ab homine prolata compoſitiua propoſitionis vocalis, ideſt extremum propoſitionis vocalis. Terminus mentalis eſt actus intellectus, quo concipio prædicatum vel ſubiectum: Ideſt terminus mentalis eſt conceptus in anima exiſtens, qui eſt extremum propoſitionis mentalis. Sed Nota hanc diuiſionem termini eſſe analogam: nam terminus vocalis & ſcriptus per quamdam ſimilitudinem ſunt termini, & ſolus mentalis habet veram rationem termini. Cuius ratio eſt (vt poſtea videbimus) nam ſola propoſitio mentalis poteſt dici vera propoſitio, reliquæ per ſimilitudinem.

5. Terminus mentalis alius eſt *vltimatus*, alius *non-vltimatus*, ille eſt conceptus de re per vocem vel per ſcripturam ſignificata: vt conceptus naturæ humanæ per iſtam vocem *Homo* ſignificatus. Terminus non vltimatus eſt conceptus vocis vel ſcripturæ rem ſignificantis: vt conceptus huius vocis *Homo*, qui ideo dicitur non vltimatus: quia intellectus non vltimo ſiſtit in eo, ſed vltra progreditur ad concipiendam rem ſignificatam per vocem. Hinc ſequitur, conceptus de vo-

cibus non-significatiuis semper esse vltimos: cum nihil aliud quàm se ipsas significent, Vbi Nota quod conceptus est duplex, formalis & obiectiuus, formalis est cognitio rei, obiectiuus vero est ipsa res, quæ obiicitur cognoscenda.

Item. Terminus mentalis alius est *directus*, alius *reflexus*, ille est qui directe tendit in rem cognitam vt quando cognosco Petrum; reflexus est cognitio cognitionis existentis in eadem potentia: vt v. g. cognitio, quà cognosco me cognoscere Petrum: Quæ ideo dicitur reflexa: quia intellectus per eam quasi reflectitur supra seipsum. Demùm diuiditur terminus mentalis in *intuitiuum & abstractiuum*: *intuitiuus* est cognitio rei nata certificare de existentia & præsentia rei, quam significat, qualis est intuitus rei præsentis. *Abstractiuus* est cognitio rei abstrahens ab existentia vel præsentia illius: idest est cognitio, quæ manet eadem, siue res quam significat existat, siue non, qualem potest quis habere de re absenti.

6. Terminus vocalis (idem intellige de scripto) diuidi potest in *significatiuum* & *non-significatiuum*: ille est qui aliquid ad placitum significat, idest ex impositione hominum significat: vt *Homo, leo* &c. iste vero est qui nihil præter se ipsum significat: vt *Blityri*. Et pro huius diuisionis intelligentia aduerte: signum esse id quod facit nos in alicuius rei cognitionem venire, & est duplex, naturale, quod scilicet ex se independenter ab hominum voluntate aliquid à se repræsentat: vt fumus ignem, vestigium bouis bouem, lux Solem, &c. Aliud & ad placitum, quod ex voluntate hominum assumptum est ad aliquid significandum: Vt hæc vox *lapis*, quæ de se non significat magis quàm *Blityri*, imposita est tamen ab hominibus, vt significet tale corpus inanimatum, quale significatur per lapidem, & ramus ante tabernam, qui significat ad placitum vinum vendibile. Aduerte etiam vltra has significationes omnem vocem habere aliam significationem naturalem: quia omnis vox est signum naturale loquentis. Itaque hæc vox *Homo* (& quælibet alia significatiua ad placitum) tres causat cognitiones in quocumque intellectu, duas ex natura sua: scilicet cognitionem de ipsa voce & cognitionem de proferente ipsam, & tertiam ad placitum hominum: scilicet cognitionem de natura humana.

SECTIO III.

Aliquæ diuisiones termini significatiui.

7. TErminus significatiuus primò diuiditur in *communem* & *singularem*, ille est qui plura significat, quomodocumque illa significet, & diuiditur in *vniuocum*. & *æquiuocum*. *Vniuocus* est qui significat naturam multis communicabilem diuisiue: vt *Homo, leo*: Vbi aduerte, hos terminos *Sol* & *Luna* esse communes vniuocè: quia dabiles sunt plures Soles & Lunæ, in quibus naturæ significatæ per terminos multiplicentur: Vnde significant naturas pluribus communicabiles diuisiue. E contra est in hoc termino *Deus*: quia non significat naturam pluribus communicabilem diuisiue, sed vna est Deitas in tribus personis, quare non terminus communis.

8. Terminus *æquiuocus* est, qui plura vt plura sunt diuersa ratione significat: idest terminus æquiuocus est vna vox habens plura significata: vt *canis* quæ significat piscem marinum, sydus Cæleste, & canem terrestrem. Subdiuiditur in *æquiuocum à casu* & *æquiuocum à consilio*, ille est qui diuersâ ratione & sine

ſine vlla habitudine vnius ad aliud plura ſignificat : vt *canis* v. g. & *gallus* ſignificans hominem è Gallia provincia & avem gallinaceum. Iſte eſt qui plura diuerſa quidem ratione ſignificat, cum ſimilitudine tamen & proportione vnius ad aliud : vt *Homo* reſpectu hominis picti & hominis veri. *Sanum* reſpectu hominis ſani, vrinæ indicantis ſanitatem, & medicinæ eamdem efficientis. Et hic terminus dicitur analogus : quia illa, de quibus prædicatur, dicuntur analoga. Et ſunt, Quorum nomen eſt commune, ratio vero ſubſtantiæ, licet ſit in illis ſimpliciter diuerſa, habent tamen aliquam proportionem ſecundum quod per tale nomen ſignificantur.

9. Terminus *ſingularis* ſeu particularis dicitur qui ſignificat rem indiuiduam & pluribus incommunicabilem: vt *Petrus, Paulus, Antonius*. Et eſt quadruplex, alius determinatus, qui rem determinatam ſignificat: vt *Petrus, Paulus*. Alius demonſtratiuus, qui eſt terminus communis ſigno particulari affectus: vt *hic homo*. Alius eſt ſingularis ex hypotheſi: vt verbi gratia *Filius Mariæ Redemptor mundi* ideſt *Chriſtus*, Alius denique eſt ſingularis vagus, & congruè ſatis vocatur *confuſus* qui ſignificat rem ſingularem indeterminatè & vagè : vt *aliquis homo, quidam equus*, ex quibus quatuor terminis duo priores *determinatus* ſcilicet & *demonſtratiuus* dicuntur proprie termini ſingulares, reliqui vero impropriè.

10. Alia eſt huic ſimilis diuiſio in terminum *vniuerſalem* ſeu ſuperiorem & in *inferiorem*, ille eſt cuius tota ſignificatio eſt prædicabilis de aliis : vt *Homo* prædicatur de *Petro* & *Paulo*. Iſte eſt cuius ſignificatum eſt ſubiectum partiale termini ſuperioris : vt *Petrus Paulus* reſpectu *hominis*. Ex aſſignatione huius diuiſionis colligitur, hunc terminum *omnis Homo* (idem eſt de iſtis *Ciuitas, Populus*) eſſe quidem communem, quia plura ſignificat, non tamen vniuerſalem : quia eius ſignificatum non eſt prædicabile de multis: non enim dicitur *Petrus eſt omnis homo, Paulus eſt omnis homo*. Quòd ſi dicas, hic terminus *Petrus* dicitur de multis hominibus, ergo eſt vniuerſalis. ℞. Negatiue : nam vltra prædicationem de multis requiritur, quod conueniant in ratione communi ſignificata per nomen ; at in pluribus hominibus, qui vocantur hoc nomine *Petrus* non datur aliqua ratio communis ſignificata per nomen *Petrus*, & ſic non eſt vniuerſalis, ſed de hoc ex profeſſo in Metaphyſica, vbi de ratione indiuidui diſputabimus.

Inquires. An omnis terminus communis dicendus ſit vniuerſalis ſeu ſuperior, & omnis particularis ſeu ſingularis inferior ? ℞. Non poſſe pro hoc regulam generalem aſſignari ; pendet enim convenientia iſtorum nominum à diuerſis acceptionibus, quæ vſu & exercitatione innoteſcent.

SECTIO IV.

Nonnullæ aliæ diuiſiones termini.

11. ALia eſt diuiſio termini in *categorematicum* & *ſyncategorematicum*. *Categorematicus* eſt, qui ex ſe eſt tam perfecte ſignificatiuus, vt ſe ſolo poſſit eſſe ſubiectum vel prædicatum propoſitionis habentis ſenſum : vt *Deus, Homo, animal*. Terminus *ſyncategorematicus*, qui & conſignificatiuus appellatur, eſt qui, licet ſignificatiuus ſit, non tamen ita perfecte vt ſe ſolo poſſit eſſe ſubiectum aut prædicatum propoſitionis habentis ſenſum, aut apte generare ſenſum perfectum in audiente

diente & intelligente terminos : vt *omnis, nullus*, *aliquis*, *quidam*. Quod si circa hoc Inquiras, An omnia nomina adiectiua sint termini syncategorematici vel aliqua sint categorematici? ℞. aliqua vt *omnis, nullus* non esse categoramaticos, quod constat ex dictis; de aliis adiectiuis quæ significant formas aliquas accidentales determinatas: vt *iustus, albus, doctus* est aliqua controuersia: habent enim sine dubio magis perfectam significationem, quam illa priora nomina, minus tamen perfectam quam nomina substantiua, de quibus dici potest, quod aliquando gerere possint rationem subiecti, quando scilicet forma, quam significant, petit determinatum subiectum; Et sic quando dicitur, iam venit superbus, iam venit doctus, sufficienter intelligitur homo: quia ex corporeis substantiis ille solus est capax superbiæ & doctrinæ.

12. Alia est diuisio termini *in concretum* & *abstractum: Concretus est* qui significat vel formam vt denominantem aut afficientem aliud, vel rem aliquam vt denominatam & affectam à forma; vt *iustus*, *bonus* qui significant aliquem affectum iustitiâ & bonitate, seu iustitiam & bonitatem vt afficientes & denominantes aliquem. Terminus *abstractus* est qui significat formam, quæ afficit aut nata est afficere & denominare aliud, non tamen vt afficit aut denominat, sed secundum se: vt *iustitia, bonitas*.

13. Est Alia diuisio termini huic valde affinis scilicet in *absolutum* & *connotatiuum*, quorum differentia à prioribus terminis concreto scilicet & abstracto vix discernitur ab authoribus. Noster Poncius hic n. 11. varias explicationes adducit & reiicit, ipse autem vt meliorem proponit istam. Terminus connotatiuus est ille qui significat rem relatiuam vt relatiua est, atque adeo quæ connotat terminum eius; Absolutus vero qui significat rem absolutam vt absoluta est. Cuius ratio esse potest, quod absolutum opponatur relatiuo, ergo connotatiuus terminus qui opponitur absoluto, debet esse relatiuus. Et hinc est quod *Dominus*, *Pater*, *Magister*, *Creator*, *Seruus*, *Creatura*, *generans simile*, *dissimile* & alia huiusmodi sint termini connotatiui; Nec obstat quod sint etiam concreti: quia hoc competit ipsis secundum diuersam considerationem: sunt enim concreti quatenus dicunt rem affectam aliquâ formâ: v. g. *Dominus* significat hominem habentem dominationem; sunt autem connotatiui, quatenus forma illa, quæ afficit, est relatiua, & propterea indigens ad conceptum aliquo alio termino. Hi vero termini sunt absoluti *Albus*, *iustus*, *Sapientia*, *Humanitas*: quia non significant formaliter relatiuum qua tale, nec relationem; Nec refert etiam quod ex his aliqui sint abstracti: quia vt dixi de connotatiuis, hoc competit ipsis secundum diuersam rationem: competit enim esse absolutos, quatenus non significant relationem; abstractos verò quatenus significant aliquam formam, quæ adhæret seu adiacet alteri, licet non significet illam vt adiacens est. Et hinc constat aliquos terminos abstractos esse connotatiuos: talis enim est *relatio* & aliquos concretos esse absolutos, vt *iustus*. Constat etiam aliqua nomina substantiua esse terminos connotatiuos. Vt *Dominus*, & aliqua adiectiua esse absolutos, vt *iustus*.

14. Alia est diuisio termini in *transcendentem* & *non-transcendentem*. Transcendens est, qui de quacumque re cuiuscumque prædicamenti potest dici, & huiusmodi sunt sex *ens, res, vnum, verum, bonum, aliquid*, quorum termino-

rum quilibet poteſt verè dici tam de Subſtantia, Quantitate, Qualitate & ſic de rebus reliquorum prædicamentorum. Terminus non tranſcendens eſt, qui nequit vere dici de rebus omnium prædicamentorum, ſed de determinatis aliquibus rebus: vt *lapis*, *homo*, *leo*, &c.

15. Alia eſt diuiſio termini in *finitum* & *infinitum*. *Finitus* eſt qui limitatam habet ſignificationem, ſic ſcilicet vt non poſſit dici niſi de rebus vel exiſtentibus vel potentibus exiſtere: vt *Homo lapis*. Terminus *infinitus* huic oppoſitus eſt qui poſſit tam de rebus exiſtentibus, quam de non exiſtentibus & non potentibus exiſtere prædicari: vt *non homo*, qui poteſt & de lapide & de igne verè prædicari: Eſt enim verum dicere, quod *lapis ſit non homo* & quod *ignis ſit non homo*. Vt terminus finitus fiat infinitus, modo non ſit tranſcendens, opus eſt quod negatio cadat ſupra ipſum, non ſupra copulam: Vt ibi *Homo eſt non lapis*. Dixi *modo non ſit tranſcendens*, quia ſi tranſcendens ſit, non poterit infinitari: iungendo enim negationem termino tranſcendenti non poteſt dici de vlla re potenti exiſtere: non enim de vlla re tali poteſt affirmari quod non ſitiens, non res, non aliquid. Cuius ratio eſt quod termini tranſcendentes de omnibus rebus potentibus exiſtere dicantur. Vnde eſt illud communiter dictum de termino infinito: ſcilicet quod aliquid ſaltem indeterminate ſignificet & aliquid determinate neget: ſi enim termino tranſcendenti iungatur negatio, non relinquitur quid poſſit adhuc indeterminate ſignificare.

16. Item alius eſt terminus *primæ intentionis*, alius *ſecundæ intentionis*, ille eſt qui ſignificat rem ſecundum id quod habet ex ſe ante operationem intellectus: vt *Homo*, *Petra*, *Aqua*. Terminus ſecundæ intentionis eſt qui ſignificat rem ſecundum id quod habet ab operatione intellectus: vt quando dicitur quod in hac propoſitione: *Homo eſt animal*, *Homo* eſt ſubiectum, *animal* prædicatum, & quando dicitur quod *Homo eſt ſpecies*, *animal eſt genus*, vbi iſti termini ſignificant res cum dependentia ab operatione intellectus, ipſis rebus tales ſignificationes ſeu denominationes tribuentis.

17. Diuiditur etiam terminus *in affirmatiuum*, *priuatiuum & negatiuum*. Primus eſt qui aliquid poſitiuum & reale ſignificat: vt terra, aqua, lignum, &c. Secundus qui ſignificat carentiam in ſubiecto capaci: vt cæcitas reſpectu hominis, tenebræ reſpectu aëris. Tertius qui ſignificat carentiam formæ in ſubiecto incapaci: vt negatio viſus in lapide. Denique terminus alius eſt *in recto*, & eſt qui importatur in nominatiuo caſu: nam grammatici nominatiuum caſum appellant *rectum*; Alius *in obliquo*, & eſt qui importatur in reliquis caſibus à nominatiuo.

18. Sed vltra dicta Aduerte. Terminum *ſpecificatiue* ſumptum. (Et potes dicere etiam materialiter ſumptum) eſſe illum qui ſupponit non pro forma, ſed pro materia: vt in hac propoſitione. *Album eſt dulce*, vbi album ſupponit non pro forma albedinis, ſed pro materia ſeu re, quæ eſt alba. Terminus *reduplicatiue* ſeu formaliter ſumptus eſt qui è contra non ſupponit pro materia, ſed pro forma: vt in hac propoſitione: *Album diſgregat viſum*, vbi ſenſus eſt non quod paries qui eſt albus, ſed quod ipſa forma albedinis diſgregat viſum.

SECTIO V.

De Proprietatibus Terminorum.

19. SEx sunt terminorum proprietates, de quibus hîc solent agere authores scilicet: *Suppositio, Ampliatio, Restrictio, Diminutio, Alienatio* & *Appellatio.*

Suppositio est positio, acceptio, subrogatio vel vsus termini pro se, vel pro re quam significat: quia ex Aristot. 1. Elenchor. cum res ad scholas adducere non possumus, vtimur vocibus pro rebus. Alia est materialis, alia formalis. Materialis est acceptio termini pro ipsomet termino, non vero pro re significata per ipsum vt ibi. *Homo est vox*, & hoc modo supponit *Blityri* & omnes voces non-significatiuæ. Suppositio formalis est acceptio termini pro re quam significat, & est duplex alia est propria: vt ibi Alexander subiugauit orbem Imperio suo, vbi vox *Alexander* accipitur in significatione propria. Alia est impropria, quando scilicet vox accipitur metaphorice: vt ibi *Petrus est Alexander*, & ibi *vicit leo de tribu Iuda*, vbi sumitur pro Christo per metaphoram.

20. *Suppositio formalis propria* alia est *simplex* alia est *personalis.* Simplex est quando accipitur vox aliqua significans naturam vniuersalem communem pluribus & prædicabilem de pluribus illis, quibus est communis, non provt conuenit ille terminus pluribus, nec provt est prædicabilis de illis, sed provt est prædicabilis de ipsamet natura sola: vt cum dicitur *Homo est species, animal est genus*, vbi ly *Homo* sumitur pro natura humana secundum se, & non provt potest dici de Petro & Paulo. Suppositio personalis est acceptio vocis secundum quod accipitur pro pluribus contentis sub natura communi: vt cum dicitur *Homo est animal*, vbi homo accipitur pro quolibet indiuiduo naturæ humanæ: quia de quolibet ex ipsis potest dici, quòd sit animal.

21. Deinde diuiditur suppositio personalis in naturalem & accidentalem: naturalis est quando terminus communis significans naturam communem supponit pro omnibus contentis sub ista natura communi: vt cum dicitur: *Homo est animal*, vbi vox *Homo* supponit pro omni indiuiduo animalis: quandoquidem verum sit de quolibet tali indiuiduo quod sit animal. Suppositio personalis accidentalis est quando terminus communis non supponit pro omni indiuiduo contento sub natura communi per ipsum significata, sed pro aliquibus tantum: nimirum pro illis, quibus conuenit pro tempore importato per verbum, vt cum dicitur: *Homo studet, Homo currit*, in quibus propositionibus ly *homo* supponit pro aliquibus suppositis naturæ humanæ; at non pro omnibus, sed pro illis, qui student aut currunt, dum profertur propositio.

22. Rursus suppositio personalis diuiditur in *distributiuam, copulatiuam, determinatam, & confusam. Distributiua* est acceptio termini communis pro omnibus contentis sub natura communi seorsim sumptis, ita vt de quolibet ex ipsis per se ac determinate possit illud prædicatum, quod dicitur de termino communi, prædicari, hoc modo supponit ly *Homo* in hac propositione: *omnis homo est animal*: quia verum est dicere de quolibet determinato indiuiduo humano, quod sit animal. Suppositio *copulatiua* est quando accipitur terminus communis pro omnibus inferioribus simul sumptis,

hoc

hoc modo ſupponit ly *Apoſtoli* in hac propoſitione : *omnes Apoſtoli ſunt duodecim* : quia non eſt verum dicere de quolibet Apoſtolo , nec de tribus, aut quatuor,aut decẽ;ſed de omnibus ſimul.

Suppoſitio determinata eſt acceptio termini communis pro aliquo ex ſuis ſignificatis , quod poſſit determinate oſtendi à Deo , vel à quocumque qui videret omnia indiuidua iſtius naturæ communis cum omnibus ſuis accidentibus , quamuis ex vi iſtius propoſitionis non magis competat prædicatum quod dicitur , vni indiuiduo quam cæteris:Nec poſſit quis cognoſcere,quodnam determinate ſit illud , cui competit illud prædicatum : hoc modo ſupponit ly *Homo* in hac propoſitione : *Aliquis homo diſputat , aliquis homo morietur cras* : Nam poſſet Deus oſtendere quiſnam ille ſit , & quicumque alius qui videret aliquem diſputantem, aut qui ſciret aliquem determinatum hominem moriturum ; Tamen ex ſuppoſitione illa præciſe non datur intelligi, quod vllus vnus determinatus homo magis quam quicumque alius diſputat aut ſit moriturus , dicitur autem hæc ſuppoſitio determinata : quia habet magis determinatam ſignificationem , quam ſuppoſitio confuſa.

23. Suppoſitio confuſa eſt acceptio termini communis pro aliquo ex inferioribus,ſed tam incerto & indeterminato modo, vt nec ab ipſo Deo poſſit vllum determinatum inferius oſtendi, pro quo determinate ſupponat, ſic ſupponit *Penna* in hac propoſitione : *Aliqua penna eſt neceſſaria ad ſcribendum, & equus* in hac : *aliquis equus eſt neceſſarius ad equitandum* : Nec enim Deus ipſe poteſt oſtendere vllam determinatam pennam aut vllum determinatum equum, qui ſic ſit neceſſarius, quandoquidem quicumque alius poſſet ſufficere. Quod ſi velis hanc ſuppoſitionem à ſuperiori diſtinguere (in quo aliqui plurimum laborant) debes aduertere,quod quando terminus ſupponit determinate, tunc ſi concedatur , quod prædicatum competat nulli ex inferioribus præter vnum,neceſſario debeat competere iſti vni,vnde ſi dicam:*Aliquis Euãgeliſta comparatur Aquilæ*:quia ly *Euangeliſta* ſupponit determinate,verum eſt quod ſi nec Lucas, nec Matthæus, nec Marcus comparetur Aquilæ,Ioãnes debeat ipſi comparari. Sed quando terminus ſupponit confuſe , quamuis prædicatum negetur de omnibus inferioribus præter vnum , non tamen debet poſſe prædicari de illo , vnde quando dico , quod aliquis oculus eſt mihi neceſſarius ad videndum , quamuis ex duobus oculis , quorum alteruter eſt neceſſarius,verum ſit quod oculus dexter non ſit neceſſarius , tamen non ſequitur quod ſiniſter ſit neceſſarius.

24. Denique ſuppoſitio diſtributiua eſt duplex , alia completa , & eſt acceptio termini communis pro ſingulis generum, hoc eſt pro quolibet omnino inferiori ſuo : vt cum dicitur : *omne animal eſt viuens* : Nam quandoquidem nullum ſit animal quod non ſit viuens, ly *animal* pro omni omnino animali inferiori ſupponit. Alia eſt diſtributiua pro generibus ſingulorum , & eſt acceptio termini ſignificantis naturam genericam pro ſingulis ſpeciebus eius, non vero pro ſingulis indiuiduis cuiuſcumque ſpeciei : Hoc modo ſupponit ly *animal* in hac propoſitione : *omne animal fuit in arca Noë* : Cuius ſenſus eſt, non quod omne indiuiduum animalis vt ſic fuerit in illa arca , ſed quod omnis ſpecies animalis fuerit in ipſa , ſeu quod cuiuſcumque ſpeciei animalis aliquod indiuiduum fuerit in illa arca. Et vltimo aduerte , quod cum ſuppoſitio termini nihil aliud ſit, quam eius ſignificatio, diuerſa erit pro diuer-

sis modis significandi, quos termini possunt habere. Vnde suppositio non melius cognoscitur, quam ex modo significandi terminorum, qui modus ex vsu, ex intentione loquentis, & ex prædicatis, quibus limitantur, dignoscetur: vt *omnes Apostoli* si pro prædicato apponatur *iusti*, supponet distributiue, si vero apponatur *duodecim*, supponet copulatiue.

25. Secunda proprietas seu affectio termini est *Ampliatio* & est acceptio termini pro diuerso tempore ab eo quod per verbum propositionis significatur: vt ibi *Homo iustus peccat*, propositio sonat quod sit simul iustus & peccans, quod est contradictio. Ampliatur ergo ly *iustus* ad tempus præteritum, ita vt sensus sit, hominem, qui antea erat iustus & sanctus, nunc peccat. Hinc fit quod quando terminus sumitur pro eodem tempore importato per copulam: vt *Petrus disputat*, propositio habeat statum, & terminus non amplietur ad extensiorem significationem.

26. *Restrictio* est coarctatio termini à maiori ad minorem significationem: vt ibi *Homo Doctus est honorandus*, vbi terminus *Homo*, qui ex se significat omnes homines; addita particula *Doctus* restringitur præcise ad aliquos: Vbi Nota, bene argui affirmatiue à termino non restricto ad restrictum: vt ibi *omnis homo moritur*, ergo *homo sapiens moritur*, & *fortis moritur*; non vero è contra: *Homo fortis pugnat viriliter*, ergo *omnis homo pugnat viriliter*. Negatiue autem bene arguitur à restricto ad non restrictum: vt ibi, *homo fortis non disputat*, ergo *non omnis homo disputat*; non vero è contra à non restricto ad restrictum negatiuè: vt ibi *non omnis homo pugnat viriliter*, ergo *homo fortis non pugnat viriliter*.

27. *Diminutio* præcedenti proprietati similis, est acceptio seu vsus termini cum additione vocis, qua non absolute sed secundum quid significat: vt ibi *Æthyops est albus secundum dentes*, vbi ly *secundum dentes* limitat significationem absolutam albedinis, quæ aliàs totum Æthyopem significaret album.

28. *Alienatio* est qua terminus à propria ad impropriam significationem transfertur, idest ad significandum aliquid aliud, idque propter adiunctionem alicuius alterius vocis aut termini: Hoc modo afficitur ly *Homo* in hac propositione: *Homo pictus non est animal rationale*, vbi ly *Homo* quod secundum se significat proprie animal rationale, propter adiunctionem ly *Pictus* non significat animal rationale, sed potius picturam externam talis animalis.

29. Vltima proprietas est *Appellatio* & est applicatio formalis significati vnius termini ad significationem alterius: vt *Homo est sapiens*. Ly sapiens applicat suum significatum formale termino *Homo*, quem denominat sapientem. Hæc appellatio est duplex, formalis scilicet & materialis, formalis est quando vnus terminus denominat significatum formale alterius formaliter: vt ibi: *Homo est iustus*; materialis est quando terminus denominat significatum materiale alterius: vt ibi *Musicus est Philosophus*, vbi solum denominatur subiectum materiale Musicæ esse etiam Philosophiæ. Solet autem circa hanc proprietatem termini oriri non parua æquiuocatio in sensu aliquarum propositionum: v. g. *Petrus magnus est Philosophus*. Nam potest ly *magnus* cadere, vel vt Summulistæ dicunt, appellare supra Philosophum, vel supra ipsum Petrum. Pro quo posset (in re parui momenti, & quæ ex materia de qua agitur, facile dignosci potest) regula generalis assignari: Quando ponitur adiectiuum post copulam seu ex

parte

parte prædicati: vt ibi *Petrus est bonus Philosophus*, afficit prædicatum, facitque hunc sensum, Petrus est doctus in Philosophia; Quando autem ex parte subiecti: vt ibi. *Petrus bonus est Philosophus*, afficit subiectum, facitque hunc sensum, Petrus qui est bonus, habet aliquam notitiam de Philosophicis.

CAPVT II.

De quinque prædicabilibus Porphyrij.

1. NOTITIAM de quinque prædicabilibus de GENERE scilicet *Specie*, *Differentia*, *Proprio* & *Accidenti* tanquam Isagogem seu introductionem ad Categorias seu prædicamenta Aristotelis ex Porphyrio præmittimus. Est enim maxime necessaria, vt ipse Porphyrius testatur ad exactam eorum intelligentiam: quia in illis frequenter huiusmodi voces enunciantur. Item ad assignandam cuiuscumque rei definitionem: species enim est quæ proprie definitur: definitio namque constat genere & differentia, ex quibus conflatur species. Deinde ad efficiendam diuisionem, quæ est generis in species per differentias, per propria seu passiones vel per accidentia. Denique ad conficiendam demonstrationem, in qua proprium seu passio vel aliquod simile demonstratur de specie. Vt ergo hæc omnia perfectius intelligantur, necesse est præmittere explicationem aliquam de his quinque vocibus, quam vt præstemus.

Nota, hæc quinque prædicabilia esse & dici propriè vniuersalia, propterea congruenter assumpta sunt ad explicanda & melius intelligenda prædicamenta. In quibus reperies subordinationem & inferioritatem vnius entitatis respectu alterius, propter quam & vnum subiicitur alteri, & istud prædicatur de illo. Igitur relicta huius vocis *vniuersalis* multiplici acceptione, Accipe eius definitionem. *Vniuersale est vnum in multis & de multis.* Id est vnum aptum esse in multis & prædicari de multis. Per hanc definitionem duplex vniuersale definitur & Metaphysicum & Logicum, secundum vltimam definitionis particulam dicitur Logicum, quia secundum quod vniuersale prædicatur de multis, spectat ad Logicum habere de illo aliqualem notitiam: quia notitia de terminis complexis, provt vnum prædicatur de altero, est etiam materia remota syllogismi, per veram enim illationem vnius ex alio conficitur syllogismus, nulla autem est verior quàm ab inferiori ad superius, ergo de terminis incomplexis superiori & inferiori præstat habere notitiam.

2. Igitur hoc vniuersale Logicum Quintuplex est *Genus* scilicet *Species*, *Differentia*, *Proprium* & *Accidens*. Sic Scotus q. 12. vniuersal. Tot enim sunt sunt vniuersalia, quot modis aliqua natura communis prædicatur de suis inferioribus; Hi autem sunt quinque: nam vel prædicatur (sic probat Scotus) tanquam essentia in quid vel in quale; Si in quid & vt essentia, vel vt pars essentiæ, & sic erit genus; vel vt tota essentia & sic erit species; Si vero prædicatur in quale, vel essentialiter, & sic est differentia; vel accidentaliter; & tunc dupliciter, vel accidentaliter necessario & sic erit Proprium; vel accidentaliter contingenter, & sic erit Accidens. De quibus sit Sectio I.

SECTIO I.

De Genere primo Prædicabili.

3. GEnus provt à dialectico consideratur, sic definitur. *Est quod prædicatur de pluribus specie differentibus in eo quod quid.* Sic Porphyrius & est definitio bona & exacta : nam per *prædicari de pluribus* conuenit cum cæteris vniuersalibus tanquam per rationem genericam. Per ly *differentibus specie* differt à specie quæ solum de numero differentibus prædicatur, vt sect. seq. videbimus. Per ly *in eo quod quid* differt à Proprio & Accidenti. Exemplum huius prædicabilis sit *Animal* quod prædicatur de homine & bruto : sunt enim specie differentia & prædicatur in quid de ipsis : est namque pars essentialis cuiuslibet.

Vbi Nota, quod *prædicari in quid*, idem est ac prædicari essentiam de subiecto. Quod quidem conuenit non solum generi, sed etiam speciei, imo differentiæ : nam ex Aristot.7.Topicor. cap. 2. differentia prædicatur *in quid* : est enim pars quidditatis sicut genus, diuerso tamen modo : nam genus prædicatur *in quid substantive* seu per modum subsistentis ; differentia autem *adiectiue* & per modum alteri adiacentis, id est qualificantis, & sic prædicatur non in quid absolute, sed *in quale quid.*

Arbor Prædicamentalis.

4. Verùm ad exactam intelligentiam dicendorum, finge tibi arborem prædicamentalem substantiæ in hunc modum : In superiori loco sit *substantia* quod est genus generalissimum huius prædicamenti. Hæc diuiditur per differentias *corpoream* & *incorpoream.* Contracta ex vno latere per corpoream constituit *Corpus*, & ex alio per incorpoream constituit *Spiritum*, quæ est substantia spiritualis seu incorporea. Deinde *Corpus* diuiditur per differentias *animatum* & *inanimatum*, Contractum per *animatum* constituit *viuens.* Quod postea diuiditur per differentias *sensibile* & *insensibile.* Contractum per sensibile constituit *animal* : Definitur enim animal, quod sit *viuens sensibile* : *Animal* deinde diuiditur per differentias *rationale* & *irrationale.* Contractum per *rationale* constituit *Hominem*, qui est *animal rationale.* Postea *Homo* diuiditur per differentias indiuiduales : in Petrum & Paulum v. g. quæ sunt indiuidua naturæ humanæ.

Est itaque in hac arbore & genus generalissimum & species specialissima seu infima, genus generalissimũ scilicet *substantia* est quod supra se non habet aliud genus, idest quod sub nullo genere collocatur. Species specialissima scilicet *Homo* est quæ sub se nullam habet speciem, sed solum de numero differentibus scilicet de Petro & Paulo prædicatur. Aliæ sunt species intermediæ : vt *Corpus, Viuens*, *Animal*, quæ & etiam dicuntur genera intermedia, respectu tamen diuersorum, videlicet respectu Superioris species, respectu inferiorum genera. Propterea quando substantia prædicatur de corpore & Spiritu, non prædicatur de illis tanquam de differentibus genere, licet aliâs genere differant: quia vt respiciunt ipsam tanquam quid superius, in quo sensu prædicatur de ipsis, non induunt rationem generis : tunc enim non considerantur quatenus prædicabiles sunt, sed quatenus subiicibiles, & vt sic solum induunt rationem speciei, vnde substantia prædicatur de illis, vt sunt species diuersæ, non vt sunt genera diuersa : Rursus notare debes, quod omne superius recte prædicatur de inferiori sub illo contento in recta linea,

& sic substantia de corpore, Corpus de Viuenti, Viuens de animali, animal de homine, homo de Petro recte prædicatur;Petrus autem quia sub se nullum continet, non potest prædicari de aliquo. Item non solum prædicatur superius de inferiori, sed etiam omnia quæ tali superiori conueniunt secundum se: vt verbi gratia. Viuenti quod prædicatur de animali conueniunt tanquam passiones esse mortale, nutribile, augmentabile, ægrotabile, sanabile, omnia ista etiam prædicantur de animali. Similiter animali conueniunt tanquam passiones propriæ esse irascibile, progressiuum, auditiuum, imaginatiuum &c. ista etiam prædicantur de homine: quia animali, quod de ipso prædicatur, conueniunt. Hæc omnia habere debes in promptu,& pro intelligendis reliquis prædicabilibus ac prædicamentis, & pro conficiendis syllogismis, ad quod maxime oportet vti terminis non inuertendo ordinem & subordinationem eorum.

SECTIO II.

De Specie secundo Prædicabili.

5. SPecies est: *Quid prædicabile de pluribus numero differentibus in eo quod quid.* Sic Porphyrius, cuius definitionis sufficientiam sic ostendo. Per *prædicari de pluribus* conuenit cum cæteris prædicabilibus tanquam per rationem genericam. Per *prædicari in Quid* conuenit cum genere, & differt à Proprio, Accidenti & Differentia, quæ non *in Quid*, sed *in Quale quid* prædicatur. A genere vero non restat alia particula per quam differat,nisi per ly de *numero differentibus*; sed hæc non est sufficiens ratio ad constituenda diuersa prædicabilia: vt patet in differentia subalterna & differentia infima, quæ non propterea constituunt diuersa prædicabilia; quia vna de specie, altera de numero differentibus prædicetur, ergo sic erit in proposito. Ad quod ℞. Cum Scoto q. 17. Vniuersal. rationem differentiæ inter genus & speciem esse: quia genus prædicatur in quid *incomplete* seu per modum partis essentialis, species vero in quid *complete* seu vt tota essentia. Vnde dico, quod in ly *de specie differentibus* in definitione generis imbibitur implicite particula *incomplete*: quia cum genus non includat formaliter differentias, per quas contrahitur, non potest esse tota essentia speciei, quæ ex eodem & differentia essentialiter componitur, atque adeo non nisi *incomplete* prædicatur de speciebus sibi inferioribus: v. g. Animal incomplete prædicatur de homine & bruto: quia cum non includat formaliter rationale, aut irrationale,quæ sunt differentiæ, per quas contrahitur ad esse hominis & ad esse bruti, quæ sunt species sibi inferiores, non nisi vt pars & incomplete potest prædicari de illis. Quod secus contingit in specie respectu indiuiduorum, propterea prædicatur de illis complete & vt tota essentia: v. g. Homo quando prædicatur de Petro & Paulo: quamuis enim non includat formaliter differentias indiuiduales per quas contrahitur: quandoquidem istæ non variant essentiam indiuiduorum: aliàs non indiuidua, sed species diuersæ essent, non propterea prædicatur vt pars, sed vere vt tota essentia inferiorum.

Aduerte etiam, quod licet Genus v. g. animal possit prædicari de solo numero differentibus: vt sic dicatur, Petrus est animal, non propterea confunditur cum specie: nam & in hoc ipso

ipso est differentia imbibita implicite in definitionibus: nam animal prædicatur immediate de specie differentibus, mediate vero de differentibus numero scilicet de Petro & Paulo; at vero species immediate prædicatur de illis & solum de illis. Ex quo vlterius habes hic solum definiri à Porphyrio speciem specialissimam seu infimam: illa enim sola est quæ prædicatur de differentibus numero; reliquæ autem species intermediæ seu subalternæ: vt *corpus*, *viuens*, *animal*, possunt etiam prædicari de differentibus specie: quamuis in rei veritate tunc non species, sed genera debent appellari: vt pote respiciunt sua inferiora, respectu quorum non species sed genera dicuntur.

De Indiuiduo.

6. Quia species correlatiua est generis, ideo post genus definitionem speciei assignauimus, & propter eamdem rationem hic post speciem rationem indiuidui explicabimus cum Porphyrio. Si consideretur primo intentionaliter sic describitur: Est illud, *quod ex proprietatibus consistit, quarum collectio nunquam in alio eadem erit.* Has proprietates Boetius hoc versu comprehendit.

Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus:

Per *formam* denotatur pulchritudo & aliarum qualitatum temperies: Per *figuram* Quantitas & membrorum dispositio. Per *locum* & *tempus*, locus & instans natiuitatis. Per *nomen* Appellatio seu cognominatio. Per *stirpem* prosapia. Per *patriam* denique Prouincia, Regnum, ciuitas vel oppidum, in quo natus est quisque. Hæc descriptio communiter recipitur ab authoribus vt bona, adhibitis tamen aliquibus explicationibus & limitationibus, quas adducit noster Poncius disp. 6. q. 1. Ipse vero aliam cum communi recentiorum vt meliorem & exactiorem proponit, Quæ talis est: *Indiuiduum seu singulare metaphysicum seu primo intentionaliter sumptum* (quod idē est) *est id quod ex se non potest inexistere pluribus, in quibus numeretur & diuidatur, & quorum quodlibet sit ipsum.* De cuius examine in Metaphysica vt in proprio loco. Si consideretur autem secundo intentionaliter seu logice (quod idem est) sic definitur Indiuiduum: Est illud *quod de vno solum prædicari potest.* Item & *quod subiicitur speciei.* Hæc posterior definitio debet intelligi cum aliquibus limitationibus, primo vt ly *speciei* intelligatur de specie infimâ: alias ipsa species infima esset etiam indiuiduum: quia subiicitur speciei subalternæ. Item hæc subiectio intelligenda est non ita, vt non subiiciatur alicui, quod non sit species infima: quia subiicitur etiam generi & omnibus prædicatis superioribus ad speciem: iuxta regulam sect. præcedenti assignatam: nam sicut dicitur Petrus est homo, ita potest dici: Petrus est animal, Petrus est viuens, Petrus est corpus, &c. Sed intelligendum est vel ita vt non subiiciatur generi immediate, sicut subiicitur speciei infimæ, vel ita quod sit per accidens ad naturam ipsius, quod subiiciatur alij, quam speciei infimæ.

Prior definitio sic explicatur: quia per eam declaratur natura indiuidui vt distinguitur ab vniuersali, quatenus vtrumque dicit ordinem ad actus comparatiuos intellectus, ergo benè definitur sic, consideratum secundo intentionaliter. Probatur, quia vniuersale ex dictis est quod potest prædicari de multis, ergo quod non potest prædicari de multis, sed de vno solo, habet naturam distinctam ab vniuersali vt sic; Et oratio quâ talis natura explicatur,

cum com-
em & exa-
is est : *In-*
physicum seu
m (quod
potest inexi-
retur & di-
sit ipsum.
hysica vt in
tur autem
eu logice
tur Indiui-
solum præ-
subiicitur
nitio debet
tationibus,
ır de specie
nfima esset
iicitur spe-
biectio in-
n subiicia-
es infima :
i & omni-
d speciem:
nti assigna-
rus est ho-
est animal,
orpus,&c.
ita vt non
tate, sicut
el ita quod
um ipsius,
speciei in-

tur : quia
ndiuidui vt
, quatenus
actus com-
enè defini-
o intentio-
iuersale ex
ædicari de
otest prædi-
olo, habet
niuersali vt
ura explica-
tur,

C. Julius Cæsar

PROGENIES CÆSARVM

Brevibus commentariis adornata ad illustrandum Suetonium:

Adjecti numeri paginam indicant.

- C. Julius Cæsar prætor: Uxor Aurelia:
  - C. JVLIVS CÆSAR dictator, I. Imp.
    - cujus uxores
      - Cossutia dimissa est.
      - 2. Cornelia Cinnæ fil. 2. 6.
        - Julia nupta Cn. Pompejo M. decessit in partu 2. 16.
          - Cn. Pompejus ad Mundam captus occisus est à Julio Cæs. Dict.
          - Sex. Pompejus Pius à M. Antonio occisus est 69.
          - Pompeja nupta Corn. Fausto Felici.
            - Faustus periit in acie Pharsalica 49.
      - Pompeja Syllæ neptis dimissa ob adulterii suspicionem cum Claudio 6. 47.
      - Calpurnia Pisonis fil. 16.
    - amasia præcipua
      - Cleopatra Ægypti Regina 37. 76.
        - Cæsario 37. 76.
  - Julia major nupsit primùm L. Pedio. postea L. Pinario.
    - Q. Pedius.
    - L. Pinarius
  - Julia minor nupsit primùm Atio BALBO 65. postea L. Martio Philippo 68.
    - Atia uxor Octavii 64.
      - Ex Ancharia Octavia major de qua nihil certi 65.
      - Ex Atia Octavia minor nupsit 65. 112.
        - 1. C. Marcello,
          - M. Marcellus gener Augusti destinatus, obiit ante nuptias.
          - Marcella major nupsit
            - 1. Agrippæ 113.
            - 2. M. Julio Antonio.
            - 3. S. Appulejo.
              - Liberi ex illis nati sunt sed nomina non traduntur 113.
          - Marcella minor nupsit M. Val. Messalæ.
            - Val. Messalina Claudii 5. Imp. uxor.
            - L. Domitii Ænobarbi
              - Cnæus Domitius Ænobarbus cujus uxor Agrippina Germanici fil. 287.
                - NERO 6. Imp. se ipse necavit ejus uxores
                  - Octavia à Nerone necata 315.
                  - Poppæa Sabina à Nerone necata 315.
                    - Ex priori marito Rufinus Crispinus mari immersus jussu Neronis 317.
                    - Claudia Augusta infans periit 317.
                  - Statilia Messalina 315. 361.
              - Domitia Lepida nupsit 290. 315.
                - 1. Val. Messalæ
                - 2. App. Junio Silano
                - 3. Serv. Sulp. Galbæ Cujus uxor Mummia Achaica 337.
                  - Cajus Sulp. GALBA 7. Imp
        - 2. C. Pompejo Magno,
        - 3. M. Antonio III Viro.
          - Antonia major uxor 288.
          - Antonia minor uxor Drusi vide infrà.
      - OCTAVIUS AVGVSTVS 2. Imp. ejus uxores:
        - 1. Servilia Servilii Isaurici fil. dimissa 112.
        - 2. Claudia Fulviæ filia, intacta dimissa 112.
        - 3. Scribonia ob morum perversitatem repudiata 112. 453.
          - Julia fame tandem contabuit nupsit 113. 116.
            - 1. M. Marcello 113.
            - 2. M. Vipf. Agrippæ 113.
              - Cajus Cæs. obiit in Lycia 114.
              - Lucius Cæsar obiit Massiliæ 114.
              - Agrippa Postumus occisus est in insula Planasia 114. 163.
              - Julia uxor Æm. Pauli obiit in exilio 78. 114.
                - Æmilia Lepida nupsit
                  - 1. Claudio 5. Imp. 269.
                  - 2. App. Junio Syllano. 272.
                    - M. Junius Syllanus veneno obiit.
                    - L. Syllanus sibi mortem conscivit 272. 273.
                    - Junia Calvina nurus Vitellii 401.
                      - Syllanus Torquatus venis apertis Neronis jussu periit.
                      - Syllanus de quo pauca reperiuntur.
                      - Junia Claudilla uxor Caligulæ 206.
                      - Lepida nupta C. Cassio Jurisconsulto.
                        - L. Syllanus ultimus ex Augusti posteritate per Juliam: jussu Neronis interfectus est, qui velut in pugna cecidit.
              - Agrippina uxor Germanici inedia confecta est. 114.
            - 3. Tiberio Imper.
        - 4. Livia Drusilla quæ JVLIA dicta ex Augusto nullos liberos suscepit, ex priore marito Tiberio Druso 112. 150. 180. 245. 254.
          - TIBERIVS 3. Imp. cujus uxores
            - Vipf. Agrippina, Agrippæ & Pomponiæ F. P. Attici neptis, ægrè à Tiberio dimissa 152.
              - Drusus Cæsar obiit veneno à Livilla uxore & Sejano exhibito 152. 182. 173.
                - Julia nupta primùm Neroni Germanici filio postea Rubellio Planco à Claudio 5. Imp. necata
                  - C. Rubellius Plancus à Nerone occisus est.
              - Tiberius à Cajo occisus 184.
            - Julia Augusti filia, obiit in exilio. 113. 152.
          - Nero Claudius Drusus obiit in Germania. Ejus uxor Antonia minor III. Viri fil. 153. 180. 199. 209. 245. 248.
            - Germanicus veneno periit in Syria. Ejus uxor Agrippina 182. 199. 173. 203. 247.
              - Tres infantes periere 203.
              - Nero periit fame 184. 203.
              - Drusus periit fame 184. 203.
              - CAIVS Caligula 4. Imp. à suis necatus, ejus uxores
                - 1. Junia Claudilla periit in partu 206.
                - 2. Livia Orestilla priùs C. Pisoni nupta obiit in exilio 219.
                - 3. Lollia Paulina priùs C. Memmio nupta jussu Agrippinæ Claudii uxoris necata 219. 270.
                - 4. Cæsonia à centurione necata 219. 244.
                  - Julia Drusilla infans parieti illisa 220. 231. 244.
              - Drusilla nupsit L. Cassio Longino 203. 218.
              - Julia Livilla nupsit M. Vinicio relegata à Cajo occisa à Claudio 203.
              - Agrippina nupsit Cn. Domitio & postea CLAVDIO 5. Imp. à Ner. interfecta est. 203. 313.
                - NERO 6. Imp. vide suprà.
            - Livilla à Cajo contempta, mœrore defecit 247.
            - CLAVDIVS 5. Imp. veneno periit, Ejus uxores
              - 1. Æmilia Lepida etiam virgo repudiata 269.
              - 2. Livia Medullina obiit ex valetudine 269.
              - 3. Plautia Urgulanilla repudium passa est 269. 271.
                - Drusus pyro in sublime jactato strangulatus est. 271.
                - Claudia exposita & nuda abjecta. 271.
              - 4. Ælia Petina ob leves offensas repudiata est 269. 270.
                - Antonia cujus mariti 271. 317.
                  - Cn. Pompejus à Claudio necatus. 271. 272.
                  - L. Sylla à Nerone interemptus. 271. 272.
              - 5. Val. Messalina jussu Claudii necata est 269.
                - Britannicus veneno à Nerone exhibito periit. 271. 281.
                - Octavia à Nerone necata cujus mariti 271.
                  - L. Syllanus 271. 272.
                  - NERO 6. Imp.
              - 6. Agrippina. Ejus mariti
                - 1. Cn. Domitius.
                - 2. C. Bassienus Crispus.
                - 3. CLAVDIVS 5. Imp.

tur, sufficienter declarat naturam eius. Ponitur igitur in illa descriptione aliquid in quo conuenit cum vniuersalibus secundo intentionaliter acceptis: nimirum quod sit *vnum prædicabile*; Et ponitur aliud pro differentia ipsius ab illis: nimirum quod sit prædicabile, non de multis, sed *de vno solo*: vt si dicatur: Petrus est Petrus.

SECTIO III.

De Differentia tertio Prædicabili.

7. PORPHYRIUS triplicem differentiam assignat: communem scilicet, propriam & propriissimam. Communis est Accidens separabile faciens rem aliquam accidentaliter differre ab alia: vt albedo quæ facit parietem album accidentaliter differre à pariete nigro. Differentia propria est accidens inseparabile faciens rem aliquam necessario differre ab alia: vt nigredo in coruo, quæ inseparabilis est naturaliter, & necessario inest ipsi,& per illam differt à Cygno. Differentia propriissima est illa, quæ facit rem aliquam essentialiter differre ab alia, quæque cum genere constituit speciem: vt *rationalitas*, quæ cum genere *animal* constituit speciem, nempe hominem.

Rursus hæc differentia propriissima potest triplicem rationem sortiri: scilicet vel *diuisiua* vel *constitutiua* vel *prædicabilis*: *Rationale* v. g. quatenus diuidit animal est diuisiua, quatenus constituit hominem vt pars essentialis eius, est constitutiua; & quatenus prædicatur de Petro & Paulo, &c. est prædicabilis. Et secundum hanc tertiam rationem, secundum quam constituitur in esse vniuersalis, & nobis in præsenti competit agere de illa, definitur sic: *Differentia est quid prædicabile de pluribus specie vel numero differentibus in quale quid* Notanter dixi *secundum tertiam habitudinem*: Hoc est vt respicit Petrum & Paulum, quæ sunt indiuidua speciei, quam constituit, *habere rationem prædicabilis & vniuersalis*: quia licet prius & immediatius prædicetur de specie: vt cum dicitur *Homo est rationalis*, tamen vt respicit ipsam non est prædicabilis de multis, quod est prima ratio vniuersalis. Quare vsque dum respiciat indiuidua seu inferiora speciei, in quibus inexistit cum multiplicatione, nondum est vniuersalis. Definitio tradita est bona & exacta: quia per *prædicari de pluribus* conuenit cum reliquis vniuersalibus. A genere & specie differt per ly *in quale quid* idest per modum qualificantis. Per particulam *in quid* idest quæ prædicatur tanquam differentia, differt à Proprio & Accidenti: nam ista in quale accidentale, non in quale essentiale seu in quid prædicatur.

8. Et Nota, sub ista definitione duplicem differentiam definiri, subalternam scilicet & infimam. Illa est quæ constituit speciem subalternam: vt *animatum*,quæ cum genere *corpus* quod diuidit, constituit speciem subalternam scilicet *viuens*, differentia infima est quæ constituit speciem infimam: vt rationale, quæ cum genere *animal*, quod diuidit,constituit hominem,quæ est species infima. Itaque per particulam *specie differentibus* definitur differentia subalterna, quæ quia constituit speciem subalternam,dicitur talis; species autem subalterna, vt diximus supra, dicitur etiam genus respectu inferiorum, de quibus vt de differentibus specie prædicatur, ideo differentia ipsam constituens prædicatur etiam de specie differentibus. Per particulam *numero differentibus* definitur differentia vltima: nam species infima, quam

constituit, prædicatur etiam de solo numero differentibus: Vt *Homo*.

Quod si inquiras, An differentia subalterna & infima differant essentialiter & in ratione prædicabilis? Quia si sic constituent diuersa prędicabilia. ℞. Negatiue cum Scot. q.27. vniuersal. quia de ratione differentiæ vt sic, quæ est tertium prædicabile, solum est quod sit prædicabile de multis *in quale quid*; Quod autem hæc multa differant specie vel numero, id est accidentale differentiæ vt sic, quæ est tertium prædicabile: Saluatur enim tota essentia eius vt talis, siue de numero siue de specie differentibus prædicetur.

SECTIO IV.

De Proprio quarto Prædicabili.

9. PRoprium ex Porphyrio quadrupliciter sumi potest: nam aliud est quod vni tantum speciei conuenit, non vero omnibus eius indiuiduis: vt esse Musicum, esse Philosophum, quod solis hominibus; non tamen omnibus conuenit. Aliud est quod omnibus indiuiduis vnius speciei conuenit, sed non Solis: vt esse bipedem quod omnibus hominibus connaturaliter, sed non solis, quandoquidem conueniat etiam auibus. Aliud est quod conuenit omnibus & solis indiuiduis vnius speciei, non tamen semper: vt ridere, quod omnibus & solis hominibus conuenit, non tamen semper. Aliud denique est quod omnibus & solis indiuiduis vnius speciei & etiam semper conuenit: vt esse risibile conuenit hominibus. Et hoc proprium conuertitur cum specie quantum ad consequentiam: recte enim infertur. Est homo, ergo est risibile: est risibile, ergo est homo.

Proprium in hac vltima acceptione, de quo in præsenti, sic descripsit Aristoteles 1. Topicor. cap. 4. *Est quod non indicat esse rei, soli autem inest, & conuersim prædicatur.* Porphyrius vero sic definit: *Est quod accidit, soli alicui speciei & omni ac semper.* Hæ duæ definitiones in re coincidunt, & applicari possent tam proprio primo intentionaliter, quàm secundo intentionaliter considerato. Verùm clarius definitur sic, provt secundo intentionaliter seu logicè consideratur. *Est quid prædicabile in quale de pluribus specie vel numero differentibus, tanquam aliquid ipsis conueniens non essentialiter, sed necessario tamen.* Huius definitionis sufficientia, sicut & differentiæ sect. præced. sic ostenditur. Per *prædicari de pluribus* conuenit cum reliquis prædicabilibus, Per *in Quale* differt à genere, specie & differentia, quæ prædicantur *in quid*, Per particulam *necessario* quod idem est ac inseparabiliter differt ab Accidenti quinto prædicabili, quod non prædicatur necessario, sed contingenter vt videbimus. Hæc autem inseparabilitas talis debet intelligi, vt nec supernaturaliter seu de potentiâ absoluta Dei possit proprium separari à subiecto seu re cuius est proprium: alias non haberemus sufficientem rationem distinguendi ipsum ab Accidenti quinto prædicabili. Ponitur ly *specie vel numero differentibus*, vt comprehendat & Proprium subalternum & Proprium infimum. Exemplum primi est sensitiuitas seu aptitudo ad sentiendum, quæ & prædicatur de indiuiduis Bruti, & de indiuiduis Hominis, quæ sunt specie diuersa. Exemplum secundi est risibilitas seu aptitudo ad ridendum, quæ de solis indiuiduis naturæ humanæ prædicatur. Reliqua quæ hîc notari possent, addisci debent iuxta dicta sect. præced. de Differentia.

SECTIO

SECTIO V.

De Accidenti quinto Prædicabili.

10. DVas definitiones Accidentis aſsignauit Porphyrius, quæ fere in idem coincidunt. Prima eſt: Accidens eſt illud *quod poteſt adeſſe & abeſſe ſine ſubiecti corruptione.* Secunda *Quod poteſt eidem ineſſe & non ineſſe.* Quælibet ex hic definitionibus poſſet accommodari Accidenti tam *primo* quam *ſecundo intentionaliter* ſumpto: nam ſi intelligatur per abeſſe & adeſſe, quod poſſit realiter ſeparari & coniungi ab illo reſpectu cuius dicitur Accidens, conuenit Accidenti primo intentionaliter ſumpto; & ſi intelligatur per adeſſe & abeſſe, quod poſſit prædicari contingenter de pluribus, hoc eſt tanquam aliquid quod ipſis contingenter accidit, conuenit Accidenti ſecundo intentionaliter ſumpto. De veritate definitionis prout accommodatur Accidenti primo intentionaliter ſumpto, diſputabimus ex profeſſo in Metaphyſica diſp. 9. q. 1. Prout ſumitur ſecundo intentionaliter, clarius definitur ſic. *Eſt quod poteſt prædicari de pluribus in quale contingenter.* Per particulam *prædicari de pluribus* conuenit cum reliquis prædicabilibus. Per prædicari *in quale* differt à genere, ſpecie & differentia; Et per prædicari *contingenter* differt à Proprio, quod neceſſario & inſeparabiliter prædicatur.

11. Sed Notare oportet, Accidens comparari poſſe ad plura dupliciter: nam vel comparatur ad plura, quæ ſunt inferiora eius, & de quibus prædicatur per ſe & eſſentialiter, vel comparatur ad plura, quæ ſunt ſubiecta eius, & de quibus prædicatur contingenter: v. g. Color ſi comparetur ad inferiora vt ad albedinem & nigredinem, erit genus reſpectu earum; Et albedo quando de hac & illa albedine prædicatur, erit ſpecies. Si vero ad parietem vel lapidem quæ ſunt ſubiecta albedinis comparetur, tunc eſt Accidens & conſtituit hoc quintum prædicabile: quia tunc ſolum prædicatur contingenter.

SECTIO VI.

De Prædicatione.

12. AD perfectam intelligentiam prædicabilium oportet explicare & breuiter, quid ſit & quotuplex ſit prædicatio? In lata ſignificatione ſumitur pro propoſitione tam affirmatiua quam negatiua; ſtrictè vero pro ſola affirmatiua: hæc enim eſt quæ verè prædicatio dicitur, & ſic ſumpta definitur: *Iudicium quo affirmamus vnum eſſe alterum.* Si res ita fuerit, vt affirmatur, prædicatio erit vera, ſi ſecus fuerit, erit falſa.

Prædicatio adæquate diuiditur in identicam & formalem. Identica eſt illa, in qua vel idem prædicatur de ſe ipſo, vel aliquid prædicatur de alio, quod non habet ſe per modum formæ ipſius, ſiue eſſentialis ſiue accidentalis: Exemplum primæ eſt iſta: *Petrus eſt Petrus.* Exemplum ſecundæ iſta: *Miſericordia diuina eſt Iuſtitia diuina.* Vbi iuſtitia Dei propter identitatem realem cum miſericordia prædicatur de illa, non tamen per modum formæ ipſius ſiue eſſentialis: quia non eſt de conceptu formali & eſſentiali eius; ſiue accidentalis: quia non eſt accidens eius, neque accidentaliter coniunguntur.

Prædicatio formalis eſt qua aliquid prædicatur de aliquo per modum for-

mæ : vt quando dicitur *Petrus est Homo, Homo est animal, Paries est albus*; Hoc autem contingit dupliciter : quia vel prædicatur per modum alicuius prædicati essentialis & intrinseci, hoc est per se primo competentis rei; vel per modum alicuius proprietatis aut accidentis recepti in illa re, siue immediate : vt cum dicitur *substantia est quanta*, siue mediate, hoc est mediante aliquo quod in illa recipitur : vt cum dicitur *substantia est alba*; siue etiam denominantis illam extrinsece : vt cum dicitur : *paries est cognitus, paries est visus*.

Rursus prædicatio formalis alia est directa & naturalis, alia indirecta & contra naturam. Directa est illa in qua prædicatum est de essentia subiecti, aut continet formam re verà afficientem subiectum : vt *Homo est animal. Petrus est albus.* Indirecta est in qua subiectum est de essentia prædicati, aut continet formam afficientem ipsum prædicatum : vt *animal est homo, album est Petrus.* Præterea prædicatio formalis directa alia est in qua prædicatum est de essentia subiecti materialiter sumpti : vt ibi *album est dulce*, in qua prædicatum continet dulcedinem, quæ est forma subiecti habentis albedinem, non provt illam habentis, sed secundum se : Quod idem est ac dicere ? Est forma subiecti, quod habet albedinem, non vero concreti resultantis ex subiecto, & albedine. Alia est in qua prædicatum est de essentia subiecti formaliter sumpti : vt ibi *album est coloratum*, in qua prædicatum est de essentia subiecti provt habentis albedinem. Omitto alias diuisiones, quæ ex dictis facile colliguntur.

Ex his clare conspicitur, omnes prædicationes, in quibus quinque prædicabilia de suis inferioribus affirmantur, esse formales & directas : verbi gratia *Homo est animal* quæ est prædicatio *Generis. Petrus est homo* quæ est prædicatio *speciei. Petrus est rationalis* quæ est prædicatio *differentiæ. Petrus est risibilis* quæ est prædicatio *Proprij. Petrus est albus* quæ est prædicatio *Accidentis* : Sed aduertendum est, in omnibus his prædicationibus subiectum & prædicatum sumi in concreto : nam de prædicatione abstractorum aliter est dicendum, De quo erit specialis disputatio in posteriori parte Logicæ disp. 1. q. 4.

CAPVT III.

De decem categorijs seu Prædicamentis Aristotelis.

1. OMNIA quæ sunt in Vniuerso, & de quibus institui potest disputatio, reduxit Aristoteles ad decem classes, quæ categoriæ aut prædicamenta vocantur, siue ipse primus auctor illorum fuerit, siue insignis Pythagoricus *Archytas Tarentinus* Platonis Magister : vt vult Iamblicus, referente Boëtio, de quo noster Cauellus in Schol. 1. ad q. 6. lib. 5. Metaph. Scoti. & Toletus in præsenti. Quidquid ergo est in mundo aut est *Substantia*, aut *Quantitas* aut *Qualitas*, aut *Relatio*, aut *Actio*, aut *Passio*, aut *Vbi*, aut *Situs*, aut *Quando*, aut *Habitus*. Et quidquid in quæstionem vocatur aliquid istorum est : Aut enim quærimus : Quid est ? aut Quantum est? aut Quale? aut Quomodo se habeat ad aliud ? Quid agit ? Quid patitur ? Vbi est ? Quomodo est ? Quando est ? & Quid habet ? Quisquis item antiquorum

quorum de generibus his communissimis deque speciebus eorum, & specierum speciebus sermonem instituere capiebat, Is sane absolute sapiens habebatur: quippe sapientia antiqua his tantum cardinibus voluebatur, vt decem prædicamenta scopus esset & finis sapientiæ. Hæc ergo Aristoteles initio librorum, qui ad Logicum pertinent, præfixit, non quod vllum ratiocinandi modum contineant, sed quia exercitandis Logicæ rudimentis materiam præbent: sunt enim prædicamenta decem classes seu coordinationes rerũ, in quibus res omnes, creatæ saltem, continentur, secundum quod subiicibiles & prædicabiles sunt de se inuicem, vt vel ex ipso nomine seu inscriptione *Prædicamenti* constat. Et ob hunc eumdem finem nos ea tradimus in præsenti.

SECTIO I.

De Prædicamento Substantiæ.

2. NOn loquimur hîc de substantia provt significat naturam & essentiam rei: quia sic sumpta substantia non spectat ad aliquod speciale prædicamentum: cum nullum prædicamentum sit, in quo non ponatur natura & essentia rerum ad illud prædicamentum spectantium: nam sicut essentia hominis spectat ad hoc prædicamentum, ita essentia lineæ spectat ad prædicamentum Quantitatis, & essentia similitudinis ad prædicamentum Relationis. Sumitur ergo in præsenti substantia, pro ente quod opponitur accidenti, & habet diuersam essentiam ab essentia eius. Quod quidem merito ponitur in primo prædicamento: nam omnia accidentia ad ipsum ordinantur & sunt affectiones eius: Propterea *Entis entia* vocantur communiter à Philosophis.

Rursus substantia provt significat id quod opponitur Accidenti potest sumi dupliciter. *Primo* pro omni eo quod est ineptum inhærere, siue sit finitum siue infinitum, siue completum siue incompletum: & sic Deus est substantia, & materia prima forma substantialis & omnes differentiæ & modi ac proprietates & spectantes ad hoc prædicamentum. *Secundo* accipitur pro eo quod est summum genus huius prædicamenti, & competens formaliter illis solummodo, de quibus illud summum genus prædicatur *in quid*. Et in hoc sensu describitur: *Quod sit ens reale finitum completum per se existens, idest ineptum inhærere alicui tanquam subiecto & prædicabile formaliter & in quid de omni substantia reali singulari finita & completa.* Hæc descriptio est communis & sic explicatur: Dicitur *ens reale, finitum completum*: quia istæ sunt conditiones vt aliquid ponatur directe in prædicamento. Dicitur *per se existens* seu ineptum inhærere, vt distinguatur à generibus generalissimis aliorum prædicamentorum, quorum quodlibet est aptum natum inhærere. Dicitur & *prædicabile formaliter, &c.* Vt distinguatur substantia quæ est genus summum ab aliis substantiis completis inferioribus, quarum nulla est hîc: idest de omnibus prędicabilis.

3. Diuidit Aristoteles substantiam in *primam* & *secundam*, Per *primam* intelligit substantiam singularem: quia illa sola est, quæ *neque de subiecto dicitur*: hoc est non prædicatur formaliter de aliquo inferiori; *Neque in subiecto est*: idest non potest inhærere alicui subiecto: Sic definit eam Philosophus. Per substantiam *secundam* intelligit substantiam vniuersalem: Quia

illa sola est, *Quæ non inest quidem subiecto*: quandoquidem nequeat inhærere alicui; Sed *dicitur de aliquo subiecto*: quia prædicatur formaliter & in quid de aliquo inferiori, sicut Homo prædicatur de Petro & animal de homine. Potest autem per substantiam singularem intelligi vel substantia singularis *secundo intentionaliter* & logice; provt est scilicet proxime prædicabilis de vno solo; vel *primo intentionaliter* & metaphysice, provt est substantia non communicabilis pluribus cum multiplicatione. Et similiter secunda substantia potest accipi vel *secundo intentionaliter* & logice provt est proxime prædicabilis de pluribus cum multiplicatione; vel *primo* intentionaliter & metaphysice provt est aliquid communicabile pluribus cum diuisione seu multiplicatione. Sed Aduerte hanc non esse veram aut propriam diuisionem vllo modo, sed potius esse enumerationem plurium formalitatum, quibus competunt diuersæ proprietates & accidentia.

Deinde Philosophus appellat primam substantiam magis substantiam quam secundam. Cuius ratio potest esse: tum quia magis immediate substat accidentibus, quæ non possunt nisi in substantia prima, hoc est singulari. subiectari; Tum etiam quia magis substat substantiis secundis: quandoquidem sit subiicibilis omnibus gradibus substantialibus communibus; Tum denique quia minus indiget ad hoc vt existere possit: potest enim substantia singularis immediate produci, sed substantiæ vniuersales non possunt, nisi singularizentur.

4. Præterea sex proprietates substantiæ enumerauit Aristot. Prima est *Non esse in alio*, quod intelligendum est tanquam in subiecto inhæsionis; nam substantię secundę sunt in substantiis primis tanquam partes essentiales v. g. Homo in Petro. Et substantiæ primæ sunt in alio tanquam in loco; & forma substantialis est in materia tanquam in subiecto informationis. Igitur intelligendum est de non esse in alio tanquam in subiecto inhæsionis; Et hoc quidem non solum actu, sed neque aptitudine, quo sensu est proprietas *quarto modo*: nam non esse in alio actu, etiam competit, licet per miraculũ, Quantitati Eucharisticæ.

Secunda proprietas est, *vniuoce prædicari de primis substantiis*: quod conuenit secundis, sed intelligendum est de prædicabilitate per modum prædicati essentialis: nam ly *vniuoce prædicari* præcise vt sonat & sine addito assignato, etiam conuenit accidenti respectu substantiæ: albedo enim prædicatur vniuoce in concreto de Petro & Paulo.

Tertia proprietas est *significare hoc aliquid*, quod conuenit solis primis substantiis. Et intelligendum est ita vt vox illa quæ imponitur ad significandam quamcumque substantiam primam & singularem, significet determinate vnum aliquid, ita vt non possit prædicari vniuoce de pluribus. Quarta proprietas est: *Non habere contrarium*, quod intelligendum est de contrarietate propriissime dicta, qualis est inter illa quę mutuo se expellunt ab eodem subiecto inhæsionis. Quo sensu est proprietas substantiæ *quarto modo*: nam omni & soli substantiæ conuenit. Dixi notanter *subiecto inhæsionis*: nam à subiecto informationis videlicet à materia prima etiam mutuo se expellunt duæ formæ substantiales. Ob quod dicitur communiter, quòd generatio vnius sit corruptio alterius.

Quinta proprietas est: *Non suscipere magis aut minus*: quod intelligendum est, non quod vna substantia non possit

possit esse magis perfecta aut minus perfecta, quam alia substantia: nam certum est, esse magis perfectam substantiam hominis, quam substantiam leonis; Nec etiam quod non possit vna substantia perfici & augeri extensiue: quandoquidem pueri crescant substantialiter, & habeant sine dubio prouecti maiorem substantiam, quàm cum essent pueri: Igitur intelligendum est quoad intensionem, ita vt iam sit minus intensa substantia, iam magis intensa, sicut calor iam est magis intensus iam minus intensus, quod & conuenit etiam Quantitati: vt infra dicemus: Sexta denique proprietas est *suscipere contraria* seu esse susceptiuam contrariorum, quod quidem competit omni substantiæ finitæ: nam nulla prorsus assignari potest, quæ non possit substare alicui accidenti; quod accidens possit adesse & abesse, atque adeo habere aliquod contrarium, per quod expellatur formaliter.

SECTIO II.

De Prædicamento Quantitatis.

5. Dupliciter accipitur Quantitas: alia est *Quantitas virtutis*, quæ est perfectio rei secundum quam vna res dicitur magis vel minus perfecta, quàm alia res. Et hæc competit non tantum creaturis, sed ipsi etiam creatori, qui propterea in sacris literis sæpe *Magnus appellatur*. De hac non agimus in præsenti: quia non spectat ad aliquod vnum prædicamentum, sed vagatur per omnia: cum vnaquæque res habeat sibi identificatam suam propriam perfectionem, siue sit substantia siue accidens. Alia est *Quantitas molis* solis corporeis rebus conueniens, ratione cuius vnum corpus dicitur esse maius aut minus alio corpore, non virtute, sed extensione aut numero partium integralium: sicut dicitur: ista arbor maior est isto homine, quo tamen minor est virtute & perfectione. De hac Quantitate molis est sermo in præsenti.

Describitur sic à Philosopho 5. Metaph. cap. 7. *Est id quod est diuisibile in ea quæ insunt, quorum vtrumque vel vnumquodque, est vnum quid, & hoc aliquid aptum est esse.* Hæc definitio communiter recipitur à tota schola Peripateticorum; vt autem distinctius & clarius explicetur, eam quantitati in abstracto applicabimus dicendo: Quod sit *Accidens per se diuisibile in ea quæ insunt, quorum vtrumque vel vnum quodque, vnum quid & hoc aliquid aptum est esse.* Dicitur esse *Accidens* quod est genus vel quasi genus, in quo conuenit cum accidentibus cæterorum prædicamentorum. Dicitur *diuisibile*, vt distinguatur ab accidentibus diuisibilibus, dicitur *in ea quæ insunt* id est in partes in se actu & formaliter inexistentes, in quo differt à mixto, quod est diuisibile in ea quæ in ipso sunt, non formaliter, sed solum virtualiter scilicet in elementa: Dicitur *quorum vtrumque* idest quarum partium actu ipsi inexistentium vtraque, si duæ sunt, vel *vnum quodque* idest vna quæque pars, si plures partes sint ipsi, est *vnum quid* idest quid completum. *Et hoc aliquid* idest aliquid singulare existens extra alteram partem, per quod distinguitur à toto essentiali tam metaphysico quàm physico: nam partes, in quas diuidi potest totum metaphysicum, sunt intra se inuicem per realem identitatem: cum solum formaliter distinguantur. Et ex partibus physicis essentialibus, in quas totum physicum diuidi potest, vna nempe forma subiectatur in altera scilicet materia, & non est extra illam

lam, nec quælibet eſt ens completum.

6. Diuiditur Quantitas ſeu Quantum à Philoſopho (loquitur de ipſa in concreto) in illud quod per ſe eſt quantum, & in illud quod per accidens eſt quantum. *Quantum per accidens* eſt quodcumque ſubiectum affectum quantitate: vt ſubſtantia materialis, cui inhæret, & quodcumque accidens præſertim abſolutum, quod inhæret quantitati. *Quantum per ſe* eſt ipſamet quantitas, quæ eſt eſſentialiter quanta, & à qua illa, quæ ſunt quanta per accidens, habent eſſe talia formaliter: Ratio vtriuſque appellationis eſt: nam ſi calor v. g. eſt diuiſibilis in ea quæ inſunt, &c. Vbi videtur ipſi competere definitio Quantitatis, hoc competit ipſi ratione quantitatis in qua ſubiectatur: Si enim poneretur ſeparatus, eſſet penetrabilis cum quocumque corpore, nec poſſent partes eius ſeparari ab inuicem per interpoſitionem vllius corporis; & idem eſt dicendum de ſubſtantia materiali; At vero Quantitas ſi per ſe poneretur abſque ſubſtantia, cui poſſet naturaliter diuidi per interpoſitionem corporis: vt patet in Quantitate Euchariſtica; & ſimiliter poſſet diuidi, ſi poneretur abſque vlla Qualitate.

7. Sed eſt circa hoc difficultas: Quo pacto poſſit appellari Quantitas Quantum aut Quanta? Et ratio dubitandi eſt, quod ly *Quantum* videtur eſſe concretum adiectiuum ſignificans pro formali quantitatem, & connotans materialiter ſubiectum, cui inhæret quantitas: vt ſupra diximus de omni concreto; Quod ſi ita ſit, Quantitas non poteſt dici quanta aut quid quantum: quandoquidem non ſit ſubiectum, cui ipſamet adiaceat aut inhæreat: Et patet in albedine, quæ nec dicitur alba, nec vllum concretum poteſt dici formaliter de ſuo abſtracto, ergo nec quantitas poteſt dici quanta: Ad ſolutionem huius Aduertendum eſt, quod ly *Quantum* quando dicitur de quantitate non eſt concretum adiectiuum ſignificans quantitatem adiacentem rei, de qua dicitur quod ſit quanta: quia alias falſum eſſet quantitatem eſſe quantam; ſed eſt concretum adiectiuum ſignificans vel actualem extenſionem, vel diuiſibilitatem ſeu aptitudinem ad extendi. Vnde ly *Quantum* eſt æquiuocum, & aliquando ſignificat formaliter ipſum accidens, quod exigit extenſionem impenetrabilem, quo ſenſu non dicitur formaliter de quantitate, ſed bene poteſt dici de ſubſtantia, in qua ſubiectatur, & de qualitatibus etiam ſubiectatis in ipſa. Aliquando vero ſignificat ipſam extenſionem actualem impenetrabilem, vel aptitudinem ad ſic extendi; & in hoc ſenſu bene poteſt prædicari de quantitate: nam quantitas eſt res, quæ illam extenſionem & diuiſibilitatem habet, & ſimiliter etiam poteſt prædicari de ſubſtantia & qualitatibus materialibus, quæ eamdem etiam diuiſibilitatem habent, cum addito tamen ſupra poſito, quod vni competat per ſe ſcilicet quantitati, aliis vero per accidens, ſcilicet ſubſtantiæ & qualitatibus: Ad modum quo calefactiuum competit calori per ſe, aquæ vero vel alij ſubiecto, in quo eſt calor, per accidens.

Ad paritatem de albedine, quæ non dicitur alba: ℞. quod ſi *album* adiectiuum vtrumque æque proprie ſignificaret & ipſam formam albedinis præciſe & ipſam etiam vt diſgregatiuam viſus, tunc etiam bene etiam poſſet dici, albedo eſt alba, ideſt eſt forma diſgregatiua viſus, prædicando de ipſa ſecundum ſignificatum, ſicut prædicamus etiam de quantitate, cum dicimus quantitas

quantitas eſt quanta; Sed quia non ſignificat proprie niſi ipſam albedinem inhærentem, ideo non eſt in vſu talis prædicatio. Sed parum refert quid nominis: cum conſtet quid rei.

8. Diuiditur ſecundo quantitas à Philoſopho in *continuam* & *diſcretam*. *Continua* eſt illa quæ habet partes extra partes copulatas & coniunctas termino communi ſcilicet aliquo indiuiſibili Copulatiuo: vt quantitas vnius lapidis, vnius ligni, &c. Quantitas *diſcreta* eſt cuius partes non copulantur termino communi, nec vniuntur realiter inter ſe: vt numerus trium hominum, quatuor lapidum, &c. Vbi aduerte duplicem numerum aſſignari ab authoribus, tranſcendentalem & prædicamentalem. Tranſcendentalis eſt, qui conflatur ex rebus non quantitatiuis ſeu ex vnitatibus talium rerum: vt eſt numerus ternarius Angelorum, quinarius Qualitatum, binarius hominum, vt abſtrahunt à Quantitate. Et hic numerus vocatur tranſcendentalis, quia non ſpectat ad vllum prædicamentum, ſed poteſt in quolibet reperiri: ſunt enim plures numero ſubſtantiæ in prædicamento ſubſtantię, & plures numero relationes in prædicamento relationis. Numerus prædicamentalis eſt qui ſpectat ad prædicamentum Quantitatis, & conflatur ex vnitatibus quantitatum ſeu rerum affectarum quantitate, vt ſic afficiuntur.

9. Tertiam diuiſionem quantitatis aſſignat Philoſophus in *permanentem* & *ſucceſſiuam*. Permanens eſt, cuius partes ſimul exiſtere poſſunt: vt quantitas lapidis, quantitas ligni. *Succeſſiua* eſt, cuius partes non poſſunt ſimul exiſtere, ſed ſunt talis naturæ vt vna ſuccedat alteri: vt tempus & motus. Quarta diuiſio eſt quantitatis permanentis in *lineam*, *ſuperficiem*, & *corpus*. *Linea* eſt quantitas diuiſibilis penes longitudinem præciſe, non vero ſecundum latitudinem aut profunditatem. *Superficies* eſt quantitas diuiſibilis penes longitudinem & latitudinem, non vero penes profunditatem. *Corpus* eſt quantitas diuiſibilis penes tres aſſignatas dimenſiones: ideſt quantitas longa, lata & profunda. Sed aduerte hic non ſumi *corpus*, quod eſt compoſitum ſubſtantiale ex materia & forma, nec ſubſtantiam corpoream prædicabilem in quid de omnibus ſubſtantiis completis corporeis, quod vocatur *corpus metaphyſicum*; nec etiam alteram partem viuentis, quæ cum anima ipſum conſtituit, quod vocatur *corpus phyſicum*. & pertinet indirecte ad prædicamentum ſubſtantiæ, vt pars phyſica rei directe pertinentis ad ipſam. Igitur ſumitur pro quantitate trium dimenſionum aſſignatarum, quod communiter vocatur *corpus mathematicum*.

Sed Nota primam diuiſionem non eſſe proprie diuiſionem quantitatis, ſed potius enumerationem plurium rerum, quarum vni competit aliquid primo, & alteri ratione ipſius. Secunda, & tertia à pluribus cenſentur impropriæ. Quarta autem eſt diuiſio in ſpecies infimas: quia non habent ſub ſe alias ſpecies: linea enim curua & recta non diſtinguuntur ſpecie, ſicut nec ſuperficies concaua & plana, ſed ſolum accidentaliter, ſicut homo albus & niger: nam eadem linea quæ eſt curua poteſt eſſe recta & è contra.

Aliquas proprietates quantitatis aſſignat etiam Philoſophus: vt *non habere contrarium* (quod & conuenit etiam ſubſtantiæ, quamuis non propter eamdem omnino rationem) *Non ſuſcipere magis aut minus* ideſt intenſionem aut remiſſionem: *eſſe æquale & inæquale*: *Eſſe menſuram* ideſt aptum ad certificandum de magnitudine molis alicuius, &c. Quarum exactiorem

notitiam censeo non necessariam ad nostrum institutum.

SECTIO III.

De Prædicamento Qualitatis.

10. QValitas provt significat determinatum genus entium, quæ ponuntur in hoc prædicamento vt distincto à reliquis nouem, sic describitur ab Aristotele: *Est qua quales esse dicimur*; sed hæc definitio insufficiens censetur communiter ab authoribus ad explicandam naturam qualitatis. Ideo omnes pro captu seu libito suo aliam inuenire conati sunt. Posset autem sic congruè definiri: *Est accidens absolutum dispositiuum substantiæ in se ipsa.*

Diuisit Philosophus qualitatem vt sic & in communi in quatuor species vniuersales, ad quas omnes species qualitatis possunt reduci. Et quamlibet ex his quatuor speciebus duobus nominibus expressit: Primam *speciem vocauit habitum* & *dispositionem*. Secundam *potentiam & impotentiam naturalem*. Tertiam *passionem* & *passibilem Qualitatem*. Quartam *formam* & *figuram*. In prima specie collocantur omnes species impressæ tam intelligibiles quàm phantasticæ, quæ deseruiunt potentiis vitalibus cognoscitiuis ad suas operationes. Item omnes habitus tam intellectuales, quam morales, idest habitus seu facultates, quæ per plures actus acquiruntur ab intellectu: vt artes & scientiæ, & à voluntate: vt virtutes & vitia. Ac denique omnes actus potentiarum vitalium immanenter operantium: vt actus intellectus & voluntatis & actus sensuum externorum & materialium: verbi gratia actus potentiæ visiuæ.

11. In secunda specie, quæ est *potentia & impotentia naturalis*, non sumitur ibi potentia pro facultate, quæ identificatur realiter rei, cuius est potentia, siue sit ad producendum siue ad recipiendum: v. g. Potentia productiua caloris ad producendum alium similem, potentia materiæ primæ ad recipiendas formas, potentia substantiæ, quam in sententia nostra habet ad producendam aliam substantiam, item & potentiæ substantiæ intellectualis: intellectus scilicet & voluntas: istæ enim potentiæ sunt identificatæ rei, cuius sunt potentiæ. Sed hîc sumitur potentia pro accidente realiter distincto & separabili à re cuius est. Igitur potentia in præsenti significat quandam facultatem accidentalem substantiæ, secundum quam agilis est & expedita ad aliquod exercitium, vt potentia quam aliqui habent ad scribendum, aliqui ad currendum, &c. Impotentia non significat negationem potentiæ naturalis: nam illa negatio non est qualitas; sed significat facultatem aliquam accidentalem superadditam substantiæ, quæ est valde imbecillis & parua ad simile exercitium. In hac specie collocantur omnes agilitates seu aptitudines naturales tam hominum quàm brutorum, cuiuscumque potentiæ sint.

12. In tertia specie, quæ est *Passio & passibilis qualitas*, non accipitur passio pro proprietate rei, quę propria passio eius communiter vocatur: nam hæc vagatur per omnia prædicamenta, & in nostra sententia est eadem realiter rei cuius est: Nec etiam pro passione quæ correspondet actioni agentis: quia hæc spectat ad prædicamentum actionis (de quo inferius) & in nostra sententia est respectus extrinsecus adueniens; nec denique sumitur pro affectionibus animæ, quæ ex cognitione

aliquorum obiectorum in nobis causantur: vt est amor, odium, gaudium, tristitia & huiusmodi: nam licet fortassis hæ passiones sint qualitates, tamen potius spectant ad primam speciem, quam ad hanc tertiam. Sumitur ergo hîc passio & passibilis qualitas pro qualitatibus determinatis distinctis à qualitatibus primæ & secundæ speciei: vt verbi gratia omnia obiecta sensuum externorum: vt calor frigus, &c. quæ percipiuntur à tactu, colores qui percipiuntur à visu, sonus qui ab aure, sapores qui à gustu, odores qui ab odoratu & etiam species visibiles colorum, si tamen percipiuntur ab oculo, spectant ad hanc tertiam speciem.

13. In quarta, quæ est *forma & figura* sumitur *forma* pro exteriori illa dispositione à qua res materialis dicitur pulchra & speciosa aut deformis; figura vero accipitur pro dispositione aliqua speciali, quam habent partes quantitatis: v. g. illam secundum quam faciunt triangulum aut quadrangulum aut circulum: quo modo accepta forma & figura certum est quod non sint sensibiles ab vllo sensu externo; vel si sint, non sunt sensibiles per se, sed ratione aliarum qualitatum annexarum: vt ratione caloris, coloris, &c. & propter hoc distinguuntur à qualitatibus tertiæ speciei.

Diuisio præfata qualitatis in quatuor species assignatas non est immediata: nam primo diuiditur in qualitatem exteriorem & interiorem. Deinde diuiditur in qualitatem innatam idest qualitatem, quæ est innatum principium operandi faciliter vel difficulter, nempe potentiam & impotentiam naturalem; & in qualitatem superuenientem & non innatam scilicet habitum & dispositionem. Rursus qualitas exterior diuiditur in primo sensibilem nempe passionem & passibilem qualitatem, & in qualitatem secundo sensibilem nempe formam & figuram.

Tres proprietates qualitatis assignauit Philosophus prima, est: Habere contrarium, quod intelligi debet de qualitate stricte sumpta; quæ tamen non conuenit omni qualitati: quia colores medij, vt rubrum, pallidum, similiter lux quæ est qualitas, non habent contrarium: Secunda est suscipere magis & minus secundum intensionem & remissionem: sic calor intenditur & remittitur per se & non ratione alterius. Tertia est quod secundum eam res dicantur similes vel dissimiles: sic homo albus dicitur similis alteri homini albo & dissimilis nigro.

SECTIO IV.

De Prædicamento Relationis.

14. Relatio vt sic & in latissima significatione sumpta nihil aliud est quàm respectus, ordo seu habitudo vnius rei ad aliam: vnde Aristot. hîc sic definit relatiua: *Sunt quorum totum suum esse est esse seu referri ad aliud*: Vt Pater & Filius quæ sunt correlatiua: totum esse Patris in quantum Patris est referri ad Filium, & è contra totum esse Filij in quantum Filij est referri ad Patrem.

Alia sunt relatiua quæ ita necessario & ex natura rei referuntur ad aliud, vt non possint esse quin referantur & ordinentur: quia habent necessarium connexionem cum sua relatione: vt potentia ad actum suum, creatura ad creatorem. Alia sunt quæ referuntur accidentaliter tantum, ita scilicet vt possint non referri: vt Petrus refertur per modum causæ ad Paulum & per modum similis ad Ioannem. Itaque hæc potest esse prima diuisio relationis

vt ſic, in relationem realiter identificatam ſuo fundamento & in relationem diſtinctam realiter à ſuo fundamento. Quæ eſt eadem cum alia, quæ communiter aſſignatur in relationem *tranſcendentalem* & relationem *prædicamentalem*: nam cum illa relatio quæ identificatur cum ſuo fundamento, quod tam poteſt eſſe ſubſtantia, quam quodlibet aliud accidens, neceſſario divagetur per omnia prædicamenta, merito tranſcendentalis appellatur; ſicut per oppoſitam rationem quæ diſtinguntur realiter à fundamentis & collocantur in determinato prædicamento, prædicamentales appellantur.

15. Rurſus quia ex relationibus diſtinctis realiter à fundamento, quædam ſunt quæ neceſſario reſultant poſito fundamento & termino & aliquo alio priori ad ipſas relationes, quod non ſit actio productiua earum: vt eſt ſimilitudo duorum alborum, æqualitas duarum quantitatum; quædam vero alia, quæ non neceſſario ſic oriuntur: vt eſt vnio materiæ ad formam. Propterea relatio diſtincta à fundamento poteſt diuidi in relationem intrinſecus aduenientem & extrinſecus aduenientem, intelligendo per intrinſecus aduenientem illam, quæ licet accidentalis ſit ſuo fundamento, neceſſario tamen ſequitur ad aliquid prius, quod non ſit actio productiua eius; Et per relationem extrinſecus aduenientem illam, quæ accidentalis etiam eſt fundamento, ſed non tamen neceſſario ſequitur ad aliquid prius, quod non ſit actio productiua eius. Neque in hoc eſt aliqua difficultas præter illam, quæ eſt: Vtrum verum ſit dari huiuſmodi relationes extrinſecus advenientes de quo in Metaphyſica.

Item relationes aliæ ſunt mutuæ, illæ ſcilicet quarum quando vna reſultat in vno extremo, altera etiam in altero extremo reſultat: & tales ſunt ſimilitudines creaturarum inter ſe; quædam vero ſunt non-mutuæ, illæ ſcilicet, quarum vna reſultante in vno extremo, altera non reſultat in altero: & tales ſunt relationes cognoſcentis ad cognitum.

16. Porrò Philoſophus relationes huius prædicamenti reduxit ad tres ſpecies ſeu tria genera. Prima eſt earum, quæ ſunt inter res, quæ habent inter ſe vnitatem aut diuerſitatem in aliqua re ſeu formalitate. Hæc ſpecies continet ſub ſe multas alias: nam ſi res habent conuenientiam in aliqua ratione prædicabili de ipſis in quid, relatio quam habent adinuicem, vocatur identitas; ſi vero non habent conuenientiam in tali ratione, vocatur diuerſitas; v. g. quia homo & brutum conueniunt in animali, & animal prædicatur de ipſis in quid, propterea habent relationem identitatis inter ſe in ratione generica; quia vero non conueniunt in ratione ſpecifica, propterea in ipſa habent relationem diuerſitatis inter ſe. Quando autem res habent conuenientiam in aliqua ratione prædicabili in *quale quid*, tunc dicuntur habere relationem ſimilitudinis, & ſi diſconueniant in tali ratione, dicuntur habere relationem diſſimilitudinis: ſic duo parietes albi, quia conueniunt in albedine, dicuntur ſimiles, & duo quorum vnus ſit albus, & alter niger, dicuntur diſſimiles. Denique ſi duæ res habent conuenientiam in quantitate ſiue molis ſiue perfectionis aut virtutis ideſt ſi conueniant in aliquo prædicato quantitatiuo, quale eſt illud per quod apte reſponderi poteſt, quærenti, quanta ſit res? Vt v. g. quærenti, quantæ longitudinis ſit? Aut quantæ virtutis? Reſponderi poteſt, eſt tricubita, aut eſt tantæ virtutis, quod poſſit ſuperare centum homines, tunc relatio quam habent, vocatur æqualitas, & ſi non

conueniant

conueniant in tali prædicato, vocatur inæqualitas: Sic Petrus & Paulus dicuntur esse æquales in perfectione essentiali; Petrus vero & Bucephalus dicuntur inæquales. Similiter duo ligna tricubita dicuntur æqualia in mole; vnum vero tricubitum & aliud duorum cubitorum, dicuntur inæqualia.

Secunda species relationum est earum quæ intercedunt inter producens & productum seu inter causam & effectum, & fundantur in actione & passione tanquam in conditionibus requisitis, vt tales relationes resultent: Sic Pater refertur ad filium, & vniuersaliter omnis causa productiua & efficiens ad suum effectum.

Tertia species relationum est illarum, quæ non sunt mutuæ idest quæ non habent correlationes: & huiusmodi sunt relationes scientiæ ad scibile seu ad id quod scitur & cognoscitur: quamuis enim ex parte scientis & cognoscentis detur relatio realis ad obiectum cognitum, non tamen ex parte obiecti cogniti ad cognoscentem datur relatio præsertim realis: vocantur autem huiusmodi relationes non mutuæ, relationes mensurabilis ad mensuram, ex eo quòd obiecta, quæ sunt earum termini, mensurant nobis perfectionem actuum, ad quos sequuntur huiusmodi relationes: nam ex eo quod actus potentiæ intellectiuæ possit versari circa Deum, & actus potentiæ visiuæ non possit, colligimus actus potentiæ intellectiuæ esse perfectiores, quàm actus potentiæ visiuæ, & propterea obiecta istorum actuum mensurant idest certificant nobis perfectionem actuum, & isti dicuntur mensurabiles per obiecta.

17. Quatuor proprietates relatiuorum assignauit Aristoteles. Prima est habere contrarium. Secunda est suscipere magis & minus, quæ non competunt relationi ratione sui, sed ratione fundamenti. Tertia est dici ad conuertentiam, idest quod sicut vnum relatiuum dicitur ad alterum, ita & alterum dicatur ad ipsum: Sic Dominus alicuius serui est Dominus: quod conuenit omnibus relatiuis etiam non mutuis. Quarta est quòd relatiua sint simul natura & cognitione, idest quod vnum non sit prius alio, nec possit vt tale cognosci sine alio.

SECTIO V.

De sex vltimis Prædicamentis.

18. Diuisimus sect. præced. relationem vt sic in intrinsecus aduenientem & extrinsecus aduenientem, de quarum rationibus formalibus & differentia disputabimus in Metaphysica. Pro nunc sufficiat notare omnes relationes quæ collocantur in præced. prædicamento, quod ab Aristotele appellatur prædicamentum *ad aliquid*, esse intrinsecus aduenientes. Quæ vero in his sex vltimis prædicamentis (nam in doctrina communi Scotistarum sunt relationes) esse extrinsecus aduenientes: ea vero sunt *Actio, Passio, Quando, Vbi, Situs & Habitus.* De quibus singulis aliquam notitiam trademus in præsenti, quæ sufficiat tyronibus saltem pro intelligentia terminorum.

Actio sic definitur à Gilberto Porretano: *Est illud secundũ quod in id quod subiicitur, agere dicimur.* Sed clarioribus verbis iuxta doctrinã Scoti melius describitur dicendo quod sit: Relatio extrinsecus adueniens transmutantis ad transmutatum. Et è contra *Passio* sit relatio extrinsecus adueniens transmutati ad transmutans. Huiusmodi respectus reperiuntur inter quamlibet formam &

subiectum eius: vt inter formam substantialem & materiam primam, inter albedinem & parietem, quem dealbat &c. & possunt diuidi iuxta diuisionem formarum, quæ dicuntur transmutare subiecta, quibus inhærent vel quæ informant, & iuxta diuisionem subiectorum, quæ ab eisdem formis informantur.

19. *Quando* sic definitur ab eodem Gilberto: *Est id quod ex adiacentia temporis relinquitur in re temporali*; Id autem quod relinquitur est relatio extrinsecus adueniens coexistentię seu pręsentię ad tempus mensurans, quæ in re temporali subiectatur & terminatur ad tempus. Diuiditur *Quando* prima sui diuisione in tres respectus, quos res temporales dicunt ad tres generales differentias temporis scilicet præsens, pręteritum, & futurum. Itaque quando primo diuiditur in quando ratione cuius res dicuntur fuisse tempore pręterito, & in quando ratione cuius dicuntur esse tempore præsenti, & in quando ratione cuius dicuntur fore tempore futuro. Deinde ista quæ sunt species subalternæ subdiuidi possunt in mane, vespere, meridie, heri, cras &c.

20 *Vbi* sic describitur ab eodẽ Gilberto: *Est circumscriptio passiua à circumscriptione loci vel spatij*. Idest, est relatio extrinsecus adueniens, quam dicit res ad locum, in quo est, cui correspondet alia, quam dicit locus ad rem, quæ in ipso est: Propter quod istud dicitur vbi actiuum, illud vero passiuum. Itaque vbi passiuum est respectus præsentiæ, quem dicit locatum ad locum: Vt. v. g. respectus quem ego dico ad aerem me ambientem & continentem, iste respectus dicitur Vbi.

Diuiditur *vbi passiuum* in definitiuum & circumscriptiuum, definitiuum est esse in loco sine extensione partium in ordine ad illum: Idest quod licet totum locatum correspondeat toti loco, non tamen pars locati ad partem loci, sed totum locatum est in toto loco & totum in qualibet parte loci: Talis est præsentia quam habet Angelus in loco. *Vbi circumscriptiuum* est esse in loco cum extensione partium in ordine ad illum, ita vt tota res sit in toto loco & pars rei in parte loci: Talis est præsentia, quam habet corpus naturaliter existens in loco: Hoc vbi circumscriptiuũ dicitur in sex species iuxta sex differentias loci, quas enumerat Aristoteles 3. Physicor. dicens: *Amplius omne corpus sensibile in loco est, loci autem species & differentiæ sunt Sursum, Deorsum, Ante, Retro, Dextrorsum, Sinistrorsũ*: *Vbi definitiuum* diuiditur in materiale & spirituale. Materiale est præsentia rei habentis extensionẽ in ordine ad se, non vero in ordine ad locum: Tale est Vbi, quod habet corpus Christi Domini in Eucharistia, & quod haberet substantia materialis, si à Deo conseruaretur sine Quantitate. Vbi spirituale est præsentia rei, nec habentis extensionem in ordine ad locum, nec in ordine ad se, sed est omnino indiuisibilis: Talis est præsentia rei spiritualis, quam habet Angelus in loco & anima rationalis in corpore.

21 *Situs* est relatio extrinsecus adueniens, quam dicunt partes alicuius corporis ad se ipsas, & definitur à Gilberto sic. *Est positio partium, secundum quam dicuntur stantia, vel sedentia, aspera vel lenia &c*: Idest situs est relatio secundum quam partes alicuius corporis dicuntur taliter vel taliter dispositæ in loco: Vt v. g. stare, cubare, sedere, genuflectere. Distinguitur situs ab vbi, in hoc quod vbi est relatio, quæ resultat in re seu corpore locato ex circumscriptione loci continentis seu ambientis, ita quòd per

per hanc relationem vna pars locati correſpondeat vni parti loci. *Situs* vero eſt relatio quam dicit vna pars, non parti loci , ſed alteri parti corporis locati , ſecundum quam partes corporis locati dicuntur taliter vel taliter diſpoſitæ. Deinde quia inuariata relatione ſitus poteſt variari relatio vbi,quod eſt ſignum ſufficiens diſtinctionis : v. g. partibus corporis ſic vel ſic diſpoſitis immobiliter permanentibus,poteſt dari motus de iſto vbi ad illud vbi.

22. Habitus ex eodem Gilberto eſt: *Corporum & eorum quæ circa corpus ſunt adiacentia.* Ideſt eſt relatio extrinſecus adueniens reſultans in corpore veſtito ex adiacentia veſtimenti , ſicut *vbi* ex adiacentia loci, & *quando* ex adiacentia temporis. Poteſt diuidi in varia genera & ſpecies iuxta varietatem indumentorum quibus homo poteſt veſtiri. Primo poteſt diuidi in veſtitum eſſe & armatum , & hoc iterum in loricatum eſſe,galeatum eſſe, &c.

SECTIO VI.

De Poſtprædicamentis.

POſt Prædicamenta egit Ariſtoteles de quibuſdam modis ſeu affectionibus, quæ conſequuntur prædicamenta , & quæ inter ipſa inuicem comparata inueniuntur. Quæ & quia non ſunt entia completa, ſed rationes quædam imperfectæ & incompletæ per omnia prædicamenta diuagantes , ideo ad nullum ſpecialiter reducuntur. De his ergo modis ad plenam prædicamentorum intelligentiam, libuit aliqua in præſenti proponere.

23. *De modis oppoſitionis.*

Oppoſitio eſt determinata duorum ad inuicem repugnantia, cuius quatuor ſunt ſpecies ſcilicet relatiua, contraria, priuatiua & contradictoria : illa ſunt relatiue oppoſita, quorum totum ſuum eſſe eſt ad aliud ſe mutuo ordinari : vt Pater & Filius. Contrarie oppoſita ſunt, quæ ſub eodem genere maxime diſtant , & ab eodem ſubiecto mutuo ſe expellunt : vt calor & frigus. Priuatiue oppoſita ſunt forma ſeu habitus & eius priuatio : vt viſio & cæcitas. Contradictorie oppoſita ſunt quæ per affirmationem & negationem repugnare cenſentur : vt Petrus diſputat , Petrus non diſputat.

24. *De modis Priorum.*

Modus prioris eſt ille ſecundum quem aliquid eſt prius alio , & diuiditur in prius alio tempore, conſequentia, ordine, dignitate & natura. Prius tempore vt Pater qui fuit prior tempore ſuo filio. Prius conſequentia eſt illud, à quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia : ſic animal eſt prius conſequentia homine : quia licet valeat : eſt homo ergo eſt animal , non tamen valet : eſt animal ergo eſt homo. Prius ordine alio : vt ſignifer in exercitu. Prius dignitate : vt Guardianus in conuentu. Prius natura dicitur quod eſt cauſa vel principium reſpectu alterius : ſic Homo eſt prior riſibilitate , ignis calore, & vniuerſaliter omnis cauſa eſt prior natura ſuo effectu. Ex his facile deducitur quo modo , & quot modis dicitur aliquid poſterius alio. Similiter quot modis aliqua dicuntur ſimul eſſe & exiſtere,proportionali enim modo loquendum eſt hîc & ibi.

25. *De modis motus.*

Motus eſt quo aliquid producitur vel deſtruitur. Et diuiditur in generationem , corruptionem , accretionem ſeu augmentationem & decretionem ſeu

ſeu diminutionem, & alterationem & motum localem. Generatio eſt motus, per quem producitur ſubſtantia, corruptio eſt per quem deſinit eſſe; augmentatio eſt per quam res acquirit maiorem quantitatem, diminutio per quam deperdit aliquam partem quantitatis. Alteratio eſt motus per quem res acquirit vel deperdit aliquam partem qualitatis. Motus localis eſt per quem acquiritur *vbi*. Reliqua quæ hìc ſolent tractari tanquam prorſus invtilia vel ſaltem parui momenti conſulto prætermittimus. Et hæc de pertinentibus ad primam operationem intellectus ſufficiant.

CAPVT IV.

De Propoſitione ad libros Perihermenias Ariſtotelis.

1. HACTENVS de terminis ſimplicibus quæ ad primam operationem intellectus ſpectant, & prout præciſe ſunt materia remota ſyllogiſmi egimus. Modò de ſimplicium compoſitione, id eſt de propoſitione quæ ad ſecundam operationem intellectus ſpectat quæque eſt materia proxima ſyllogiſmi, ſermonem inſtituimus. Verùm quia oratio eſt genus ad propoſitionem (ſaltem vocalem) ideo præmittenda erit notitia de oratione & eius partibus, quàm de propoſitione aliquid tractemus.

SECTIO I.

De oratione & eius partibus.

PArtes quibus conflatur oratio vel propoſitio ſunt termini; hi autem fere ſemper ſunt nomina, quæ media copula, quæ eſt verbum, in propoſitione coniunguntur: Logicus enim ex terminis ſignificatiuis efformat propoſitiones, ideo vt facilius, quæ de oratione & propoſitione dicturi ſumus, percipiantur, definitiones *nominis* & *verbi* præmittimus.

2. *Nomen* ſic definitur ab Ariſtotele 1. de interpretat. cap.1. *Eſt vox ſignificatiua ad placitum ſine tempore, cuius nulla pars ſeparata ſignificat, finita & recta.* Dicitur *vox ſignificatiua ad placitum*: quia hìc definiuit Philoſophus nomen in ordine ad conſtructionem propoſitionis vocalis, quæ non niſi ex vocibus ſignificatiuis ad placitum componitur. Dicitur *ſine tempore* vt diſtinguatur à verbo, quod ſignificat cum tempore. Dicitur *cuius nulla pars ſignificat ſeparata*, vt diſtinguatur ab oratione. Dicitur *finita* vt excludantur nomina infinita: *vt non homo, non lapis*, quæ nullam rem determinatam ſignificant, & propterea à ratione *nominis* à ſe definiti excludere voluit Ariſtoteles. Dicitur *recta*, vt excludantur caſus omnes obliqui: vt *hominis, homini*, &c. quæ voces licet ſint nomina etiam ſubſtantiua apud grammaticos, tamen Philoſophus noluit tales voces comprehendere in ſua definitione, ſed ſolum ſignificatiuas in nominatiuo caſu: quia in illo ſolo poſſunt eſſe ſubiectum aut prædicatum propoſitionis ſignificatiuæ in ordine ad quam definiuit nomen. Ex quo ſequitur quòd in hac propoſitione: *Hic liber eſt Petri* ly *Petri* non eſt prædicatum,

tum, sed *liber* seu *res Petri*, hoc est quid spectans ad Petrum, quod subintelligitur in illa oratione.

3. *Verbum* ex eodem Philosopho ibidem. cap. 2. *Est vox significatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars separata significat finita & recta, & est eorum, quæ de altero dicuntur nota.* Per ly *vox significatiua ad placitum cuius nulla pars separata significat*, conuenit cum nomine & disconuenit ab oratione. Dicitur *finita*: vt excludantur verba infinita: vt *non legit*, *non laborat* quæ non significant, quid determinate conueniat rei, de qua dicuntur. Dicitur *recta*, vt excludantur verba cæterorum modorum præter Indicatiuum: quia verba indicatiui modi vt talia sunt, sola illa, quæ deseruiunt ad significandum, quid rei conueniat actu, aut conuenerit aut conueniet, & de verbis vt sic solum voluit agere Philosophus: quia illa sola per se spectant ad institutum ipsius. Dicitur *cum tempore*, vt distinguatur à *nomine*: Vbi aduerte, aliud esse significare tempus, aliud connotare seu consignificare tempus; aliud vero significare cum tempore: significare tempus est deducere in cognitionem temporis qualiter hæ voces *annus, dies, hora, nox, ætas*, &c. Consignificare tempus est deducere in cognitionem temporis simul cum alia re, quatenus scilicet significat aliquid, quod solet in aliqua differentia temporis fieri: sic cæna significat tempus vespertinum. Hi duo modi significandi tempus conueniunt nominibus, vt patet, ac propterea non in hoc sensu dicitur de nomine quòd significat *Sine tempore*. Significare autem cum tempore est significare, aliquid competere alicui pro aliqua temporis differentia: nimirum pro tempore præterito, præsenti, vel futuro: vt docuit, amat, leget, fuit, est, erit, qualiter significare soli verbo, non nomini competit. Dicitur: *Et est eorum quæ de altero dicuntur nota*, cuius sensus est, quod verbum significet, prædicatum aliquod competere subiecto, & hinc dicitur habere rationem copulæ, & propositionem constare duobus extremis, hoc est prædicato ac subiecto, & copula: hoc est *verbo*.

4. Oratio sic definitur à Philosopho supra cap. 4. & recipitur communiter: *Est vox significatiua ad placitum cuius pars aliqua separatim significat, vt dictio, & non affirmatio aut negatio*, dicitur *vox significatiua ad placitum*, quod debet intelligi abstrahendo ab hoc quod sit vna vel plures: nam nomen & verbum sunt etiam voces significatiuæ, quodlibet tamen eorum est vna simplex vox; oratio vero est composita ex pluribus vocibus. Dicitur *cuius pars aliqua separatim significat*, per quod distinguitur à nomine & verbo. Sensus autem est, quod oratio debet esse vox composita ex talibus partibus, quarum aliqua secundum se sumpta significet idem ipsum, quod significat vt coniuncta cum aliis partibus, ex quibus conflatur oratio: vnde constat, has esse orationes: *Homo iustus*, *Deus misericors*; *Christus mortuus*: nam *homo Deus Christus* quæ sunt partes harum orationum idem significant secundum se sumpta ac in illis orationibus; hæc autem vox *Dominus* vt significat possessorem alicuius rei non est oratio, sed nomen: quia licet pars istius vocis scilicet syllaba *Do* seorsim significet dare, & altera pars scilicet *minus* significet aliud, tamen non significant illa, vt sunt partes istius vocis *Dominus*, vnde licet non haberent illam significationem, adhuc vox *Dominus* significaret possessionem rei: Et idem exemplum adduci potest de *Respublica* & aliis huiusmodi nominibus.

Addit præterea Philosophus: quòd pars aliqua orationis debeat significare aliquid *vt dictio non vt affirmatio aut negatio*, ad significandum quod non sit necessarium, vt pars orationis debeat significare aliquid per modum propositionis affirmatiuæ aut negatiuæ, sed quod debeat aliqua pars eius significare aliquid per modum dictionis simplicis: nam hæc est oratio: *Deus est iustus & est timendus*, & tamen hæc pars eius *Deus est iustus* significat per modum propositionis: vult igitur, quod id non sit necessarium.

Oratio alia est imperfecta constans verbo imperfectè significante: vt *si ego veniam*. Alia est perfecta: vt *fac hoc, ego veni*. Oratio perfecta alia est enunciatiua idest affirmans vel negans aliquid: vt *Petrus currit*, *Ioannes non est vitiosus*. Et hæc alio nomine dicitur iudicium seu propositio, de qua sect. sequenti: Alia est non enunciatiua id est nil affirmans vel negans: vt *fac hoc, ne facias illud*. Ad quam pertinent omnes orationes imperatiui & subiunctiui modi, dummodo perfectum sensum generent in mente intelligentis: vt *vtinam essem in cœlo*, *Obserua mandata*, *Noli pauere*. De hac, quia non pertinet ad Logicam, nihil amplius occurrit dicendum. Ad propositionem veniamus.

SECTIO II.

Explicatur Propositio, & quæ eam concernunt.

5. PRopositio definitur ab Aristot. in ordine ad veritatem & falsitatem hoc modo: *Est oratio verum vel falsum significans*. Sed quia est inter authores controuersia circa definitionem essentialem propositionis: pro nunc sic potest describi: *est oratio enunciatiua* (differendo in posterum decisionem controuersiæ;) oratio autem enunciatiua est quæ aliquid negat vel affirmat, per quod reddit quietum animum audientis: vt ista *Petrus est iustus*. Alia est in qua prædicatum explicite ponitur: vt ista *Petrus est docens* & vocatur propositio de tertio adiacente. Alia est in qua implicite ponitur prædicatum: vt ista *Petrus docet*: nam sensus eius est Petrus est docens, & vocatur propositio de secundo adiacente.

6. In qualibet propositione quatuor reperiri possunt *materia* scilicet *forma, quantitas* & *qualitas*. *Materia* propositionis est connexio, quam habet prædicatum cum subiecto, quæ cum triplex sit, triplex etiam assignatur propositionis materia, alia naturalis seu necessaria, alia impossibilis, alia contingens, vnde ratione materiæ diuiditur propositio in necessariam, impossibilem & contingentem. Propositio naturalis seu necessaria est cum prædicatum necessario conuenit subiecto: vt *Homo est animal*. Propositio impossibilis est cum prędicatum repugnat subiecto: vt *Homo est hinnibilis*. Contingens est, cum prędicatum contingenter conuenit subiecto: vt *Petrus currit*. Hæ materiæ possunt vlterius subdiuidi: quia naturalis alia est essentialis: vt *Homo est rationalis*, alia mere naturalis *vt ignis est calidus*: Item alia est contingens naturaliter: vt *Homo currit*, alia contingens supernaturaliter: vt *Homo saluabitur*. Et nota quod in materia naturali omnis propositio affirmatiua est vera: vt *Homo est animal*, & omnis negatiua falsa: vt *Homo non est rationalis*. In materia autem impossibili è contra, omnis negatiua est vera: vt *Homo non est lapis*, & omnis affirmatiua falsa: *vt leo est equus*. In materia contingenti tam affirmatiua quàm

quàm negatiua iam est vera, iam est falsa: Vt verbi gratia modò est verum *Petrus currit*, paulo post erit falsum.

7. *Forma* propositionis (loquendo non de forma quæ est eius essentia, sed de forma propositionis quatenus est quoddam ens compositum): nihil aliud est quàm verbum seu copula prædicati cum subiecto, quia cum sit ens compositum, cuius forma est vnio, ideo verbum, quod vnit prædicatum cum subiecto, dicitur forma illius. Ratione formæ diuiditur propositio in affirmatiuam & negatiuam, affirmatiua est cuius principalis copula est affirmatiua, siue habeat aliam copulam minus principalem negatiuam siue non: vt ibi *Qui non peccant saluabuntur*, quæ est affirmatiua etiamsi habeat copulam negatiuam videlicet *qui non peccant*. E contra propositio negatiua est cuius copula principalis est negatiua, etiamsi habeat aliam affirmatiuam: vt ibi *Qui in peccato decedunt Deum non videbunt*. Sed Nota affirmationem & negationem propositionis à pluribus vocari qualitatem eius (intellige essentialem) vnde diuisio propositionis in affirmatiuam & negatiuam fit (inquiunt) ratione Qualitatis: Quo etiam loquendi modo vtemur in sequentibus: quia loquendum cum multis, licet aliquando intelligendum cum paucis.

7. *Quantitas* propositionis est coarctatio vel extensio principalis subiecti in significando: Estque quadruplex, vel vniuersalis quando scilicet subiectum vniuersale afficitur signo vniuersali: vt ibi *omnis homo currit*. Vel particularis, quando subiectum vniuersale afficitur signo particulari: vt ibi *aliquis homo currit*. Vel est indefinita quando subiectum vniuersale nullo afficitur signo: vt *Homo est animal*. vel denique singularis quando subiectum est terminus singularis: *Vt Deus est bonus, Petrus saluabitur*. Et hoc quidem siue sit terminus singularis determinatus: vt *Petrus*, siue demonstratiuus vt *hic homo*, siue ex suppositione vt *filius Virg. Mariæ*: Et nota ad quantitatem propositionis non attendi quantitatem prædicati sed subiecti: vnde hæc est vniuersalis *omnes tres diuinæ personæ sunt Deus*, etiamsi terminus *Deus* qui est prædicatum sit singularis. Item aduerte propositionem indefinitam in materia contingenti æquiualere particulari: *vt homo currit idest aliquis homo currit*; In necessaria vero æquiualere vniuersali: vt *homo est animal* idest *omnis homo est animal*.

9 *Qualitas* propositionis est eius veritas vel falsitas, vnde ratione qualitatis diuiditur in verã & falsam: vera est quæ enunciat rem sicuti est, falsa est si rem aliter enunciet. Dicitur *Qualitas* propositionis, quia sicut qualitas physica afficit corpus, ita veritas vel falsitas afficit propositionem. Vnde quærenti: Qualis est propositio? Respondendum quod vera vel falsa. Et quærenti quanta sit? Respondendum quod vniuersalis vel particularis. Ad quæstionem quid sit propositio? Respondebimus in posteriori parte Logicæ. disp. 2. q. 1.

SECTIO III.

De Multiplicitate Propositionis

10. Propositio alia est simplex alia cõposita. Simplex quæ categorica absoluta dicitur, est in qua vnicum verbum connectit prædicatum cum subiecto, vt *Petrus est doctus, Paulus sedet*: composita seu hypothetica est quæ

duobus verbis constat : vt *si Petrus venerit, ego eum adibo* : Idest quæ constat duabus categoricis tanquam ex partibus immediatis aliqua vnione vnitis : vt ibi *Deus est verax & Homo mendax*.

11. Propositio composita seu hypothetica est quadruplex scilicet *copulatiua, causalis* seu *rationalis, conditionalis* & *disiunctiua*. *Copulatiua* est quæ constat duabus categoricis vnitis coniunctione *&* aut *nec* : vt ibi *Homo est rationalis & equus est hinnibilis*. *Neque homo est lapis nec equus est risibilis*. *Causalis* seu rationalis est cuius copula est causalis videlicet *quia* vel alia æquiualens : vt ibi *quia Petrus currit, mouetur*. Conditionalis est cuius copula est signum conditionale *si* vel æquiualens vt ibi *si Petrus disputat loquitur*. *Si Pater est, filius est*. Disiunctiua est cuius vnio est signum disiunctiuum *aut* vel æquiualens vt ibi *Iustus saluabitur aut Deus est mendax*.

De *materia*, *forma*, *Quantitate* & *Qualitate* propositionis hypotheticæ idem fere est dicendum ac de propositione simplici, materia enim est triplex necessaria scilicet impossibilis & contingens, quæ quidem non desumitur ex materia cuiuslibet propositionis, sed ex eo quod principaliter affirmatur vel negatur per propositionem quare hæc erit de materia necessaria, *si Petrus currit mouetur*, quia est necessaria connexio inter cursum Petri & eius motum, etiam si Petrum currere & Petrum moueri sit contingens. Forma propositionis hypotheticæ est copula, quâ ambæ propositiones inter se connectuntur, quæ est quadruplex *&* vel *nec, quia, si, aut* seu *vel* : nam per has notas seu signa propositio fit hypothetica, cum per illas vniantur propositiones categoricæ. Quantitas propositionis hypotheticæ est quæ inuenitur in vtraque categorica, vnde si vtraque fuerit vniuersalis, erit vniuersalis, si particularis, particularis, &c. Qualitas propositionis hypotheticæ est eius veritas vel falsitas. Circa quam de singulis dicemus.

12. Ad veritatem propositionis hypotheticæ copulatiuæ requiritur quod vtraque categorica sit vera, ad falsitatem vero quod vtraque vel alterutra sit falsa: vt cum dico *Petrus venit, & Ioannes disputat*. Si Petrus non venit, propositio erit falsa, etiamsi Ioannes disputet: ratio est quia cum vtrumque simul affirmetur per copulatiuam, *& malum sit ex quocumque defectu, bonum ex integra causa* ad veritatem illius requiritur veritas vtriusque, ad falsitatem vero vel vnius falsitas sufficit. Ad veritatem causalis requiritur, quod propositio prima quæ est antecedens sit causa secundæ quæ est consequentia : vt *quia Sol lucet, dies est*. Ad veritatem conditionalis generaliter requiritur, quòd vna propositio sequatur ex alia, quamuis vtraque sit impossibilis vel falsa : vt *si homo est asinus, habet quatuor pedes*. Ad veritatem disiunctiuæ non requiritur veritas vtriusque categoricæ : quia non affirmatur vtrumque copulatiue, sed sufficit vnius veritas : vt si dico *Petrus venit, aut Ioannes venit*, propositio erit vera veniente Petro, etiamsi Ioannes non veniat ; Tunc autem erit falsa, quando vtraque categorica est falsa. Sed potest dubitari : An quando vtraque categorica est vera, hypothetica disiunctiua sit falsa ? Vt si affirmetur *Petrus vel Ioannes dormit*, vtrum sit vera vtroque dormiente ? Dubium est de nomine & facile soluitur : nam si sensus talis propositionis est, quod alterutra pars tantum sit vera, falsa erit propositio, si vtraque pars sit vera, non minus quam si vtraque sit falsa iuxta rigorem dialecticum. Si vero sensus sit, quod alterutra sit vera, quidquid sit de

vtraque

vtraque, propoſitio,cuius vtraque pars eſt vera, erit abſolute vera. Et ſane non debet eſſe dubium, quin hunc ſenſum quandoque habeat, præſertim quando ſubintelligitur *ſaltem*, vt vere debet ſubintelligi in his propoſitionibus: *Qui maledixerit Patri aut Matri, morte moriatur* Leuitici 20. *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ſum* Matthæi 18.

SECTIO IV.


De oppoſitione propoſitionum Simplicium.

13. QVemadmodum ex habitudine, quam vnus terminus in propoſitione dicit ad alterum, reſultant variæ eorum proprietates ſcilicet *ſuppoſitio, appellatio*, &c. ita ex comparatione vnius propoſitionis ad alteram reſultant quædam earum proprietates ſcilicet *oppoſitio*, *æquipollentia* & *conuerſio*. De quibus ſingulis ſuo ordine agemus, & primo de oppoſitione.

Oppoſitio vt colligitur ex Ariſtot. 1. Periherm. cap. 4. eſt affirmatio & negatio eiuſdem de eodem: Ideſt oppoſitio propoſitionum eſt repugnantia inter propoſitionem affirmatiuam & negatiuam eiuſdem prædicati & ſubiecti. Ex qua repugnantia poſtea reſultat alia in veritate & falſitate. Ad veritatem huius oppoſitionis requiritur vt copula principalis in vna propoſitione affirmetur,in alia vero negetur: ex copula enim principali attenditur affirmatio & negatio propoſitionis. Propter quod iſtæ non opponuntur, *Petrus qui currit, mouetur, Petrus qui non currit, mouetur.* Deinde requiritur vt maneat & idem prædicatum & idem ſubiectum primò in nomine, deinde in re ſignificata, tertio in integritate, quarto in tempore & quinto in loco: nam hæc omnia denotantur per ly *eiuſdem de eodem* quando dicitur quòd oppoſitio propoſitionum eſt *affirmatio & negatio eiuſdem de eodem.* Defectu primæ conditionis hæ non opponuntur: *Petrus eſt iuſtus*: *Petrus non eſt iuſtitia.* Defectu ſecundæ hæ non opponuntur: *Canis latrat, canis non latrat*, ſi in prima ſupponat pro latrabili, in ſecunda pro cæleſti, vnde inter æquiuoca non eſt oppoſitio. Defectu tertiæ hæ non opponuntur: *Petrus ſcribit, Petrus non ſcribit bene*: quia prædicatum variatur per modum. Defectu quartæ hæ non opponuntur: *Chriſtus Dominus eſt in Sacramento ſub ſpecie panis, Chriſtus non eſt in Cœlo ſub ſpecie panis.* Et vt vno verbo dicam ad veritatem oppoſitionis requiritur propoſitiones habere eoſdem terminos cum eiſdem omnino proprietatibus ſcilicet ſuppoſitione, diminutione,appellatione, &c.

14. Hæc autem oppoſitio eſt quadruplex, contraria ſcilicet, contradictoria, ſubcontraria & ſubalterna. *Contraria* eſt inter duas propoſitiones vniuerſales, quarum altera negat quod altera affirmat: vt *omnis homo eſt albus, nullus homo eſt albus.* Propoſitiones ſic oppoſitæ in nulla materia poſſunt eſſe ſimul veræ; In contingenti vero poſſunt eſſe ſimul falſæ: vt ſi vnus tantum homo ſit albus, vtraque erit falſa: *Contradictoria* eſt inter duas propoſitiones, quarum altera ſit vniuerſalis,altera particularis, vna affirmatiua, altera negatiua: vt *omnis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus*: Propoſitiones ſic oppoſitæ in nulla materia poſſunt eſſe nec ſimul veræ nec ſimul falſæ. Ad hanc oppoſitionem reducuntur propoſitiones oppoſitæ de terminis ſingularibus determinatis: vt *Petrus currit, Petrus non currit*: quia iſtæ in nulla materia poſſunt eſſe ſimul veræ,nec ſimul falſæ, quæ dicuntur propoſitio-

nes contradicentes. *Subcontraria* eſt inter duas propoſitiones particulares, quarum altera ſit affirmatiua, altera negatiua: *Vt aliquis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus.* Propoſitiones ſic oppoſitæ nunquam poſſunt eſſe ſimul falſæ, bene tamen ſimul veræ in materia contingenti. *Subalterna* eſt inter duas propoſitiones ambas affirmatiuas vel ambas negatiuas, quarum altera ſit vniuerſalis, altera particularis: vt *omnis homo eſt albus*, *aliquis homo eſt albus.* Hæ propoſitiones verè & propriè non opponuntur: quia non opponuntur in affirmatione & negatione, ſed ſolum in quantitate, & poſſunt inueniri ſimul veræ & ſimul falſæ. Quæ omnia claritatis gratia in huiuſmodi figura proponuntur à dialecticis.



SECTIO V.

De æquipollentia & conuerſione propoſitionum ſimplicium.

15. SEcunda propoſitionum proprietas eſt æquipollentia, quæ eſt duarum propoſitionum æquiualentia, prouenitque ex diuerſis ſignis, quibus afficitur propoſitio: v. g. huic *omnis homo eſt animal* æquiualet iſta *nullus homo non eſt animal.* Idem enim eſt, nullum hominem eſſe qui non ſit animal, ac omnes eſſe animal. Circa quod notandum eſt particulam *non* ſi præponatur vni propoſitioni contradictoriæ reddere illam æquiualentem ſuæ contradictoriæ: v. g. *aliquis homo non currit* eſt contradictoria huius *omnis homo currit*: ſi autem præponatur *non* hoc modo: *non aliquis homo non currit*

æqui

æquiualet contradictoriæ *omnis homo currit*. Si vero postponatur *non* æquiualet contrariæ: vt *omnis homo currit*: si ponatur *non* post *omnis homo* hoc modo: *omnis homo non currit* æquivalet huic *nullus homo currit*. si denique ponatur particula *non* ante & post signum vniuersale hoc modo: *non omnis homo non currit*, æquiualet subalternæ scilicet *aliquis homo currit*. Quæ omnia continentur hoc carmine.

Præ contradic, *Post* contra, *Præ postque* subalter.

16. Tertia proprietas propositionum est conuersio, idest transmutatio vnius in aliam, mutando subiectum in prædicatum & prædicatum in subiectum: vt *Homo est animal*, *animal est homo*. Hæc conuersio est duplex, alia est cõuersio simpliciter, alia conuersio per accidens. Prima fit per solam transmutationem terminorum seruatã eadẽ quantitate & qualitate: v. g. *nullus homo est lapis*, *nullus lapis est homo*. Ecce ibi in vtraque seruatur idem terminus vniuersalis *nullus*, vbi vtraque propositio est vniuersalis, & vtraque est negatiua: Hoc modo conuertuntur vniuersalis negatiua & particularis affirmatiua, & in his valet consequentia ab vno ad aliud negatiue v. g. *est lapis*, *ergo non est homo*, Item *est homo*; *ergo non est lapis*.

Conuersio per accidens fit per transmutationem extremorum seruatâ qualitate, mutata quantitate: Et hoc modo conuertuntur vniuersalis affirmatiua & vniuersalis negatiua: Vt *omnis homo est animal*, *aliquod animal est homo*. Item *nullus homo est lapis*, *aliquis lapis non est homo*. Non potest autem hoc modo conuerti particularis affirmatiua vel negatiua: Non enim sequitur *Aliquis homo est animal*, ergo *omne animal est homo*, Neque sequitur *aliquis homo non est albus*, ergo *nullum album est homo*.

Alia conuersio solet in præsenti adduci quæ per contrapositionem dicitur, quæ fit mutando terminos finitos in infinitos, addendo scilicet quasdam negationes, quæ terminos infinitant: v. g. *omnis homo est animal*, *omne non animal est non homo*, sed hæc non est proprie conuersio: quia non mutantur extrema propositionum, sed potius auferuntur & diuersa ponuntur. Qua de causa & quia inutilis est nostro instituto, vlteriorem eius explicationem consultò omittimus.

SECTIO VI.

De propositionibus modalibus.

17. Propositio modalis est quæ non solum indicat prædicatum conuenire vel repugnare subiecto, sed etiam exprimit modum, quo illi conueniat vel repugnet. In quo differt à propositione absoluta (quæ & etiam dicitur propositio *de inesse*, in qua prædicatum simpliciter & sine vlla modificatione significatur conuenire vel repugnare subiecto. Hic modus (quantum ad præsens) est quadruplex videlicet *contingens*, *possibile*, *necesse & impossibile*. Qui modi dupliciter possunt afficere propositionem vel aduerbialiter vt ibi *Petrus necessario currit*, vel in nominatiuo: Vt *necesse est Petrum currere*: Quæ diuersitas ponendi modum quantum ad veritatem non variat propositionem.

Ex his modis desumenda est quantitas & qualitas propositionis modalis. Vnde alia est vniuersalis, alia particularis, & vtraque est adhuc duplex, alia affirmatiua. alia negatiua: Vniuersalis affirmatiua est illa, in qua ponitur ly *necesse* pro modo; negatiua in qua ponitur *impossibile*. Quapropter

propter *necesse* æquiualet signo vniuersali *omnis*, & *impossibile* signo vniuersali *nullus*. Particularis affirmatiua est in qua ponitur pro modo, *contingens aut possibile*, qui modi æquiualent signo particulari *aliquis*. Denique particularis negatiua est, in qua ponitur *possibile non* vel *contingens non*, qui modi æquiualent signo particulari *aliquis non*. Quæ omnia his carminibus significantur.


Omnis necesse valet, impossibile nullus,
Possibile quidam, quidam non possibile non.

18. Circa affirmationem & negationem propositionum modalium aduerte, eas esse affirmatiuas, quæ modum habent affirmatiuum, etiamsi habeant dictum negatiuum (per *dictum* intellige aggregatum ex accusatiuo casu & verbo infinitiui modi :) v. g. hæc est affirmatiua : *Necesse est hominem non esse Angelum*: quia licet sit negatio ex parte *dicti* scilicet *non esse Angelum*, est tamen affirmatiua ex parte modi : nimirum *necesse*. E contra hæc est negatiua : *Non est possibile Iudam saluari* propter rationem dictam ; & hoc idem debes notare quantum ad veritatem & falsitatem : vnde hæc est falsa propositio : *Aliquem hominem esse sapientem est necessarium :* quia licet verum sit quòd aliquis homo sit sapiens, quod est *dictum*, tamen falsum est quod hoc sit necessarium : cum possit contingere quòd nullus homo sit sapiens.

19. Circa oppositionem fere idem est dicendum, ac de propositionibus *de inesse* : videlicet vt opponantur contradictorie, negationem debere cadere supra modum. v. g. *Petrum currere est necesse, Petrum currere non est necesse.* Si autem negatio cadat non supra modum, sed supra *dictum*, oppositio erit contraria : vt v. g. *Petrum currere est necesse, Petrum non currere est necesse.* Vel *Petrum currere est impossibile :* quia iuxta dicta sic se habent *impossibile* & *necesse*, sicut *omnis & nullus.*

20. Circa æquiualentiam aduerte, impossibile opponi contradictorie possibili vel contingenti, quare si alteri eorum præponatur negatio æquiualebit suæ contradictoriæ : Idem enim est dicere : *Non est possibile*, ac dicere *impossibile est* : Item possibile & necesse esse modos subalternos, quare vt sic nullam habent oppositionem ; æquiualebunt tamen sibi inuicem per additionem negationum : v. g. *Non est necesse te currere*, idem est ac dicere, *possibile est te non currere.* Item *non est possibile te non currere*, idem sonat ac *necesse est te currere :* Æquiualentiæ harum propositionum adeo sunt claræ ex modo loquendi, vt diutius in eis explicandis immorari non deceat. Quæ diximus sufficiant pro intelligentia propositionum modalium & earum conuersione : Semel enim intellecto earum sensu, facile & earum æquiualentia & conuersio intelligetur. Dictiones, quæ ad hæc omnia explicanda fictæ sunt à summulistis, quæ quidem magis obumbrant, quam illuminant, & difficiliores sunt ipsæ, quàm id ad cuius explicationem fictæ sunt, consulto & merito omittimus ; omnia tamen in promptu habebis in subiecta figura.

Æquipo



CAPVT V.

De Argumentatione ad libros Priorum Aristotelis.

1. QVIA modus sciendi est genus ad argumentationem, ideo prius de ipso cum suis speciebus aliqua dicemus, quàm de argumentatione. Modus sciendi *est oratio ignoti manifestatiua.* Manifestare autem nihil aliud est, quàm rem in confuso & in tenebris latentem in palam adducere & explicare. Tot igitur erunt modi sciendi, quot fuerint ignota. Ignotum potest esse duplex, aliud incomplexum vt *homo*, aliud complexum: vt hæc propositio *Homo est risibilis*. Si fuerit complexum manifestatur per argumentationem: v. g. si velis manifestare hoc ignotum *Homo est risibilis*, quia ignoras cui proprie conueniat risibilitas, per hanc argumentationem debes manifestare, *omne rationale est risibile; sed omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis.* Si vero ignotum fuerit incomplexum, manifestatur per definitionem vel diuisionem: quia de incomplexo vel ignoratur eius essentia v. g. de homine, & tunc manifestatur per eius definitionem, dicendo quod est animal rationale; vel ignorantur eius partes, & tunc manifestatur per diuisionem dicendo, quod hominis alia pars est anima, alia corpus. Triplex igitur est modus sciendi iuxta triplex ignotum, nempe definitio, diuisio & argumentatio, de quibus singulis suo ordine agemus, & primò de definitione.

SECTIO I.

De Definitione.

DEfinitio communiter describitur, *quòd sit oratio manifestatiua rei ignotæ quoad naturam.* Dicitur *manife-*

stratiua rei ignotæ in quo tanquam in genere cõuenit cũ diuisione & argumentatione, dicitur *quoad naturam* per quod tanquam per differentiam differt à diuisione, quæ manifestat partes rei modo sect. seq. apponendo, & ab argumentatione, quæ manifestat non naturam alicuius rei simplicis, sed an aliqua propositio sit vera vel falsa?

2. Diuiditur etiam communiter definitio in definitionem, *quid nominis*, & in definitionem, *Quid rei*: Definitio *quid nominis* ex Scoto 1. prior. q. 5. *Est illa quæ exponit explicite significationem implicitam termini definiti*, quæ magis proprie dicitur descriptio. Et ad ipsam ex Scoto ibi requiruntur & sufficiunt tres conditiones, prima quod sit conuertibilis cum definito, secunda quod exprimat explicite significationem definiti, & tertia quod sit sine negatione. Definitio *quid rei* est *oratio explicans naturam & quidditatem rei.* Et est duplex alia quidditatiua seu essentialis, alia descriptiua. Quidditatiua est quæ explicat rei essentiam per partes intrinsecas & essentiales; quæ adhuc potest esse duplex: alia enim est pure & simpliciter quidditatiua, & alia quidditatiua per additamentum. Pure quidditatiua est cuius partes pertinent ad essentiam definiti; quæ & potest dari per partes physicas: v. g. dicendo quod *Homo constat corpore & anima rationali*; vel per partes Metaphysicas v. g. dicendo quod *homo est animal rationale*. Quidditatiua per additamentum est, in qua præter essentiam additur aliquid extrinsecum definito: Hoc modo definiuntur entia relatiua.

Definitio descriptiua est illa quæ explicat essentiam rei per proprias passiones: vt si dicatur *Homo est animal risibile vel admiratiuum.* Ad hanc definitionem reducitur definitio quæ datur per causas extrinsecas efficientem scilicet, finalem & exemplarem: vt quando dicimus: Homo est creatus à Deo ad Beatitudinem consequendam; & quando dicitur quod est creatus ad imaginem Dei, tamen vt hæc definitio causalis sit bona & conuertatur cum suo definito, debet assignari per causas proprias ipsius definiti.

3. Definitum vel potius ens definibile, est illud cuius natura per definitionem explicatur, quod quidem quasdam conditiones debet habere, vt capax sit propriæ & rigorosæ definitionis. *Prima* est quod sit ens reale: quia cum definitio explicet naturam rei, quod non est res, sicut entia rationis & entia impossibilia, nec habere potest definitionem. *Secunda* est quòd sit vnum per se & non sit vnum per accidens, quale est album & omne concretum accidentale; nec aggregatum ex pluribus entibus non subordinatis: vt est aceruus lapidum: quamuis enim huiusmodi entia possint cognosci & explicari etiam suo modo, tamen secundum Philosophum 7. Metap. c. 3. definitio rigorosa non datur nisi entis vnius per se. *Tertia* est quod sit resolubile in plures conceptus: quia cũ vera definitio constet genere & differentia, vt minimum definitum debet esse resolubile in duos conceptus, genus scilicet & differentiam. Hinc ens vt sic nequit proprie definiri. *Quarta* est quod sit vniuersale non vero singulare: quia definitio propria præcise explicat, quod pertinet ad quidditatem; cum autem singulare includat aliud præter essentiam, non potest de eo assignari definitio, quin ipsa explicet aliquid, quod non est de essentia definiti. Has conditiones assignat Scotus 4. d. 1. q. 2.

Item ad rationem bonæ definitionis quatuor regulæ seu conditiones assignantur. *Prima* & principalis est, quod constet genere & differentia, vel aliquo habente

habente vicem generis & differentiæ; ſi autem ſit eſſentialis & rigoroſa, debet aſſignari per genus proximum. Vnde hæc non eſt eſſentialis: *Homo eſt viuens rationale*. *Secunda* eſt quod conuertatur cum definito & negatiue & affirmatiue: v.g. *Eſt homo, ergo eſt animal rationale: eſt animal rationale, ergo eſt homo.* è contra *non eſt homo, ergo non eſt animal rationale: non eſt animal rationale, ergo non eſt homo.* Vnde omni & ſoli conuenit. *Tertia* eſt quod ſit clarior & notior definito: quia per illam eius eſſentia antea ignota debet explicari. Ex quo ſequitur definitum non debere intrare definitionem ſui: alias idem eſſet notius & ignotius. *Quarta* eſt quod nec ſit ſuperflua nec diminuta: quia ſuperflua potius parit confuſionem, quam claritatem, vnde hæc eſt vitioſa; *Homo eſt animal rationale, bipes*; diminuta vero non explicat totam naturam definiti: vt ſi dicas *Homo eſt viuens ſenſibile.*

Nota circa modum loquendi, inquirenti: Quæ *ſit iſta definitio*? Debere reſponderi, quidditatiua vel deſcriptiua; inquirenti vero *qualis ſit*? Debere reſponderi: bona vel mala, non autem vera vel falſa: quia verum vel falſum ſignificare ſolius eſt propoſitionis enunciatiuæ, qualis non eſt definitio.

SECTIO II.

De Diuiſione.

4. Diuiſio eſt *oratio totum in ſuas partes diſtribuens*: vt cum dicitur hominis alia pars eſt corpus, alia anima. Homo quod eſt totum quod diuiditur, dicitur diuiſum, partes vero diuidentes dicuntur membra diuidentia. Diuiſio eſt duplex ſicut & definitio, alia *nominis*, alia *rei*: *Nominis* eſt, vt cum dicitur: ſignificatum *Canis* aliud eſt piſcis marinus: aliud animal latrabile. Diuiſio *rei* eſt quæ diſtribuit rem in ſuas partes: vt patet in diuiſione aſſignata hominis. Cum ergo diuiſio ſit diſtributio totius in ſuas partes, quot modis fuerit totum, tot erunt diuiſiones. Totum autem quantum ad præſens eſt triplex potentiale, actuale & accidentale, triplex igitur eſt diuiſio potentialis, actualis & accidentalis.

Diuiſio potentialis, eſt quâ totum diuiditur in partes, quas ſub ſe, non actu, ſed potentia continet: talis eſt diuiſio generis in ſpecies, vt cum diuidimus animal in hominem & brutum; & ſpeciei in indiuidua, vt cum dicimus: Homo alius eſt Petrus, alius eſt Paulus; & etiam cum diuiditur aliquod tranſcendens in ſua inferiora: vt cum diuiditur ens vt ſic in ſubſtantiam & accidens.

Diuiſio actualis eſt, qua totum diuiditur in partes, ex quibus actualiter conſtat, ſiue ſint Metaphyſicæ: vt cum dicitur Hominis alia pars eſt *animal*, alia *rationale*; ſiue ſint phyſicæ vt cum dicitur: hominis alia pars eſt *corpus*, alia *anima*; ſiue ſint partes integrantes, vt cum dicitur: Hominis alia pars eſt caput, alia manus, &c.

Diuiſio accidentalis eſt, quâ totum accidentale diuiditur in ſuas partes, fitque multipliciter, primò in partes, quibus conſtat vt cū dicitur: *albi* alia pars eſt ſubſtantia, alia albedo; Item cum diuiditur ipſum ſubiectum in accidentia, vt cum dicitur: Homo alius eſt albus, alius niger. Rurſus cum diuiditur ipſum accidens in diuerſa ſubiecta: vt cum dicitur, Album aliud eſt lac, aliud nix. Denique datur etiam diuiſio accidentis in alia accidentia (intellige in concreto) vt cum dicitur: album aliud eſt dulce, aliud amarum, aliud frigidum: nam ſi diuidatur in accidentia in abſtracto: vt cum diuiditur

color in albedinem & nigredinem, tunc est diuisio potentialis idest generis in inferiora, nempe generis in species.

5. Regulæ pro bona diuisione sunt. *Prima* ne habeat multa membra diuidentia vitandæ confusionis gratia. Vnde consilium erit, si diuisum plura sub se contineat, quòd prius diuidatur in propinquiora, & hæc in alia. *Secunda* ne vllum membrum in alio includatur; quare hæc non est bona diuisio: animal aliud est rationale, aliud homo. *Tertia* vt membra diuidentia seorsim sumpta sint inferiora diuiso, & coniuncta ita illud adæquent, vt non excedant; Quare hæc non est bona diuisio: animal aliud est sensibile, aliud rationale: quia sensibile tam superius est & tam late patet, sicut animal; Nec etiam hæc est bona diuisio: Hominis alia pars est caput, alia pes; quia præter illas habet plures alias vt manus, cor, &c.

SECTIO III.

De Argumentatione & eius speciebus.

Ecce iam deuenimus ad ea quæ ad tertiam intellectus operationem spectant: Argumentatio enim est oratio, in qua vnum ex alio infertur: Idest, est oratio per quam intellectus discurrere dicitur, discurrit autem cum ex facto iudicio de aliqua re infert conclusionem: vt quando ex eo quod homo sit rationalis, infert quod sit disciplinabilis.

6. Hîc prænotandum est discrimen inter *conclusionem*, *consequens & consequentiam*, quæ reperiuntur in argumentatione. *Conclusio* est illa propositio quæ ponitur in syllogismo post notam illationis *ergo* vel *igitur*. *Consequens* est omnis propositio, quæ ponitur post notam illationis in quacumque argumentatione, siue sit syllogismus siue non, vnde omnis conclusio dicitur consequens, non tamen è contra. *Consequentia* vero differt à consequente: quia consequens est propositio posita post notam illationis, consequentia autem est illa habitudo resultans inter antecedens & consequens, idest habitudo consequutionis, quâ ad inuicem consequuntur. Quæ sic definitur à Scoto 1. Prior. q. 10. Consequentia est *oratio in qua vnum ex altero infertur media aliqua coniunctione illatiua*, quæ nota illationis dicitur.

Consequentia est duplex formalis & materialis, materialis secundum Doctorem supra est quæ non tenet in omnibus terminis retenta consimili dispositione & forma: Idest in qua vnum infertur ex alio præcise ex connexione rerum significatarum per terminos propositionum; non vero ex vi formæ & dispositionis, vnde non tenebit in omni materia. Formalis est quæ tenet in omnibus terminis stante consimili dispositione & forma terminorum. Idest quæ ex vi formæ & dispositionis extremitatum cum medio tenet in omni materia etiam impossibili. Et aduerte per formam & dispositionem intelligi circumstantias terminorum, quantitatē, qualitatem, suppositionem, ampliationem, &c. ita quod his omnibus recte dispotis iuxta regulas assignandas, consequentia erit formalis: vt patet in ista: *omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal*. Et sicut hæc est consequentia formalis per rectam dispositionem terminorum, ita & ista erit formalis etiamsi sit in materia impossibili: *omnis homo est equus, Petrus est homo; ergo Petrus est equus*: quia in illa seruatur idem ordo & dispositio: Hinc sequitur consequentiam non debere dici veram vel falsam, sed bonā vel malam: vt patet in præfata argumentatione.

Consequentia formalis, quę est genus ad

ad argumentationem, habet sub se plures species, prima est illa, in qua ex vna enunciatione sequitur sua æquiualens: vt patet in propositionibus æquiualentibus. Secunda est, in qua ex conuersa sequitur conuertens: vt constat ex couersione propositionum. Tertia est enunciatio hypothetica causalis seu illatiua: de quibus omnibus iam diximus cap. præced. Quarta denique est argumentatio, de qua in præsenti.

7. Hæc argumentatio est multiplex: Prima & potissima est *syllogismus*; Qui est *oratio in qua quibusdam positis aliud quiddam ab his quæ posita sunt ex necessitate accidit, eo quod hæc sunt.* Idest est oratio in qua positis duabus nempe maiori & minori in certo modo & figura dispositis, aliud nempe conclusio secundum necessariam illationem sequitur ex vi illarum præmissarum: vt patet in hoc syllogismo: *omne animal est substantia, omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia:* Et hæc est perfectissima argumentatio, ad quam omnes argumentationis species, vt vim habeant, reduci debent. Secunda species argumentationis est *Enthimema*, quod dicitur syllogismus truncatus: quia loco antecedentis solum habet vnam propositionem: v. g. *omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia*, vbi subintelligitur alia propositio nimirum *omne animal est substantia.* Tertia species est *inductio* quæ ex particularibus sufficienter enumeratis ad vniuersale argumentando progreditur: Idest, est oratio, in qua ex eo quod aliquid competat singularibus omnibus infertur quod illud ipsum possit de natura communi omnibus illis singularibus vniuersaliter prædicari: v. g. Hic ignis calefacit, ille ignis calefacit & sic de reliquis, ergo omnis ignis calefacit. Quarta est *Exemplum*, qua ab vno vel duobus singularibus ad aliud singulare argumentamur: vt v. g. *Petrus flendo amare sua peccata, obtinuit veniam eorum: ergo & si tu ita feceris, obtinebis.* Quinta est *Dilemma* seu argumentum cornutum, quo complecteris duas partes, quibus omnino præcluditur fuga respondenti: In quamcumque enim partem incidat, argumento feritur: vt v. g. Intendens quis redarguere seruum inobedientiæ vel negligentiæ sic ait: vel percepisti, quæ dixi, vel non? si percepisti, quare non exequutus es? si non percepisti, quare non interrogasti? Hi tres vltimi modi argumentandi, vt concludant vi formæ, debent ad syllogismum aliquem reduci, subintellecta aliqua propositione, sicut diximus de enthimemate. Quare præfata diuisio non est immediata.

SECTIO IV.

De regulis & conditionibus bonæ argumentationis.

8. SYllogismus, vt dixi, est argumentatio potissima & ideo pro eodem vsurpatur in præsenti bona argumentatio, ac bona syllogizatio. Pro intellgentia ergo formæ syllogisticæ, à qua pendet bona argumentatio. Notandum est primo: Non sufficere ad bonam argumentationem, vtramque propositionem esse veram, sed vlterius requiri, vnam ex alia vel ex alijs sequi: quare hæc non est bona argumentatio: *omnis homo est animal: omnis leo est rugibilis, ergo omnis equus est hinnibilis*: quia licet omnes propositiones sint veræ? non tamen vltima ex duabus primis sequitur. Debent ergo primæ propositiones continere

in ſe conſequens; Vt autem cognoſcatur, quando] præmiſſæ concluſionem continent.

Nota ſecundo, omnem fere formam ſyllogiſticam inniti principio illo certo & communi: *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Ideſt quando duo aliqua v.g. intellectus & voluntas identificantur cum alia re ſcilicet cum anima, eo ipſo debere identificari etiam inter ſe. In omni ergo bona argumentatione, quæ inferuntur vnita inter ſe in conſequenti, debent in antecedenti vniri cum aliquo tertio v.g. contendo probare, Petrum vniri cum animali ideſt eſſe animal, vt hoc faciam, debeo aſſumere pro medio rem aliquam, cum qua vniantur Petrus & animal, nempe *homo*; & ex eo quod Petrus & animal vniantur cum homine, bene inferam vniri etiam inter ſe hoc modo: *omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal.* Ecce in præmiſſis vniuntur Petrus & animal cum homine, vnde infertur in conſequenti, Petrus & animal vnita eſſe inter ſe. Hinc colligitur medium illud, cum quo vniuntur ſubiectum & prædicatum concluſionis, debere repeti in vtraque præmiſſa, vel in vtraque pro prædicato: vel in vtraque pro ſubiecto, vel in vna pro ſubiecto & in alia pro prædicato; alios vero duos terminos, cum quibus coniungitur medium, non debere repeti in præmiſſis, ſed in illis ſemel poni, vnum in vna, alterum in altera; in conſequenti vero vtrumque debet repeti. Vnde ſequitur, argumentum conſtans quatuor terminis eſſe vitioſum, ſicut & conſtans minus quam tribus: v.g. omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo, ergo Ioannes eſt animal, non valet conſequentia: quia ſyllogiſmus habet quatuor terminos ſcilicet Petrus, Ioannes, animal, homo. Ratio à priori eſt: quia quando ſunt quatuor termini non poſſunt vniri cum medio illi duo, qui vniuntur poſtea in concluſione inter ſe.

Alia duo principia aſſignauit Ariſtoteles, quibus ars omnis ſyllogiſtica innititur ſcilicet *Dictum de omni*, cui innituntur ſyllogiſmi affirmatiui, & *dictum de nullo*, cui negatiui. *Dictum de omni* ſignificat, quod quidquid vniuerſaliter prædicatur de aliquo, prædicatur etiam de quocumque contento ſub ipſo: quod lumine naturali eſt euidens: v.g. *omnis homo eſt riſibilis, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt riſibilis.* Nam *riſibile* quod prædicatur in maiori de homine in vniuerſali, prædicatur in concluſione de Petro, & in minori oſtenditur, quod petrus contineatur ſub homine. *Dictum de nullo* ſignificat quod quidquid vniuerſaliter negatur de aliquo, negari etiam debeat de quocumque contento ſub ipſo, quod eſt etiam lumine naturali notum: v.g. *nullum animal eſt lapis, omnis homo eſt animal; ergo nullus homo eſt lapis*: nam *lapis* qui negatur vniuerſaliter in maiori de animali, negatur etiam in concluſione de homine, & in minori oſtenditur, quod homo contineatur ſub animali.

9. Plures regulas & conditiones bonæ argumentationis enumerant communiter dialectici. *Prima* eſt: In bona argumentatione ex antecedenti vero ſemper ſequitur conſequens verum, ſimiliter ex antecedenti poſſibili vel contingenti conſequens poſſibile vel contingens, & ex antecedenti neceſſario neceſſarium: ratio eſt quia antecedens habet rationem cauſæ reſpectu conſequentis, cauſa autem non impedita producit effectum ſibi ſimilem; ergo &c. *Secunda* eſt: Ex antecedenti falſo in bona argumentatione aliquando ſequitur verum: vt v. g. *omnis*

lapis

lapis est animal, omnis homo est lapis, ergo omnis homo est animal. Aliquando sequitur falsum, vt *Petrus volat, ergo habet alas.* Quando dicitur, quod ex falso sequitur verum, non est sic intelligendum, quasi præmissæ falsæ influant veritatem in conclusionem: Hoc enim est impossibile; sed sensus est, præmissas alias falsas sic posse disponi, vt ex ipsis sequatur consequens verum, quod alio modo potest explicari dicendo, quod in tali casu ex vi dispositionis seu formæ argumentationis sequitur veritas consequentiæ, sed non consequentis; ex his sequitur valere argumentum, antecedens est verum, ergo consequens, & similiter consequens est falsum: ergo & antecedens est falsum. Non autem valet consequens est verum, ergo & antecedens est verum, neque similiter antecedens est falsum; ergo & consequens est falsum. *Tertia* est: à superiori ad inferius negatiue valet consequentia: v. g. non est viuens, ergo non est animal; Et ab inferiori ad superius affirmatiue valet. v. g. est animal, ergo est viuens.

Quarta regula est, quod in bona argumentatione semper conclusio sequitur debiliorem partem suæ causæ: Idest, quod si aliqua ex præmissis est particularis, conclusio erit particularis; si negatiua, conclusio necessario debet esse negatiua: vt patet in hoc syllogismo: *nullum animal est lapis, aliquis homo est animal, ergo aliquis homo non est lapis.* *Quinta* regula est, quod ex puris negatiuis nihil syllogistice concludatur. *Sexta* est, quod neque ex puris particularibus. *Septima* est quod medium idest terminus medius debet perfecte distribui in aliqua ex præmissis; tunc autem perfecte distribuitur, quando vel est subiectum vniuersalis affirmatiuæ, vel prædicatum vniuersalis negatiuæ: & ex hac regula constat etiam, quod aliqua ex præmissis debet esse vniuersalis, & quod si vna sola sit vniuersalis, medium debet esse prædicatum eiusdem: Vnde non valet hic syllogismus; *aliquod animal est hinnibile, omnis equus est animal, ergo aliquis equus est hinnibilis.* Nec iste, *Aliquod animal non est irrationale, omnis equus est animal, ergo aliquis equus non est irrationale &c.*

SECTIO V.

De Materia, forma & figura syllogismorum.

10. MAteria syllogismi est duplex, alia remota, alia proxima; remota sunt termini, quibus conficiuntur propositiones; hi autem sunt tres, primus dicitur medium seu medius terminus & reperitur in duabus primis propositionibus & in tertia reticetur, secundus dicitur maior extremitas & ponitur cum medio in priori propositione. Tertius dicitur minor extremitas & ponitur cum medio in posteriori propositione. Materia proxima sunt tres propositiones, quibus immediate syllogismus componitur: prima dicitur *maior*; secunda *minor*, & vtraque dicitur præmissa, tertia dicitur conclusio.

11. *Forma* syllogismi est duplex, secundum quod duplici materiæ correspondet, altera quæ correspondet materiæ remotæ idest terminis, quæ dicitur *figura syllogismi*, altera quæ correspondet materiæ proximæ, id est propositionibus, quæ dicitur *modus syllogismi.* Prima corres

correſpondens terminis ſic poteſt deſcribi : Eſt debita ordinatio trium terminorum ſecundum debitam ſubiectionem & prædicationem in duabus præmiſſis, & eſt triplex. Prima eſt quando medium in maiori eſt ſubiectum, & in minori prædicatur : vt ibi: *omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal* : Ecce ly *Homo* qui eſt medium in hoc ſyllogiſmo, in maiori eſt ſubiectum & in minori prædicatum. *Secunda* figura eſt, in qua medium in vtraque præmiſſa eſt prædicatum : vt ibi *Nullus lapis eſt animal, Petrus eſt animal, ergo Petrus non eſt lapis.* Tertia eſt quando medium in maiori & in minori eſt ſubiectum vt ibi : *omnis homo eſt animal, omnis homo eſt ſenſibilis, ergo aliquod animal eſt ſenſibile.*

12. *Modus ſyllogiſmi* eſt recta diſpoſitio propoſitionum, ex quibus conflatur, eſtque multiplex : nam in prima figura aſſignantur nouem, in ſecunda quatuor, & ſex in tertia, qui omnes ſequentibus verſibus iam vulgaribus continentur :

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum,
Ceſare, Cameſtres; *Feſtino, Baroco, Darapti,*
Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

Pro quorum intelligentia obſerua *primo* in omnibus his dictionibus (quæ & modi ſyllogiſmorum dicuntur) ſolas eſſe quatuor vocales A. E. I. O. ex quibus *A* ſignificat propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam : vt *omnis homo eſt animal.* E. vniuerſalem negatiuam : vt *nulla planta eſt ſenſibilis.* I. particularem affirmatiuam : vt *aliquis homo eſt Philoſophus.* O. particularem negatiuam : vt *Petrus non currit.*

Obſerua *ſecundo*, in qualibet dictione ſeu modo ſeorſim ſumpto tantum eſſe tres vocales : quia tres tantum ſunt propoſitiones in quolibet ſyllogiſmo; quòd ſi aliquæ dictiones habent quatuor aut plures vocales, vltimæ additæ ſunt præciſe propter integritatem carminis : vt in *Baralipton & Friſeſomorum*, ly *ton* & *orum*. Prima ergo vocalis ſignificat maiorem, ſecunda minorem, tertia concluſionem : Dictio conſtans tribus vocalibus A: vt *Barbara* denotat ſyllogiſmum conſtantem tribus propoſitionibus vniuerſalibus affirmatiuis : vt *omnis homo eſt animal, omne riſibile eſt homo, ergo omne riſibile eſt animal.* Dictio vero conſtans vna A. & duplici I. vt *Darij.* Denotat primam propoſitionem debere eſſe vniuerſalem affirmatiuam : ſecundam vero & tertiam particulares affirmatiuas : vt *omne animal eſt ſubſtantia, aliquis equus eſt animal, ergo aliquis equus eſt ſubſtantia.* Dictio conſtans. E, A, E, vt *Ceſare* in ſecunda figura denotat, priorem præmiſſam debere eſſe vniuerſalem negatiuam, poſteriorem vero vniuerſalem affirmatiuam, & concluſionem vniuerſalem negatiuam : vt *nulla planta eſt animal, omnis homo eſt animal, ergo nulla planta eſt homo.* Vbi & collocationem medij cum extremitatibus, prout ſupra traditum eſt, debes aduertere. Et idem omnino proportione ſeruatâ dicendum eſt de cæteris aliis dictionibus. Item eſt notandum ex his modis nouem primos in primo & ſecundo carmine contentos ad primam figuram pertinere, quatuor ſequentes ad ſecundam, & reliquos ſex ad tertiam.

Obſerua *tertio* ex prædictis ſyllogiſmis aliquos concludere directe, indirecte aliquos. Illi directe concludunt, in quibus ſubiectum maioris eſt prædicatum in minori : vt *omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo,* & in conſequenti

ti ponitur pro ſubiecto ſubiectum minoris, vt ſi ex prædictis præmiſſis inferas: *ergo Petrus eſt animal.* Ideſt quando maior extremitas prædicatur de minori in concluſione. Quòd ſi è contra minor extremitas prædicetur de maiori, & ex eiſdem præmiſſis (vt poteſt) inferatur, *ergo aliquod animal eſt Petrus,* tunc ſyllogiſmus indirecte concludet: Tandem obſerua, ex illis omnibus modis quatuor tantum eſſe perfectos *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*; reliquos omnes imperfectos. Perfecti dicuntur, quia ita clare diſpoſiti ſunt, vt ſtatim appareat bonitas conſequentiæ; imperfecti vero qui obſcurius inferunt concluſionem, ideoque ad perfectos reducendi ſunt. De qua reductione in ſequentibus.

SECTIO VI.

De reductione ſyllogiſmorum oſtenſiua.

13. Licet verum ſit ſyllogiſmos imperfectos non ita clare ac euidenter concludere, tamen in rei veritate, licet obſcurius non minus bene concludunt, quàm ſyllogimi perfecti: Vt igitur hoc probetur, excogitata eſt duplex via reducendi cæteros imperfectos ad illos quatuor primos perfectos, vna eſt, vt qui negaret conſequentiam cæterorum, cogi poſſit ad negandam conſequentiam illorum quatuor, & hæc dicitur reductio per oſtenſionem, ſeu oſtenſiua, de qua in præſenti: Alia eſt vt qui negaret conſequentiam illorum, cogatur ad concedendum, quod contradictoria aut contraria poſſint ſimul eſſe vera, & hæc dicitur reductio ad impoſſibile, de qua in ſeq. ſect.

Reductio oſtenſiua fit, quando per tranſmutationem minoris in maiorem aut è contra maioris in minorem, vel per conuerſionem alicuius propoſitionis ſyllogiſmus imperfectus in perfectum conuertitur. Pro quo aduertendum eſt *primo*, quatuor modos perfectos habere quatuor conſonantes initiales, à quibus etiam incipiunt cæteri modi imperfecti. Quilibet ergo ex imperfectis debet reduci ad perfectum incipientem ab eadem conſonante, à qua ipſe qui reducitur: v. g. *Baralipton* debet reduci ad *Barbara*, *Celantes* & *Ceſare* ad *Celarent*, *Friſeſomorum* ad *Ferio*, *Dabitis* ad *Darij* & ſic de reliquis.

Aduertendum eſt *ſecundò* intra quamlibet dictionem eſſe aliquam ex his conſonantibus S. P. M. C. ex quibus S. ſignificat propoſitionem ſignificatam per vocalem ſibi antecedentem conuertendam eſſe ſimpliciter, ideſt mutandum ſubiectum in prædicatum, & prædicatum in ſubiectum, retenta eadem quantitate & qualitate. Hoc modo reducitur *Ceſare* ad *Celarent*: verbi gratia *nullus lapis eſt animal, omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt lapis.* Ecce ſyllogiſmum in *Ceſare.* Littera C. denotat reducendum ad *Celarent*, littera S, quæ eſt poſt E, in *Ceſare* denotat propoſitionem vniuerſalem negatiuam ſignificatam per E, conuertendam ſimpliciter hoc modo? *Nullum animal eſt lapis, omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt lapis*: ecce iam hic ſyllogiſmus perfectus in *Celarent.*

Littera P, ſignificat propoſitionem, quæ ipſam antecedit conuertendam eſſe per accidens, ideſt mutato ſubiecto in prædicatum & è contra, mutandam etiam eſſe quantitatem vniuerſalem ſcilicet in particularem, vel particularem in vniuerſalem: verbi gratia *Felapton* debet reduci ad *Fe-*

rio hoc modo *Nullum animal est lapis, omne animal est sensibile: ergo aliquod sensibile non est lapis*, hic est in *Felapton*; quia vero post *A*, sequitur immediate P, vt reducatur ad *Ferio*, illa propositio vniuersalis affirmatiua debet conuerti per accidens hoc modo: *Aliquod sensibile est animal*, & sic iam continetur in *Ferio*, qui debet constare vniuersali negatiua, particulari affirmatiua & particulari negatiua hoc modo: *Nullum animal est lapis, aliquod sensibile est animal, ergo aliquod sensibile non est lapis*. Sed Nota, quod in *Baralipton* in quo solo P, ponitur post tertiam vocalem, significatur conclusionem debere conuerti per accidens seruatis ijsdem præmissis, ex quo reducitur ad *Barbara*: v. g. hic syllogismus: *omnis homo est animal, omne risibile est homo, ergo aliquod animal est risibile*, est in *Baralipton*, & cum incipiat à B, reduci debet ad *Barbara*? Et quia in ipso non ponitur S, nec P, post vllam ex duabus primis vocalibus, nec M. in toto vocabulo, propterea præmissæ debent relinqui eodem ipso modo; quia vero P, posita post tertiam vocalem significat conclusionem conuertendam esse per accidens, sic fiet dicendo *omne risibile est animal*, tuncque erit syllogismus in *Barbara*. Itaque si quis neget conclusionem *Baralip.* admissis præmissis, inferatur in *Barbara* ex ijsdem præmissis conclusio vniuersalis affirmatiua directe; & tunc illam propter euidentiam negare non poterit. Deinde conuertatur illa conclusio per accidens in particularem affirmatiuam, & illam etiam negare non poterit sequi ex ijsdem præmissis: quia ex quibuscumque præmissis sequitur vna conclusio, sequitur etiam & quæcumque alia, in quam illa bene conuerti possit: Impossibile enim est conuersam esse veram, quin conuertens seu illa in quam bene conuertitur, sit vera. Vnde concedere cogetur ex ijsdem præmissis sequi conclusionem, quam antea negauit sequi.

Littera M, significat maiorem & minorem esse transmutandas, ita vt maior fiat minor & minor fiat maior; sed quia cum M, semper fere coniungitur S, denotat, eam propositionem, quæ est immediate ante S, conuertendam esse simpliciter; quod si etiam in ea dictione fuerit P, propositio illam antecedens conuertenda est per accidens: vt in *Fapesmo* in quo sunt omnes tres consonantes P, S, & M. Et vt reducatur ad *Ferio*, prima propositio debet conuerti per accidens, secunda simpliciter & deinde debent transmutari minor pro maiori & maior pro minori hoc modo: *omnis homo est animal, nullus lapis est homo, ergo aliquod animal non est lapis*, prima propositio: *omnis homo est animal* conuertitur per accidens hoc modo: *aliquod animal est homo*; secunda *nullus lapis est homo* conuertitur simpliciter sic: *nullus homo est lapis* & hæc ponitur pro maiori, illa pro minori sic: *nullus homo est lapis, aliquod animal est homo* & inde infertur, *ergo aliquod animal non est lapis*: Ecce iam syllogismus perfectus in *Ferio*. Et hæc exempla sufficiant, plura enim, & pro quolibet modo apponere exemplum esset nimis prolixum quod relinquitur industriæ & diligentiæ tyronum.

Littera C, quæ ponitur in solis *Bocardo* & *Baroco* in quibus nulla ex alijs tribus supradictis litteris reperitur, significat, quod non possint reduci per ostensionem: vnde ipsorum bona conclusio debet

probari

probari alio modo, scilicet per reductionem ad impossibile, de qua in seqq.

SECTIO VII.

De Reductione syllogismorum ad Impossibile.

14. HAec est secunda via reducendi syllogismos imperfectos & obscure concludentes ad perfectos, quæ non solum deseruit pro duobus dictis modis *Baroco* & *Bocardo*, sed & pro reliquis imperfectis. Pro qua,

Obserua *primo*, has tres dictiones, quas inuenerunt dialectici pro assignandis modis imperfectis trium figurarum videlicet *nesciebatis*, *odiebant*, *letareromanis*. Prima habet quinque vocales suo ordine correspondentes quinque modis imperfectis primæ figuræ. Secunda habet quatuor significantes etiam suo ordine quatuor modos secundæ figuræ. Tertia denique habet sex pro sex modis tertiæ figuræ. Obserua *secundo*, in his dictionibus solum esse quatuor vocales distinctas A, E, I, O, pro quatuor modis perfectis: A, pro *Barbara*, E pro *Celarent*, I pro *Darij*, O pro *Ferio*. A ergo denotat syllogismum à se significatum reducendum ad *Barbara* in quacumque dictione sit, E ad *Celarent*, I ad *Darij*, O ad *Ferio*. Vnde quia in *nesciebatis* secundum E, significat *Dabitis*, qui est tertius ex imperfectis primæ figuræ, denotat illum syllogismum reducendum esse ad *Celarent*. Similiter quia primum I significat *Celantes*, qui est secundus ex imperfectis eiusdem figuræ, denotat illum syllogismum reducendũ ad *Darij*, & sic de reliquis. Modus autẽ reducendi pro qualibet figura talis debet esse.

Pro prima figura, si negetur conclusio vllius ex illis modis, assumatur contradictorium eius pro maiori, maior vero syllogismi primi concessa pro minori, & sic inferatur contraria minoris prioris admissæ v. g. *omne animal est sensibile*, *omnis homo est animal*, *ergo aliquod sensibile est homo*. Hic est in *Baralipton*, & significatur per primum E in dictione *nesciebatis*, quare reduci debet ad *Celarent*. Et quia conclusio negata erat hæc, *ergo aliquod sensibile est homo*, contradictorium huius scilicet *nullum sensibile est homo*, debet poni pro maiori, pro minori vero maior primi syllogismi scilicet *omne animal est sensibile*, pro conclusione vero contrarium minoris antea concessæ quæ erat *omnis homo est animal*, contrarium autem est: *nullus homo est animal* hoc modo: *Nullum sensibile est homo*, *omne animal est sensibile*: *ergo nullum animal est homo*. Ecce syllogismum perfectum in *Celarent*, quo cogitur Respondens admittere simul, *omnem hominem esse animal* quod prius concesserat, & *nullum hominem esse animal*. Quod pôstea cogitur fateri per syllogismum perfectum & clarum in *Celarent*. Quod similiter exemplificari potest in reliquis modis imperfectis huius figuræ. Excipitur tamen *Celantes*, cuius minor ponenda est pro maiori, & contradictorium conclusionis negatæ pro minori, & in *Darij*, ad quem debet reduci sequitur contradictorium propositionis, in quã conuerti potest maior: v.g. si aliquis neget conclusionem huius syllogismi facti in *Celantes*: *Nullum animal est sensitiuum*, *omnis homo est animal*, *ergo nullum insensitiuum est homo*. vt reducatur ad impossibile, assumatur minor pro maiori sic *omnis homo est animal* & contradictoriũ conclusionis pro minori *ni-*

mirum aliquod insensibile est homo. Ex illis duabus sequitur in *Darij, ergo aliquod insensitiuum est animal*, in quam cõuerti potest simpliciter maior syllogismi primi, nempe *nullum animal est insensitiuũ.*

Modi secundæ figuræ debent hoc modo reduci, retenta antiqua maiori, contradictorium consequentis negati ponatur pro minori, in consequenti inferatur contradictorium minoris antea concessæ: vt v.g. *Cesare* qui est primus secundæ figuræ significatur per O in dictione *odiebant* reducitur ad *Ferio:* v.g. *nullum animal est Angelus, omnes throni sunt Angeli: ergo nullus thronus est animal,* prima maior erat *nullum animal est Angelus*, quæ debet retineri, conclusio negata erat: *ergo nullus thronus est animal* contradictorium eius est *aliquis thronus est animal*, quæ debet poni pro minori; minor vero concessa erat *omnis thronus est Angelus*, cuius contradictorium scilicet *aliquis thronus non est Angelus*, debet inferri pro conclusione hoc modo: *Nullum animal est Angelus, aliquis thronus est animal, ergo aliquis thronus non est Angelus.* Ecce syllogismus perfectus in *Ferio.*

Denique modi tertiæ figuræ reducuntur hoc modo, pro maiori ponatur contradictorium conclusionis negatæ, & subsumatur illa eadem minor quæ fuit antea, & ex illis sequitur contradictorium vel contrarium maioris concessæ: v.g. *nullum animal est lapis, omne animal est substantia, ergo aliqua substantia non est lapis:* Ecce syllogismus in *Felapton,* si negatur consequens, assumatur pro maiori contradictorium conclusionis, nempe *omnis substantia est lapis,* retineatur eadem minor *omne animal est substantia,* & ex illis sequitur in *Barbara* ergo *omne animal est lapis,* quæ est contraria propositio maiori ante concessæ, nempe *nullum animal est lapis.* Et ex his sufficienter tradita manet notitia de relatione syllogismorum, quæ (meo iudicio) non est multum necessaria, sed raro vtilis, imo sæpe deseruiens ad opprimendam memoriam & fatigandum intellectum.

CAPVT VI.
De Demonstratione ad libros Posteriorum Aristotelis.

1. DEMONSTRATIO est argumentum certum & euidens, quod per suam euidentiam rem clare demonstrat, vnde per demonstrationem acquiritur cognitio seu notitia clara alicuius rei. Hinc queri solet à multis: An propositio Aristotelica: *omnis doctrina & disciplina fit ex praexistenti cognitione*, intelligi debeat de cognitione euidenti habita per demonstrationem præcise, vel simul etiam de aliis? Per *doctrinam* intelligitur notitia propria industria & labore inuenta, per *disciplinam* notitia opera Magistri & præceptoris acquisita. Respondeo ergo ad quæsitum, debere intelligi non de cognitione habita per demonstrationem præcise, sed de cognitione habita per quemcumque discursum syllogisticum: discursus autem proprie est motus ab vno ad aliud extremum, inde per metaphoram significat motum intellectus ex vna veritate cognita ad aliã, vnde sic posset definiri: est progressio intellectus ab vna cognitione ad aliam. Cum ergo omnis cognitio discursiua (vnde & etiam demõstratiua) fiat ex præexistenti cognitione, meritò antequam de ipsa demonstratione tractemus, de præcognitionibus & præcognitis ad ipsam prærequisitis, sermonem facimus. Sit ergo Sectio 1.

SECTIO

SECTIO I.

De Præcognitis ante demonstrationem.

2. PRæcognita id eſt prius cognita ſunt obiecta, quæ prius cognoſci debent ante demonſtrationem; præcognitio vero eſt cognitio quæ habetur de illis obiectis præcognitis. Tria ergo ſunt præcognita ex Ariſtotele hîc, quorum notitia præcedere debet demonſtrationem, videlicet *principium* ſeu dignitas, *ſubiectum & paſſio*. Pro quo aduerte, antequam in concluſione prædicatum attribuatur ſubiecto, debere cognoſci præmiſſas, ex quibus infertur concluſio, quæ cum efficiant vnum integrum principium concluſionis, inde vnum præcognitum appellatur, quod dicitur *principium*. Rurſus debere præcognoſci ſubiectum concluſionis, de quo demonſtratur paſſio; propter quod & ipſa paſſio debet aliquo modo præcognoſci. Pono exemplum: *omne rationale eſt riſibile, omnis homo eſt rationalis, ergo omnis homo eſt riſibilis*. Ecce in hac demonſtratione *Homo* eſt ſubiectum, *riſibilitas* eſt paſſio, hoc complexum *omne rationale eſt riſibile, omnis homo eſt rationalis*, eſt dignitas ſeu principium, hæc igitur tria debent præcognoſci ante actum demonſtrationis. Aduerte ſecundo, de qualibet re quatuor tantum inquiri poſſe videlicet An ſit? Quid ſit? Qualis ſit? Et propter quid ſit? de quibus quæſtionibus duæ poſteriores demonſtrantur: vt patet in præfata demonſtratione, vbi demonſtratur de homine, quod ſit riſibilis & propter quid ſit riſibilis nempe propter rationalitatem, duæ ergo priores ſcilicet An ſit? & Quid ſit? præcognoſcuntur.

De *principio* præcognoſci debet, non *quid eſt*, ſed *quia eſt*, primum patet: quia eſt ens complexum & ens per accidens, de quo non eſt aſſignabilis proprie quidditas ex Ariſtotele 7. Met. tex. 10. Secundum etiam conſtat: quia vt optime inſinuat Scotus 1. Poſter. q. 5. principium ſeu dignitas cauſat veritatem concluſionis; ſed non ens nihil poteſt cauſare, ergo præcognoſcitur de principio *Quia eſt*: id eſt quod eſt Verum.

De *Subiecto* præcognoſcitur *quid eſt & quia eſt*, primũ eſt certum: quia quidditas ſeu definitio ſubiecti eſt medium in demonſtratione à priori, de qua loquimur, ergo præcognoſci debet de Subiecto *quid eſt*: id eſt quidditas ipſius; quod non eſt præciſe intelligendum de quidditate, quæ explicatur per intimiorẽ ſeu eſſentialem differentiam, ſed ſufficit differentia illa ad quã conſequuntur paſſiones demonſtrabiles de illo ente in tali vel tali ſcientia: v. g. vt Philoſophus demonſtret hominem eſſe generabilem vel corruptibilem à priori, non requiritur præcognoſcere ipſum eſſe rationalem, ſed ſufficit præcognoſcere, eſſe ens mobile vel naturale, quæ differentia poteſt eſſe medium etiam in demonſtratione potiſſima; ſecundum conſtat etiam clare, quia *quid eſt* præſupponit *quia eſt*: Id eſt quod habet quidditatem, neceſſe eſt quod ſit in rerum natura; Quod non eſt intelligendum de eſſe, quod eſt actualiter exiſtere, ſed de eſſe ſecundum quid abſtrahens ab hoc quod ſit vel erit, vel fuerit aliquando: id eſt eſſe quod præſupponitur eſt eſſe non prohibitum in rerum natura: vt loquitur Scotus ſupra q. 7.

De *Paſſione* præcognoſci debet, quid eſt quod ſignificatur per nomen, non vero quid eſt rei ſimpliciter: ratio huius eſt quia in concluſione demonſtratur an ſit & quid ſit Paſſionis, Vbi concluditur ipſam ineſſe ſubiecto,

ergo nõ debet de ipsa præcognosci *si est* & *quid est simpliciter*: quia quod demonstratur non præcognoscitur. Quod autẽ debeat præcognosci *quod quid est nominis* patet: quia cũ sit pars cõclusionis, debet aliquo modo præcognosci in pręmissis: Si enim prorsus ignoramus quæ sit nominis significatio, non poterit in cõclusione tale nomẽ attribui subiecto.

SECTIO. II.

De diuisione & definitione Demonstrationis.

3. Demonstratio diuiditur in demonstrationem *propter quid* & in demonstrationem *Quia*: demonstratio *propter quid* est illa, in qua scitur conclusio propter causam proximam & adæquatam, à qua prouenit, quod extrema eius sint connexa. *Demonstratio Quia* est illa per quam sciretur quidem certo conclusio esse veram, non tamen sciretur per causam proximam & adæquatam; sed vel à posteriori procedit, hoc est ab effectu vel à causa aliqua remota: vt cum ostenderetur quod lapis non esset risibilis, ex eo quod non esset animal.

Demonstrationem *propter quid* sic definiuit Aristoteles 1. Poster. cap. 1. *Est syllogismus procedens ex veris primis & immediatis, notioribus prioribus & causis conclusionis.* Cuius partes sic explico: Ponitur ly *syllogismus* loco generis, in quo conuenit demonstratio cum syllogismo topico qui generat opinionem & sophistico, qui generat errorem, reliquæ particulæ ponuntur loco differentiæ: per eas enim indicatur demonstrationem generare scientiam, per quod differt à syllogismo topico & sophistico. Vnde Aristoteles aliter definiuit: Esse Syllogismum *Epistemonicon* id est facientem scire seu causantem scientiam. Ponitur ly *ex veris*: quia licet aliquando ex falsis præmissis sequatur vera conclusio: Vt diximus cap. præced. sect. 4. tunc tamen aliunde & non ex ipsis præmissis sequitur veritas conclusionis; at vero in demonstratione præmissæ debent esse causæ veritatis conclusionis, propter quod & ipsæ debent habere veritatem. Item dicitur *ex primis & immediatis*: Id est quod eius præmissæ sint indemonstrabiles à priori seu per alias propositiones priores ipsis, idque vel formaliter vel virtualiter. Illa propositio est *formaliter* indemonstrabilis, quæ re vera non potest per aliam propositionem priorem demonstrari, qualis est ista: *Totum est maius sua parte*, vel *Homo est animal rationale*; Illa autem dicitur *virtualiter* indemonstrabilis, quæ licet re vera possit à priori demonstrari, tamen ad inferendam talem vel talem conclusionem potest habere rationem præmissæ propositionis, quatenus demonstrando ipsam per aliam & aliam priorem vltimò deuenitur ad propositionem primo & vltimo indemonstrabilem: nam vt ex Aristot. 1. Topicor. cap. 1. docet Scotus 1. Posterior. q. 11. *Demonstratio potest esse ex mediatis, dummodo finaliter sit ex immediatis.* Ponitur vlterius *ex notioribus, prioribus, & causis conclusionis*: quia cum conclusioni assentiamur propter præmissas iuxta illud Aristotelis *Propter vnumquodque tale & illud magis*, notior debet esse veritas præmissarum quàm conclusionis: Item cum præmissæ sint causæ conclusionis, propterea debent esse priores: cum omnis causa sit prior suo effectu.

Explicatur axioma *Propter quod vnum quodque tale &c.*

4. Et quia præfatum axioma Aristot. à pluribus adducitur in aliis diuersis materiis, in quibus verè non tenet: non enim recte dicitur: filius est

est homo propter Patrem, ergo pater est magis homo: similiter nec, homo est ebrius propter vinum, ergo vinum est magis ebrium. Deinde homo moritur propter infirmitatem, & tamen ipsa infirmitas non moritur magis. Denique Petrus est homo, propterea quod sit animal rationale, & corruptibilis propter materiã, & tamen animal rationale non est magis homo, nec materia est magis corruptibilis quã homo. Propterea libuit in præsenti quasdam conditiones apponere, cum quibus verificari possit prædictum axioma.

Prima est quod illa ratio quæ dicitur magis conuenire vni quàm alteri, conueniat vtrique, & defectu huius non tenet axioma in illis exemplis de ebrietate, infirmitate & materia prima. Secunda conditio est vt illa ratio suscipiat magis & minus, & defectu huius non tenet in exemplo de homine. Tertia est vt illa ratio quæ dicitur magis conuenire, non sit eadem numero quæ conuenit alteri, & defectu huius non sequitur: Homo est risibilis propter rationale, ergo rationale est magis risibile: quia eadem numero risibilitas conuenit vtrique.

Hæ tres conditiones proponuntur communiter ab authoribus, quæ tamen non videntur sufficere: nam posset aliquod calidum tantum caloris in alio subiecto producere, quantum ipsummet haberet, & in tali casu propter ipsum illud aliud esset calidum, & tamen ipsum non esset magis calidum, sed æquè calidum, non obstante quod esse calidum suscipiat magis & minus, & quod vtrique competeret, & quod non esset idem numero calor in vtroque. Propter hoc existimo addendam quartam conditionem, nimirum quod illud quod dicitur magis tale non communicet illam formam secundum quam dicitur tale alteri in eodem gradu, quo sibi communicatur. Et posset resolutorie dici, quod Philosophus non intellexerit suum axioma nisi in illa materia determinata, de qua illud protulit ita vt tantum intellexerit per illud: quod propter vnumquodque est tale, id est *notum*, & illud magis tale, id est magis notum, quo quidem sensu est verissimum, vt statim dicemus.

SECTIO III.

De conditionibus præmissarum in Demonstratione.

5. VLtra conditiones præmissarum quæ in definitione demonstrationis explicite continentur, plures alias assignat Aristoteles hìc cap. 4. de quibus omnibus in hac sect. dicemus.

In primis præmissæ debent constare prædicato *de omni per se & secundum quod ipsum.* Per prædicatum *de omni* denotatur, nihil posse assignari sub subiecto, cui non conueniat prædicatum pro omni differentia temporis: vt homo est animal, homo est risibilis, vnde istæ dicuntur propositiones æternæ veritatis. Per *prædicatum per se* denotatur prædicatum debere conuenire per se subiecto. Pro cuius intelligentia Aduerte, quatuor modis prædicatum posse conuenire per se subiecto *primo* quando est de essentia subiecti: vt quando definitio vel pars definitionis siue physicæ siue metaphysicæ prædicatur de subiecto. Ad quem modum prædicandi *per se* reducuntur omnia prædicata superiora etiam mediata respectu inferiorum specierum. *Secundo* quando è contra subiectum est de essentia prædicati: vt si propria passio prædicetur de subiecto: subiectum enim licet in obliquo intrat definitionem passionis. *Tertio* quando subiectum est causa per se prædicati: vt si dicatur medicus medetur, ædificator ædificat. *Quartus* modus potius est

est essendi per se, quam prædicandi per se: vt cum dicimus quod substantia existit per se & non in alio. Ex his quatuor modis duo priores debent conuenire præmissis: quia tertius non est proprie per se: nam medicus accidentaliter medetur, & quartus non est modus prædicandi per se, sed essendi per se.

Per conditionem *secundum quod ipsum* denotatur prædicatum debere conuenire subiecto, non propter aliquem gradum essendi superiorem, sed propter illum tantum qui exprimitur per subiectum, ita quod debet reciproce conuerti cum ipso. Defectu huius conditionis hæc non est de predicato *secundum quod ipsum. Homo est sensitiuus*: cum non conueniat homini *secundum quod ipsum*. Sensibile enim & homo non conuertuntur, sed conuenit illi secundum quod animal: Vnde sensibile & animal mutuo conuertuntur, sicut risibile & homo. Sed Nota has conditiones solum requiri in præmissis demonstrationis potissimæ & perfectissimæ, qualis est illa in qua vna præmissa habet pro prædicato definitionem vel primam passionem subiecti & alia primam vel secundam passionem. Vnde tales propositiones constabunt prædicato *de omni per se* primo vel secundo modo & *secundum quod ipsum*. Reliquæ autem demonstrationes possunt habere præmissas de prædicatis omnino accidentalibus: vt Petrus currit, Petrus est albus: ergo album currit vbi prædicata *album* & *currere* nullo modo conueniunt *per se* Petro. Item possunt fieri sine prædicato *secundum quod ipsum*: *vt omne animal est substantia, homo est animal, ergo homo est substantia* vbi ly *substantia* non est prædicatum *secundum quod ipsum* respectu animalis.

6. Ex his quæ hactenus dicta sunt concludit Aristo teles, intellectum firmius, perfectius & magis assentiri præmissis quam conclusioni: nam cum assentiatur conclusioni propter premissas iuxta prefatum axioma: *Propter vnumquodque tale & illud magis*, sequitur quod magis assentiatur præmissis quam conclusioni. Sed hinc restat explicandum: Vtrum præmissæ sint veriores, certiores seu magis necessariæ, quã ipsa conclusio? Pro quo:

Aduerte *Primo* veritatem propositionis esse conformitatem ipsius cum suo obiecto materiali terminatiuo: hæc autem conformitas consistit in indiuisibili, vnum vero indiuisibile non est maius alio, ergo neque veritas propositionis in hoc sensu potest esse maior altera: quia obiectum propositionis vel existit vel non existit sicut per ipsam enunciatur; si existit, vera; si non existit falsa erit, in quo vna non potest excedere aliam: ergo propositiones nequeunt se excedere in veritate aut falsitate. Vnde veritas premissarum nec maior nec minor est veritate conclusionis. Potest etiam alio modo considerari veritas propositionis, nimirum vt dicit ordinem ad obiectum formale, seu ad modum quo habetur, vel potius ad principia, quibus innititur, & in hoc sensu vna propositio potest esse verior altera, si innitatur verioribus principiis, aut certioribus.

Circa euidentiam: Aduerte *Secundo*, esse in duplici differentia, alia enim est euidentia obiecti, alia cognitionis, illa est claritas seu perspicuitas, qua res ita potentiæ obiicitur, vt ab ea, quasi videatur; hæc vero est ipsa claritas perceptionis rem penetrantis, & de ea dubitatur: An sit maior in præmissis, quam in conclusione? Circa certitudinem similiter Nota, ipsam esse in triplici differentia: alia enim est certitudo

certitudo obiecti, alia cognoscentis, alia cognitionis, certitudo obiecti reperitur in re, quam scimus, & non differt ab eius necessitate ita D. Bonauent. 3. d. 23. q. 4. Certitudo cognoscentis est firma adhæsio intellectus ad rem quam cognoscit, certitudo cognitionis est infallibilitas ipsius, cui falsitas subesse nequit, & de hac dubitatur, An sit maior de præmissis, quam de conclusione? Vbi nota vlterius certitudinem de aliquo obiecto aliquando dimanare ab euidentia de ipso, aliquando vero non; Primum patet: quia tunc datur certitudo in cognitione, cum intellectus assentitur absque vllo errandi periculo; sed sunt veritates quibus intellectus non audebit assentiri propter periculum errandi, vsque dum earum veritas euidenter appareat, ergo &c. *Secundum* etiam constat: quia certitudo actus fidei Theologicæ supernaturalis non prouenit ab euidentia, imo supponit obscuritatem sui obiecti, propter hoc autem non est minus certus, imo in certitudine excedit quemcumque alium actum: habet enim motiuum infallibilius, quàm possit esse euidentia cuiuscumque alterius veritatis mouens ad firmiter & certo assentiendum.

7. His prelibatis de certitudine & euidentia dico: axioma Aristot. tenere in certitudine & euidentia, ita habet Scotus 1. Posterior. q. 13. vbi dicit, quòd conclusiones sunt notæ propter principia, ergo principia sunt notiora conclusione, patet quia illud dicitur notius alio, quod prius cognoscitur, & minori cum dependentia; illud autem propter quod cognitum, aliud est notum, prius cognoscitur & minori cum dependentia, & propterea debet esse notius. Patet etiam de certitudine: quia ideo intellectus adhæret conclusioni, quia adhæret præmissis: ergo firmius & certius illis adhæret quam conclusioni. Et hæc de demonstratione.

CAPVT. VII.

De his quæ tradit Aristoteles in libris Topicorum.

1. PRÆCIPVVS & principalis scopus Aristot. in his libris fuit inuestigare varia loca, vnde possint argumenta desumi ad quamlibet rem in vtramque partem disputandam, propter quod libri isti appellantur Topicorum. *Topos* enim Græcè idem est quod Latinè locus. Materia est valde vtilis, vt ipse probat tum ad colloquia & exercitationes, tum ad laudandum & vituperandum, mouendum & delectandum. Vnde Rethorica dicitur contineri sub Logica quantum ad partem topicam: quia topicus seu dialecticus inueniens loca, vnde desumat argumenta probabilia, præbet etiam principia, vnde rhetorica suadere vel dissuadere possit. Tum etiam est vtilis ad Philosophiam & alias scientias, in quibus quia sæpe ignoramus propriam demonstrationem alicuius conclusionis, vtimur rationibus probabilibus, ad quæ omnia deseruiunt loca Topica.

2. Porro Extra controuersiam est, hanc partem dialecticæ, quæ in argumentorum inuentione versatur, æque deseruire posse syllogismis demonstratiuis ac probabilibus, sicut pars altera, quæ argumenta ipsa disponere docet, & supra in libris priorum & posteriorum tradita est, vtrique materiæ scilicet opinatiuæ & demonstratiuæ adaptatur.

Quia vero in rebus probabilibus amplior est vsus locorum dialecticorum, ideo Aristoteles initio huius operis definitionem præmittit illius, quod probabile vocamus: Cuius vt doctrinam ita & methodum amplectimur.

Propositio ergo probabilis ab Aristotele describitur esse illa quæ videtur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, atque his vel omnibus vel pluribus vel spectatissimis, modo non sit Paradoxon, hoc est præter opinionem omnium. Sed aliter & clarius posset describi esse illa, cuius veritas apparet absque certitudine vel ex terminis propr iis; vel quia potest per discursum legitimum deduci ex propositionibus, cuius vtriusque vel alterutrius veritas sic apparet. Vnde quia propositio, quæ in re est falsa, potest ita apparere, sequitur quod propositio falsa possit esse probabilis; Et quia aliquando alicui apparet propositio esse vera quæ postea apparet ipsi falsa; hinc contingere potest, vt pro vno tempore propositio sit probabilis, quæ alio tempore non est talis, sed vel improbabilis vel falsa.

Itaque quotiescumque habet aliquis motiua, ex quibus deducere potest propositionem aliquam esse falsam, illa propositio nequit ipsi esse probabilis; quoties autem non habet motiua nec ad colligendam falsitatem, nec ad veritatem inferendam, propositio est ipsi incerta & ignota; si vero habeat æqualia motiua positiua pro vtraque parte, nec videt aliquam rationem contra alterutram, quam nequeat soluere, vtraque pars est probabilis, & talis debet esse omnis, quæ problematice tenetur. Quod si contra vnam partem habeat argumenta, quæ soluere nequit, non vero contra alteram & cætera sint paria, debet habere vnam tantum partem pro probabili aut saltem probabiliori; At si contra vtramque partem argumenta insolubilia habeat, vtraque pro incerta habenda est, sed neutra pro improbabili: nam cum alterutra cognoscatur debere necessario esse vera, neutra debet improbabilis reputari. Quare illam solum censeo improbabilem, quæ contra se habeat rationes insolubiles, nec pro se habeat insolubiles rationes.

3. Est autem locus vt definit Cicero in Topicis sedes seu Index argumenti; argumentum vero est medium desumptum ad aliquid probandum: vt autem quis facile in qualibet re proposita possit argumenta probabilia formare, plurima loca assignauit Aristoteles, quæ ad strictissimum numerum redacta communiter assignantur decem: videlicet locus à *definitione*, *à diuisione*, *à causis*, *ab effectibus*, *à subiectis*, *ab adiunctis*, *à dissentaneis*, *à comparatis*, *à nomine*, *à testimonio*.

4. Locus *à definitione*, qui & præcipuus est: cum ex nobiliori causa procedat, est habitudo definitionis ad definitum ex quo loco desumuntur maxime tam affirmatiuæ quam negatiuæ: v. g. Quidquid conuenit definitioni conuenit definito & è contra. Similiter Quidquid disconuenit definitioni, disconuenit definito & è contra. Argumenta formantur hoc modo: Intendo probare hominem esse disciplinabilem per locum à definitione sic dicam: omne animal rationale est disciplinabile; sed homo est animal rationale, ergo dicisplinabilis. Locus *à diuisione* est similiter habitudo diuisi ad membra diuidentia, ex quo formari possunt huiusmodi argumenta: Hoc viuens est non insensibile, ergo sensibile.

Locus *à causis* est habitudo causæ ad effectum, causa autem est illa ad quam sequitur esse alterius, seu cuius vi aliquid fit: Estque quadruplex, materialis scilicet, formalis, efficiens & finalis, materialis est triplex, alia ex qua: vt lapides & ligna ex quibus fit domus, alia in qua vt subiectum respectu accidentium; alia circa quam, vt obiectum respectu scientiæ. Per hunc locum formari potest argumentum de nobilitate Theologiæ, cuius obiectum est Deus. Causa formalis est quæ dat esse effectui & est duplex, alia artificialis, vt figura respectu ædificij, alia naturalis, & hæc iterum duplex, alia interna, vt anima respectu hominis, alia externa vt pulchritudo respectu eiusdem. Causa efficiens est à qua primo incipit motus: & hæc alia est libera, vt voluntas, alia naturalis vt intellectus vel ignis, denique causa finalis est cuius gratiâ aliquid fit. Ab hoc loco desumuntur huiusmodi maximæ: posita causa necessario ponitur effectus, non posito effectu non ponitur causa. Quæ intelligendæ sunt de causa actuali & sufficienti.

Locus *ab effectibus* est habitudo effectus ad causam & est valde similis præcedenti. Vnde eædem maximæ desumuntur cum iisdem conditionibus hîc & ibi. Vnde à positione effectus valet argumentum ad positionem causæ: vt dies est, ergo Sol est in nostro hemispherio. Similiter ab ablatione causæ sequitur ablatio effectus.

5. Locus *à subiectis* est habitudo subiecti inhæsionis ad accidentia. A quo loco deduci possunt huiusmodi maximæ: Cui repugnant accidentia, etiam repugnat subiectum, similiter motis nobis, mouentur omnia quæ sunt in nobis videlicet accidentia. Locus *ab adiunctis* est habitudo accidentium ad subiecta, itaque per locum ab adiunctis sumuntur argumenta ab ordine, quem dicunt inter se subiectum & ea quæ illi insunt, vel sunt cum illo valde connexa: Vnde plurima argumenta desumuntur ab hoc loco: vt si accidentia prædicati non conueniunt subiecto, neque prędicatum cohęrebit subiecto, & alia huiusmodi.

Locus *à dissentaneis* est multiplex: quia cum dissentanea sint, quæ de eadem re simul affirmari & negari non possunt, & hæc definitio applicari possit & oppositis & repugnantibus & disparatis, ideo à multiplici habitudine vnius dissentanei ad alterum plurima argumenta desumi possunt: v. g. ab oppositis, quæ sunt in quadruplici differentia: vt diximus in Postprædicamentis. In contradictorie oppositis hęc maxima semper est vera: Quod conuenit vni non potest conuenire alteri: Cui non conuenit vnum necessario conuenit alterum. Cuius ratio est quod talis oppositio est immediata. Idem dicendum est de priuatiue oppositis circa subiectum aptum: v. g. Cui conuenit cæcitas non potest simul conuenire visus, neque è contra. Et similiter si visus non conuenit, necesse est conuenire cæcitatem & è contra. In contrarie oppositis desumitur argumentum ab affirmatione vnius ad negationem alterius: vt, est album, ergo non est nigrum; non tamen à negatione vnius ad negationem aut affirmationem alterius; non enim valet: non est albũ: ergo non est nigrum, neque etiam non est album, ergo est nigrum. Simili modo arguendum est de repugnantibus & disparatis.

6. Locus *à comparatis* seu similibus est habitudo plurium participantium eamdem formam. Ad hunc locum reducuntur quæ habent aliquam proportionem: vt dux & auriga propter similem curam in exercitu & in curru: Ab hoc loco desumuntur aliquæ maximæ:

vt cygnus disgregat visum,ergo & paries albus. Eodem prorsus modo desumuntur argumenta à loco, *à dissimili*, quæ est habitudo vnius ad aliud, cui est dissimile, dummodo vtrumque sumatur formaliter: videlicet in quantum dissimilia sunt in natura, in forma vel in gradu.

Locus *à nomine* (ad quem reducitur locus à coniugatis) est habitudo duarum vocum ad formam per ipsas significatam. Ab hoc loco desumi possunt argumenta in hunc modum: Decet amatorem sapientiæ virtutibus studere, ergo decet etiam philosophum. Ab hoc loco Cicero contra Verrem vsus est simili argumento: Non mirum est furtum fuisse factum à Verre: quia à verrendo dictus est Verres. Similiter *à coniugatis*, quæ sunt voces eandem formam sub diuersa terminatione significantes: v.g. Philosophus est sciens: ergo Philosophia est scientia: sermocinari est loqui, ergo sermo est loquela.

Locus *à testimonio* seu authoritate est habitudo ipsius testimonij ad rem testificatam. Vnde cum duplex sit testimonium, diuinum scilicet, & humanum, duplici etiam modo desumuntur argumenta; à testimonio enim Diuino infallibilia: quia cum Deus sit summa veritas, non potest falli, & cum sit summa bonitas, non potest fallere, quare rebus ab ipso testificatis tribuit infallibilem veritatem. A testimonio autem humano solum probabilia argumenta desumuntur, quia solum habent probabilem veritatem. Nota ab authoritate negatiua nihil concludi seu inferri posse: Non enim valet: Scriptura non dicit, Virginem conceptam sine labe: ergo non fuit concepta sine labe, non inquam valet consequentia: quia non est necessarium omnia esse reuelata aut per voces, aut per scripturam: & hæc de Topicis.

CAPVT VIII.

De his quæ tradit Aristoteles, in libris Elenchorum.

1. QVEMADMODVM præc. c. diximus, syllogismum probabilem generare opinionem, ita in præsenti dicimus syllogismum sophisticum: quia procedit ex præmissis apparentibus vt veris, quæ tamen sunt falsæ, generare errorem. Triplex autem est huiusmodi syllogismus, alius est qui seruat debitam formam, sed constat materia improbabili, licet prima facie appareat probabilis, qualis est hic: *Quidquid non perdidisti, habes, sed non perdidisti imperium: ergo habes imperium:* nam maior in re est improbabilis: cum multa sint quæ non habentur, quæ tamen non fuerunt perdita, quia scilicet numquam habebantur: habet tamen talem apparentiam, & plurimi putarent, quod esset vera, & sic possent facile decipi. Alius est qui licet constet vera materia, non tamen constat vera forma: vt *nullus homo est planta, nullus equus est homo: ergo nullus equus est planta*: non sequitur vi formæ conclusio: nam ex puris negatiuis nihil sequitur, vt supra dictum est. Alius denique est qui nec constat probabili materia, nec vera forma, licet appareat quod constet iis: *vt aliquid quod non perdidisti habes, sed imperium est aliquid quod non perdidisti, ergo habes imperium.* Vbi materia est improbabilis, & licet hoc non ita esset, adhuc non sequitur conclusio vi formæ: cum ex puris particularibus nihil sequatur.

2. Sed vt melius quis cognoscat naturam syllogismi fallacis seu falsigraphi, aut deceptorij, aduertendum est, quod apparentia syllogismi fallacis, ratione cuius posset decipere, dupliciter contingere potest; quia vel in significatione vocum, vel in rebus ipsis per voces significatis. Primo modo sunt fallaciæ quæ vocantur in dictione, secundo modo quæ extra dictionem. In dictione sunt sex scilicet fallacia *æquiuocationis*, *amphibologiæ compositionis*, *diuisionis*, *accentus*, & *figuræ dictionis*. Extra dictionem sunt septem videlicet fallacia *accidentis*, *consequentis*, *à dicto secundum quid ad dictum simpliciter*, *ignorantiæ elenchi*, *petitionis principij*, *non causæ vt causæ*, & tandem *plurium interrogationum vt vnius*.

Fallacia *æquiuocationis* est locus idoneus ad decipiendum æquiuocatione vocabuli: quando scilicet in præmissis ponitur aliquis terminus æquiuocus, primo quando est pure æquiuocus: vt ibi, *Canis est animal*, *sydus cæleste est canis*, *ergo sydus cæleste est animal*. Secundo quando est analogus, vt ibi, *omne quod est sanum est animal*, *vrina est sana*, *ergo vrina est animal*. Tertio quando vna dictio acquirit plura significata ex parte compositionis: vt ibi *omne quod est inuisum est exosum*, *deus est omnibus inuisus*: *ergo est omnibus exosus*. Soluuntur huiusmodi fallaciæ distinguendo terminum æquiuocum.

Fallacia *amphibologiæ* est idoneus modus decipiendi ambiguitate orationis, non ambiguitate alicuius termini præcise: Et contingit dupliciter vel in oratione plures sensus principaliter habente: vt ibi *liber Aristotelis possidetur ab Aristotele*, *sed liber meus est Aristotelis*: *ergo possidetur ab Aristotele*; vbi oratio illa *liber Aristotelis* æque significat librum, qui possidetur ab Aristotele, & qui compositus & editus est ab ipso. Secundo contingit in oratione amphibologica non æque plura significante, sed alterum principaliter: vt ibi *Qui haurit aquas cribro est iuxta fluuium*; *sed Scholasticus sine libro haurit aquas cribro*, *ergo est iuxta fluuium*.

Fallacia *compositionis* est quando à sensu diuiso vero proceditur, ad sensum compositum falsum: idest quando duo termini seiungendi vniuntur: vt ibi *Sedentem possibile est stare*, *ergo possibile est sedentem stare*. Quod est contradictio scilicet sedere & stare posse esse simul. Si autem seiungantur vt in antecedenti, facit sensum, illum qui sedebat, possibile est stare. Et sic verum est.

Fallacia *diuisionis* committitur è contrario quando à sensu composito vero proceditur ad sensum diuisum falsum: Idest quando termini coniungendi seiunguntur: vt ibi *Impossibile est sedentem stare*, *ergo stantem impossibile est sedere*.

Fallacia *accentus* committitur quando eadem vox varie prolata, varia significat. Ad hanc fallaciam pertinent aspiratio vel non aspiratio, quantitas syllabarum, modus pronunciandi secundum assertionem, interrogationem aut admirationem. Item pausatio seu interruptio vocis in pronunciando; variatione accentus committitur fallacia vt ibi *Qui occidit moritur*, *sed sicarius occidit*: *ergo sicarius moritur* variatione quantitatis syllabæ vt ibi *omnia mala sunt detestanda*; *poma sunt mala*: *ergo poma sunt detestanda*; vbi quia ly *mala* in maiori habet primam syllabam breuem, in minori vero longam committitur fallacia. Mutatione aspirationis: vt

vt ibi *omnis ara est in templo, stabulum porcorum est hara, ergo est in templo.* Ratione interruptionis vocis vt ibi, *si quid Deus fecit inuite, id fecit coacte ; sed Deus vinum fecit in vite, ergo Deus vinum fecit coacte.* Variatione denique sensus, quia nunc in vero, nunc per ironiam committitur fallacia hoc modo : Qui dicit tibi : *Præclare perfunctus es officio tuo, laudat te ; sed aliquis illudens tibi, dicit præclare functus es officio tuo, ergo aliquis illudens tibi laudat te.*

3. Fallacia *figuræ dictionis* est modus idoneus ad decipiendum, causam sumens ex figura id est ex similitudine vnius dictionis cum alia, & contingit vbi res vnius generis putatur esse alterius propter similitudinem dictionis: v.g. In genere grammatico : *Musa est generis fœminini : ergo & Poeta.* In genere logico id est prædicamento, vt ibi *quidquid heri fuisti, hodie es, sed heri fuisti insipiens, ergo & hodie.* Vbi fit transitus à substantia in qualitatem. Item quando in genere primæ intentionis fit transitus ad secundas intentiones, & tunc mutatur hoc aliquid in quale quid : v.g. *Petrus est homo, ergo est species.* Tandem cum vox significans rem singularem transfertur ad significandam rem vniuersalem, vt ibi, *Quod ego sum, tu non es, ego sum homo, ergo tu non es homo,* vbi ly *ego* in maiori significat singulariter, in minori vero vniuersaliter.

Ex Fallaciis quæ fiunt extra dictionem prima est *Accidentis* quæ tripliciter committitur, primo quando quod est proprium subiecti tribuitur Accidenti, vt ibi *Petrus est bonus, & est artifex, ergo Petrus est bonus artifex :* nam Petrus & bonus sunt vnum per accidens, & ita quidquid est verum de vno, non sequitur esse etiam verum de alio. Secundo quando mutatur genus suppositionis : vt ibi *animal est genus, homo est animal, ergo homo est genus,* Vbi in maiori sumitur secundum suppositionem simplicem, in minori vero secundum suppositionem personalem. Tertio quando inter ea, quæ reciprocantur, quiquid conuenit vni quocumque modo, tribuitur alteri : vt si dicas *animal rationale est definitio, homo est animal rationale : ergo homo est definitio.*

4. Fallacia *consequentis* contingit, quando infertur quidpiam ex alio, non seruatis regulis bonæ consequentiæ: vt quando ex superiori infertur inferius affirmatiue : vt ibi *est animal, ergo est homo,* vel ex inferiori superius negatiue, vt ibi *non est homo, ergo non est animal.*

Fallacia *à secundum quid ad simpliciter* committitur quando argumentamur à termino sumpto cum determinatione ad eumdem simpliciter sumptum: vt ibi *Æthiops est albus secundum dentes, ergo Æthiops est albus : hæc imago est homo pictus, ergo est homo.*

Fallacia *ignorantiæ elenchi* seu redargutionis committitur, quando inferuntur contradictoria non seruatis legibus contradictoriorum scilicet *ad idem secundum idem, similiter* seu *eodem modo* & *in eodem tempore* : Vt v.g. *quaternarius est duplus binario, & non est duplus quinario, ergo est duplus & non duplus. Petrus dormit noctu & non dormit de die, ergo dormit & non dormit,* & sic de reliquis.

Fallacia *petitionis principij* committitur, quando ad probationem alicuius propositionis sumimus pro medio aliã synonymam vel eandem numero vel æque ignotam : v.g. *animal est animatum, ergo est viuens :* Fallacia *causæ vt non causæ* fit quando aliquis effectus tribuitur vt causæ alicui, quod tamen non est vera causa eius : vt si colligas, arma non esse permittenda in republi-

ca, quia multis turbandæ pacis præbent occasionem.

Fallacia *plurium interrogationum vt vnius* contingit quando proposita interrogatione simul de pluribus, & ad eam responsione data sine distinctione, perinde ac si de vno solo interrogaretur, tunc fit huiusmodi responsione, vere vel apparenter, sic respondentem ab opponente decipi: v. g. si quis demonstratis duobus, quorum alter est videns, alter cæcus, interroget: An isti sint videntes? Dicat autem Respondens indistincte, eos non esse videntes, tunc interrogans infert hanc consequentiam, ergo iste non videt demonstrando cæcum, & iste non videt demonstrando videntem.

Pro solutione cuiuscumque fallaciæ aduerte quod quando syllogismus fallax defecerit ex parte materiæ, distinguenda est præmissa, in qua est vitium seu defectus; si vero defecerit ex parte formæ, concessa maiori & minori, neganda est consequentia & assignandus defectus, si autem defecerit in vtroque in materia scilicet & forma, tunc quo malueris modo respondebis, vel assignando defectum formæ, vel vitium materiæ. Vt tamen prædictas fallacias facilius memoriæ commendes, accipe eas septem his versibus comprehensas:

Arma sophistarum, tredecim numerantur elenchi.
Dictio sex intra, septem complectitur extra
Æquiuocum, amphibolum, diuisum, compositumque
Accentus varius, cui sextam iunge figuram
Fallax inde sequela strepit, fallacius accidens
A non simpliciter dicto, ex inscitia elenchi
Principium petitur, non causa vt causa refertur:
Denique non raro velut vnum plura rogantur.

Et hæc sufficiant pro tradendis præceptis logicalibus iam ad inquisitionem & disputationem de sufficientia & bonitate eorum veniamus. Quod Deo dante per disputationes & quæstiones (quam methodum toto cursu obseruabimus) in Logica Docente præstabimus.

POSTERIOR PARS LOGICÆ, QVÆ EST DOCENS, VEL DOCTRINALIS IN QVA RATIO REDDITVR EORVM præceptorum quæ Logica tradit.

1. ETSI satis sit artifici quamuis experto nosse veritates suæ artis & in promptu habere regulas, quibus vti oporteat; Tamen scienti siue Sapienti viro hoc non sufficit: quippe quem non decet ignorare causas eorum, quæ nouit. Et hæc est inter Vtentem & Docentem, Artem & Scientiam differentia iuxta Aristotel. 1. Metaph. cap. 1. quod illa tradit regulas necessarias ad opus, ista vero scit eas per causam: idest cognoscit, cur illis regulis & non aliis sit vtendum. Propterea hæc est Architectonica respectu illius. Eorum ergo quæ in Logica Vtente tradidimus, hîc in Docente rationem reddemus & causam: Etenim hoc solum spectat ad puram & strictam doctrinalem facultatem eius, quæ de proprietatibus propositionum & syllogismorum, eorumdemque figuratione & dispositione rationem reddit. Nonnulla alia quasi occurrentia ex textu disputabimus: quia non habent commodiorem locum.

Sit ergo.

DISPVTATIO I.

De terminis seu elementis primis syllogismi.

QVÆSTIO I.

Quid & Quotuplex sit signum?

DIVVS August. lib. 2. de doctrina Christiana cap. 1. sic signum descripsit: *Est res præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens*

ciens in cognitionem venire. Quæ definitio exactiſſime à S. Doctore pro Inſtituti ſui ratione De ſigno ſenſibili tradita & ab omnibus vnanimi conſenſu recepta, Scholaſticos excitauit ad naturam ſigni, vt ad ſpiritualia etiam extenditur, indagandam.

2. Vt ergo ſigni deſcriptio in tota latitudine habeatur, prænotare oportet varias acceptiones & conſiderationes ſigni. Aliud appellatur ſignum inſtrumentale, aliud formale: Inſtrumentale eſt, vt fumus reſpectu ignis, hedera reſpectu vini vendibilis, Homo reſpectu naturæ humanæ. Et poteſt ſic apte deſcribi: Eſt illud quod cognitũ ab aliquo duceret ipſum in cognitionem alterius. Signum formale eſt, vt cognitio quæ eſt ſpecies expreſſa rei. Item & ſpecies impreſſa, quæ cum potentia concurrit effectiue ad ſpeciem expreſſam ſeu cognitionem producendam: Et deſcribitur communiter ſic: Eſt illud quod ſine cognitione ſui ducit in alius cognitionem.

Hæc ſigna formalia non debent proprie & prout communiter vtimur, hoc nomine *Signi* gaudere; non ſpecies impreſſa: quia aliàs Deus ipſe quando ſuppleret defectum eius ad cognitionem alicuius rei, aut ſe ſolo ipſam cognitionem rei producendo, poſſet dici ſignum iſtius rei; Nec etiam ſpecies expreſſa ſeu cognitio debet ſigni rei, cuius eſt cognitio, nomine gaudere: quia ex communi ſenſu ſignum debet nos deducere in cognitionem rei, & ludicrum eſſet dicere quod cognitio deduceret in cognitionem aut faciat nos in cognitionem venire. Nec refert quod cognitio repræſentet obiectum: nam ad rationem ſigni non ſufficit repræſentare quomodocumque, ſed debet repræſentare mediante propoſitione obiectiua ſui.

3. Igitur ſignum propriè & vſuali nomine dictum tale eſt: *Id quod cognitum ducit in cognitionem alterius.* Quæ deſcriptio omni & ſoli ſigno inſtrumentali, quod proprie eſt tale, conuenit. Quod ſi dicas, hanc deſcriptionem conuenire cauſæ reſpectu ſui effectus, cuius non dicitur eſſe ſignum, licet bene è contra: nam ex cauſa propoſita poteſt quis deuenire in cognitionem effectus. Reſp. neg. ant. pro ſecunda parte: non enim eſt vlla ratio, cur effectus ſit ſignum cauſæ, & cauſa non poſſit eſſe ſignum effectus, probo ſic: Ideo effectus poteſt eſſe ſignum cauſæ, quia propter naturalem connexionem quam habet cum ſua cauſa, quoties excitatur ſpecies ipſius, excitari ſolet etiam ſpecies cauſæ; ſed ſimiliter excitari ſolet ſpecies effectus, quando excitatur ſpecies cauſæ, ergo cauſa poteſt eſſe ſignum effectus. Vbi notare debes, non ideo dici effectum ſignum cauſæ aut è contra cauſam ſignum effectus: quia ſunt talis naturæ, vt qui cognoſceret effectum eſſe, poſſet mediante diſcurſu deuenire ad cognitionem exiſtentiæ cauſæ, aut è contra; ſed ex eo quod excitata ſpecie vnius, excitari poſſit ſpecies alterius abſque diſcurſu. Quare creaturæ etſi obiectiue propoſitæ ducant in cognitionem Dei, non ſunt ſigna ipſius: quia hoc non fit abſque diſcurſu, qualiter per fumum cognoſcitur ignis; licet alias etiam per diſcurſum poſſit cognoſci ignis per fumum, ſed tunc non gerit munus ſigni.

4. *Signum vt ſic adæquate diuiditur in ſignum naturale & ſignum ad placitum.* In hoc omnes conueniunt, & ſolum indiget explicatione terminorum: Itaque *ſignum ad placitum* ſeu ex inſtituto eſt id quod ex ſe indifferens eſt ad ſignificandum illud,

respectu cuius dicitur signum, vel non significandum; sed ex voluntate alicuius volentis, vt pro illo potius, quam pro alio accipiatur, determinatur ad illud significandum: Talis est vox *lapis* & omnes aliæ significantes ad placitum, vt & ramus ante tabernam significans vinum vendibile. *Signum naturale* est quod independenter ab institutione aut voluntate alicuius significat aliud, quando proponitur: vt fumus ignem, vestigium bouis bouem, & suspiria animalis dolorem vel aliam passionem.

Inquires: *Quæ est ratio constituens signum significatiuum sui signati?* ℞. signum naturale constitui in esse signi realiter per connexionem, quam habet independenter ab instituto, cum re, quam significat, & formaliter constitui in esse signi per aptitudinem, quam habet ad deducendum potentiam in cognitionem illius rei: Et similiter signum ad placitum constititui in esse signi realiter per institutionem, quâ instituitur ad significandam rem, & formaliter per aptitudinem, quam habet, suppositâ institutione, ad deducendum potentiam in cognitionem illius rei. Nec necesse est actualiter significare, vt sit signum; quia hedera est signum vini vendibilis, etiam quando nemo respicit illam.

Nec etiam necesse est dicere, quod prius respiciat rem significatam, quàm potentiam, cui significat, nec è contra; atque adeo non dicit signum duos respectus, quorum vnus sit prior altero, sed eodem indiuisibiliter respectu aptitudinali respicit vtrumque. Cuius ratio est, quia non sunt multiplicanda entia aut formalitates sinenecessitate; sed non est necessitas vlla multiplicandi hujusmodi respectus: quandoquidem vnico respectu possit quis tendere in plura, quando non potest tendere in vnum ex illis, quin necessario tendat in alterum, vel potius, quin intelligatur vt tendens in alterum; sed signum se habet huiusmodi respectu rei signatæ & potentiæ, cui significat, ergo vnico respectu debet dici vtrumque respicere. Nec obstat quod in explicatione seu descriptione ipsius, quando dicitur, quod sit illud quod repræsentat aliud potentiæ, res significata ponatur magis directe, quam potentia: quia etiam in alia explicatione æquè bona ponitur potentia magis directe quam res; vt cum dicitur quod sit illud, quo potentia deducitur in cognitionem alterius.

QVÆSTIO. II.

Vtrum voces significatiuæ ad placitum significent primario res, an verò conceptus?

SEnsus quæstionis est, An voces quæ sunt signa ad placitum significent rem quam concipit proferens vocem, an vero conceptum formalem seu cognitionem, quam habet de illa re. Intelligitur autem hîc per *rem* omne illud quod est obiectum cognitionis, siue sit quid reale, siue rationis, siue positiuum, siue negatiuum, siue etiam sit conceptus formalis seu cognitio, siue non. Per *conceptum vero formalem* intelligimus cognitionem, quam habet quis de aliquo obiecto secundum se, non quatenus est obiectum alterius cognitionis seu quatenus cognoscitur per aliam cognitionem: v. g. dum aliquis profert hanc vocem *Homo*, si eam significatiue proferat, non est dubium quin intelligat illud, quod dicitur Homo, & illud dicitur esse res; cognitio vero seu intellectio dicitur esse conceptus & non res. Similiter quando profert hanc vocem intellectio,

concipit

concipit illam rem, quæ dicitur intellectio per aliam intellectionem, & prior intellectio dicitur esse res, posterior vero non dicitur esse res, sed conceptus. His præmissis.

5. Sit conclusio. *Voces per se primo & immediate significant res, non vero conceptus rerum.* Sic Scot. 1. dist. 27. q. 3. & 1. Perihermen. q. 2. vbi appositis rationibus pro vtraque parte concludit in fine Quæstionis, nostram conclusionem probabiliorem esse secundum rationes, licet contraria sit probabilior secundum authoritates. Probatur; voces id primo significant, quod loquens præcipue intendit significare; sed præcipuè intendit significare res, non vero conceptus, ergo voces primario significant res: maior & consequentia sunt certæ, minor probatur, quia cum ego dico rustico homini Deum esse Trinum & vnum v. g. intendo eum venire in cognitionem Trinitatis, non vero in cognitionem conceptus, quem ego habeo de Trinitate. Et cofirmatur ab inconuenienti *primo*: nam sequeretur omnem propositionem esse falsam: probo assumptum, nomen seu vox ponitur in oratione pro suo per se significato, ergo si conceptum formalem per se primo significant, huius propositionis *Homo est animal* sensus esset, conceptum formalem hominis esse conceptum formalem animalis, cuius falsitas satis apparet. Confirmatur *secundo*, quia alias Græcus audiens propositionem Græcam ab ignorante linguam Græcam non intelligeret propositionem illam, quod videtur absurdum, probatur sequela: quia non intelligeret conceptum formalem quem proferens habet.

Dixi, quod voces significent *primario & immediate res non vero conceptus*, quia non dubito quin secundario & mediate significent etiam conceptus: præsertim quoties proferuntur ab aliquo significatiue: nam quia non potest quis sic eas proferre quin intelligat res, quoties audit quis aliquem proferentem voces significatiue. Primo quidem deuenit in cognitionem rei significatæ & postea potest, si vult, cognoscere quod proferens habuit etiam conceptum istarum rerum. Et per hoc soluuntur omnes authoritates quæ contra nostram conclusionem adduci solent: nihil enim aliud concludunt, quam voces significare secundario conceptus.

Obiicies 1. cum Conimbricensibus oppositum opinantibus: voces subrogantur loco conceptuum, ergo primo & præcipuè significant conceptus. Et confirmatur: nam ideo Angeli non vtuntur vocibus, quia sine illis declarant suos conceptus: ergo ad hoc homines vtuntur vocibus, vt declarent suos conceptus. ℞. neg. conseq. Imo contrarium infero ex antecedenti vnde roboratur nostra conclusio, quia sicut conceptus non significant se, sed sua obiecta, ita voces quæ eorum loco subrogantur, debent significare non ipsos conceptus, sed obiecta conceptuum scilicet ipsas res: Exemplo res illustratur. Si loco statuæ Cæsaris repræsentantis Cæsarem subrogetur eiusdem Cæsaris imago depicta: sane hæc non poneretur ad significandam statuam, cuius loco subrogatur, sed ad significandum Cæsarem, quem repræsentabat statua, cuius loco pictura succedit, præstando id quod præstabatur à statua: Ad confirmat. dico, Angelos non vti vocibus: quia sine illis sibi inuicem declarant suos conceptus tam formales quam obiectiuos, id est tam cognitiones quam obiecta seu res cognitas, sed has primario illos, secundario.

Obiicies 2. Si voces seu verba non significarent conceptus, nullum esset mendacium, probo assumptum, mendacium consistit in exteriori affirmatione eius conceptus, qui non datur in mente, vnde D. Th. 2. 2. q. 110. ex eo probat mendacium esse peccatum: quia inordinatum est velle voce indicare, quod non est in mente, falsitas sequelæ iam patet: ℞. mendacium consistere in affirmatione exteriori illius rei, cuius negationem in mente habeo, vel è contrario in negatione exteriori, rei cuius affirmationem in mente habeo. Ex quo nullo modo infertur, voces significare primario conceptus, imo potius sequitur debere significare res ipsas, quas affirmo per conceptus & nego per verba, vel è contra. Vnde voces non sunt mendacium, quia negant conceptus, sed quia negant res affirmatas per conceptus.

6. Rogabis, *quid dicendum sit de scriptura? An significet immediate res ipsas, an voces?* ℞. Vtrumque significare, primo voces, secundo res per voces significatas, probatur, quia etsi mutetur significatio huius vocis *Homo*, non ideo mutatur modus illam scribendi, & quidquid significet vox *Homo*, semper tamen hi caracteres eandem vocem significant. Aduerte tamen non propterea scripturas supponi pro vocibus, quamuis ipsas primo significent, ita quod quando scriptum est [Petrus viriliter pugnat] sensus sit, vox qua dico *Petrus*, illa viriliter pugnat. Supponitur ergo scriptura loco rerum, idest ea quæ ibi affirmantur vel negantur, conueniunt ipsis rebus non vocibus; tamen non faciet me venire in cognitionem rerum, nisi excitando primo mihi species de vocibus & de earum significatione ad placitum: quod patet in legente & non intelligente caracteres Latinos, qui eo quod ignorat significationem vocum, etiamsi sciat legere, non poterit venire in cognitionem ipsarum rerum.

Sed dices, Scriptura subrogatur loco vocis, ergo non significat vocem: patet consequentia ex redargutione argumēti pro Conimbricensibus: ℞. Ideo dictum esse à nobis voces substitutas loco conceptuum non significare conceptus: quia ipsi conceptus non se significant, sed sua obiecta (conceptus enim sunt signa formalia, quæ sine cognitione sui ducunt in cognitionem suorum obiectorum vt diximus q. præced.) at voces externæ, quia sunt signa instrumentalia, non ducunt in cognitionem sui significati, nisi media cognitione sui. Vnde necessarium est vt scripturæ, quæ subrogantur loco vocum, non solum significent obiecta, sed immediate voces ipsas prolatas: alioquin non efficient quod efficiebant voces, hoc est & se & sua obiecta manifestare. Ex quo potius confirmatur, quàm infirmatur nostrum assertum.

QVÆSTIO III.

An dentur analoga media inter vniuoca & æquiuoca?

AD resolutionem Quæstionis præmittere oportet definitiones vniuocorum & æquiuocorum, vt melius definitio analogorum, à qua tota Quæstionis difficultas pendet, dignoscatur. Pro cuius intelligentia aduerte 1. tam vniuocum quam æquiuocum dupliciter sumi posse. *Primo* pro vocabulo ipso, quod plura habet significata seu quod plures habet significationes, quo sensu dicitur, Vniuocum vniuocans vel æquiuocum æquiuocans, de quo diximus in Logica Vtente cap. 1. sect. 3.

Secundo

Secundo poteſt ſumi pro rebus ipſis, quæ per idem vocabulum ſignificantur, vel ſecundum eamdem ſignificationem ſeu ſecundum eumdem conceptum, & tunc dicitur vniuocum vniuocatum, vel ſecundum diuerſam ſignificationem ſeu conceptum, & tunc dicitur æquiuocum æquiuocatum, id eſt illud quod æquiuoce ſignificatur per vocem. Aduerte 2. definitiones tradendas de æquiuocis & vniuocis debere intelligi de æquiuocis æquiuocatis & vniuocis vniuocatis ex Scot. q.5.&6. prædicamentali? Igitur.

Æquiuoca ſic definies ex Ariſtotele cum omnibus Peripateticis. *Sunt quorum nomen commune eſt, ratio vero ſubſtantiæ ſecundum nomen diuerſa.* Cuius definitionis ſenſus eſt, res æquiuocæ ſunt quæ eodem nomine ſignificantur, id eſt quibus ſolum nomen eſt commune per ſignificationem & prædicationem, tamen ratio ſubſtantiæ ſecundum illud ſignificata eſt in illis diuerſa. Quod ſi dicas immerito à nobis definiri æquiuoca, cum Ariſtoteles dicat, ideo æquiuoca non eſſe ponibilia in aliquo prædicamento, quia cum nihil vnum ſignificent, nullam definitionem habere poſſunt: ℞. ſententiam Ariſtot. intelligi debere de æquiuocis materialiter ſumptis, id eſt de rebus illis, quæ in ſolo nomine conueniunt, & propterea ibidem dixit, prius eſſe diuidenda quam definienda, æquiuoca vero formaliter ſumpta, id eſt ſignificationes paſſiuæ (loquendo de æquiuocis æquiuocatis) reſultantes in æquiuocis materialiter ſumptis, ex eo quod actiue ſignificentur per vnum nomen ſecundum diuerſam rationem. Vel ſignificationes actiuæ (loquendo de æquiuocis æquiuocantibus) quæ ſunt relationes rationis fundatæ in illis vocibus, quæ plura ſecundum diuerſam rationem ſignificant, talia (inquam) æquiuoca merito definiuntur: nam cum illæ ſignificationes, quælibet in ſuo ordine ſint eiuſdem rationis, omnes enim conueniunt in eſſe æquiuoci nominis, congruum eſt aſſignare de illis definitionem.

Hæc æquiuoca dupliciter accipiuntur: alia enim dicuntur æquiuoca à caſu, quæ ſcilicet vt ſignificantur nomine communi, nullum inter ſe ordinem habent aut ſubordinationis aut dependentiæ aut proportionis aut attributionis: qualiter Homo natus in Gallia & gallinaceus vt hoc nomine *Gallus* ſignificantur. Alia ſunt æquiuoca à conſilio, quæ aliquem ex prædictis ordinibus habent inter ſe vt nomine communi ſignificantur: Sic ſe habent homo, vrina & medicina vt de illis prædicatur hoc nomen *Sanum*: nam dicitur de homine quatenus ſignificat debitam diſpoſitionem humorum, de vrina quatenus eam indicat, de medicina vero quatenus eiuſdem ſanitatis & debitæ diſpoſitionis humorum eſt cauſatiua, & dicuntur æquiuoca à conſilio: quia datâ operâ impoſitum eſt tale nomen ad ſignificanda ea ob ordinem quem habent inter ſe.

Vniuoca item ſic definies ex eodem Philoſopho: *ſunt quorum nomen commune eſt, ratio vero ſubſtantiæ ſecundum nomen eadem*: Ex qua definitione requiri conſtat ad vniuoca *primo* pluralitatem rerum, quæ eodem nomine ſignificantur, *ſecundo* debere eſſe omnia ſimillia quatenus ſignificata per illud nomen. Vbi Aduerte eaſdem res poſſe eſſe vniuocas & æquiuocas reſpectu diuerſorum: v. g. canis terreſtris & canis marinus quatenus ſignificantur hoc nomine *animal*, ſunt vniuoca; quatenus nomine *canis* æquiuoca, propter quod ponitur illa particula: quod ratio

ratio ſubſtantiæ per nomen ſignificata in æquiuocis ſit diuerſa, in vniuocis vero eadem. Aduerte item, ad hoc vt aliqua dicantur vniuoca reſpectu alicuius vocabuli, & illud prædicatum vniuocum reſpectu ipſorum non requiri rationem ſubſtantiæ ſignificatam per tale nomen eſſe eſſentialem ipſis, de quibus prædicatur, ideo homo & lapis dicuntur vniuoca reſpectu *albi*, & album dicitur conuenire illis vniuoce; imo & poſſet vni neceſſario competere, alteri vero accidentaliter, qualiter calor, qui de aqua accidentaliter dicitur, de igne vero neceſſario & inſeparabiliter; quod ſecùs eſt vt prædicetur de illis vniuocè: de quo Scotus 3. d. 7. q. 1. n. 5.

His neceſſario præmiſſis notandum pro deciſione Quæſtionis, communiter appellari terminos analogos, eos qui plura ſignificant, quæ licet ſint omnino diuerſa, habent tamen aliquem ordinem inter ſe, vt nomine tali communi ſignificantur, qualiter diximus de *Sano*, vt de homine & vrina dicitur. Hos autem terminos vocari medios inter vniuoca & æquiuoca à caſu ſupra explicata, merito dicitur, & ab omnibus debet concedi, quatenus talia analoga per tale nomen ſpeciali modo ſignificata non habent rationem vnius vel alterius, nec de hoc poteſt eſſe controuerſia. Eſt autem an dentur aliqui termini, qui prædicentur de pluribus, qui nec habeant rationem vniuocorum nec æquiuocorum, provt vniuoca & æquiuoca ſupra deſcripta ſunt ex Ariſtot. ? In qua licet noſter Poncius excuſet Complutenſes & meliores Thomiſtas, quaſi teneant in re partem negatiuam, tamen merito pro parte affirmatiua citantur plures Thomiſtæ qui definitionem Analogorum talem aſſignant: Sunt quorum nomen eſt commune, ratio vero ſubſtantiæ partim eſt eadem partim diuerſa.

9. Sit noſtra concluſio. *Analoga nec ſunt nec poſſibile eſt eſſe media inter vniuoca & æquiuoca.* Eſt communis in via Scoti & probatur: inter ea quæ ſunt ſimpliciter eadem & ſimpliciter diuerſa non datur medium; ſed vniuoca ſunt ſimpliciter eadem & æquiuoca ſunt ſimpliciter diuerſa: vt conſtat ex eorum definitionibus, ergo inter ipſa non eſt dabile medium. Probatur maior, inter contradictoria non datur medium; ſed eſſe ſimpliciter idem & eſſe ſimpliciter diuerſum ſeu non idem ſunt contradictoria, ergo, &c. Et confirmatur 1. quia omne ens alteri comparatum vel eſt ſimpliciter idem cum illo ſecundum illam rationem in qua fit comparatio, vel eſt ſimpliciter diuerſum, ergo non poteſt eſſe partim idem partim diuerſum. Probatur antecedens, quia licet verum eſſet, aliquid de ſignificatione nominis, quatenus dicitur de vno ex analogatis, reperiri in altero, ſi tamen aliquid ipſius non reperiatur in ipſo, ſimpliciter debet dici, quod illa analogata non participent eandem rationem ſignificatam per nomen, ſed diuerſas: vt patet in homine & bruto, vbi licet aliquid quod eſt de eſſentia hominis, ſit in bruto, quia tamen tota eius eſſentia non eſt in bruto, propterea dicitur ſimpliciter, quod habeant diuerſas eſſentias, ergo ſi analogata non conueniant totaliter in ratione ſignificata per nomen, abſolute & ſimpliciter debent dici non conuenire in eadem ratione, ſed habere diuerſas rationes, atque adeo reduci ad æquiuoca, quod eſt intentum: Et confirmatur 2. ex Ariſtotel. exemplificante æquiuocum à ſe definitum in hoc termino *Homo*, quem dicit eſſe æquiuocum ad hominem verum & pictum; ſed nihil eſt potiori iure analogum etiam ſecundum aduerſarios, quam hîc terminus

terminus *homo* reſpectu veri & picti, ergo cum hoc analogum ſit æquiuocum, nullum datur analogum, quod ſit medium & non vere æquiuocum, provt æquiuocum definitum eſt ab Ariſtotele.

10. Inquires, Quotuplex ſit Analogia? ℞. Breuiter, Analogiam communiter diuidi in phyſicam ſeu ſecundum eſſe, & in Logicam ſeu ſecundum intentionem. Prima vocatur ab aliquibus analogia inæqualitatis, ab aliis analogia vniuoca. Secunda appellatur æquiuoca, illa eſt quam habent rationes communes contractæ in ſuis ſpeciebus, qua ratione habent inæqualitatem: quia ratio generica perfectiori modo exiſtit in vna ſpecie, quàm in alia, ſi non ratione ſui, ſaltem ratione differentiæ ſibi adiunctæ. (Quæ doctrina colligitur ex Ariſt. 10. Metaph. cap. 2. & ex Scot. 1. d. 3. q. 3. & diſt. 8. q. 3.) Iſta vero eſt quæ competit rebus non provt exiſtunt à parte rei, ſed provt à nobis ſub aliqua ratione communi & abſtracta communi nomine ſignificata proportionari concipiuntur. Talis eſt analogia quæ competit animali, vrinæ & medicinæ, vt ſignificantur hoc nomine *ſanum*, in quibus ſemper eſt aliquod principale analogatum, ad cuius comparationem ſeu in ordine ad quod alia eodem nomine communi ſignificantur.

Ex dictis analoga ſic definies: *Sunt illa quorum nomen eſt commune, ratio vero ſubſtantiæ etſi ſit in illis ſimpliciter diuerſa, eſt tamen aliqua proportio inter illa, vt illo nomine communi ſignificantur.* Ex qua definitione colligitur tres conditiones requiri ad rationem analogorum, prima quod conueniant in aliquo nomine communi, in quo aſſimilantur tam æquiuocis, quàm vniuocis. Secunda quod ratio ſubſtantiæ ſignificata per nomen ſit in illis diuerſa. Tertia eſt quod inter ipſa ſit aliqua proportio, vt nomine communi ſignificantur, in quo analoga differunt ab æquiuocis proprie dictis, quæ tali proportione carent, nec eſt alia difficultas realis circa præſens.

QVÆSTIO IV.

Vtrum denominatiua differant ſolo caſu à ſuis denominantibus; & an poſſint ad inuicem prædicari?

1. SCotus q. 8. prædicamentali ſic explicat titulum Quæſtionis: An denominatiua differant ſolo caſu idem eſt ac quærere, *an denominatiuum* ſeu concretum *idem ſignificet quod abſtractum?* Hoc eſt vtrum denominatiua ſeu concreta accidentalia præciſe *in cadentia ad ſubiectum*, hoc eſt in connotatione quam dicunt ad ſuum ſubiectum *differant à principalibus à quibus habent denominationem*, hoc eſt à ſuis denominantibus & abſtractis; An vero ſit vlterior differentia in ſignificato, id eſt in re quam ſignificant? Itaque denominatiuum eſt concretum v. g. *Iuſtus*, denominans eſt abſtractum videlicet *iuſtitia*, & denominatum poteſt dici homo, qui per iuſtitiam conſtituitur iuſtus.

Et Nota, cum inquirimus: Vtrum ſit idem ſignificatum per ſe concreti & abſtracti? Poſſe eſſe dubium de ſignificato formali, & hoc dupliciter, vel ita vt idem ſit ſignificatum formale & quod ſignificatur in recto, vel ita vt non ſit idem, ſed quod ſit ſignificatum formale, & non ſignificatum in recto, quod quidem præciſe pendet ex vſu & acceptione terminorum; quid autem ſit verum in re? Conſtabit concluſione ſequenti.

12. Sit prima concluſio: *Denominatiua*

natiua seu concreta accidentalia per se formaliter & in recto significant formam denominantem, subiectum vero habens illam, quod dicitur denominatum, solum materialiter & in obliquo. Propterea idem est significatum per se concreti & abstracti, atque adeo solo casu differunt. Sic Scotus supra & 1. dist. 4. quæst. 1. in fine. Tenent Complutenses, disp. 4. q. 3. qui citant D. Th. & alios. Probatur 1. ex Aristot. qui cap. de substantia docet: *Album significare solam qualitatem*, & cap. de denominatiuis, *denominatiua solùm casu differre à principalibus*, ideſt à formis à quibus habent denominationem, sed hoc esset falsum (vt recte infert Scotus) si aliud præter formam per se & in recto significarent: etenim iam non solo casu sed etiam significato differrent. Probatur 2. Quia si album v. g. per se & in recto significaret subiectum, ista propositio *lignum est album* esset nugatoria: faceret enim hunc sensum: lignum est lignum habens albedinem; sed hoc non est dicendum, ergo, &c. Tertio probatur quia prædicatio est accidentalis & in materia contingenti, ergo significatum per se prædicati est res accidentalis subiecto; sed hæc est sola albedo, ergo sola illa significatur per se per concretum quod prædicatur.

Sed dices, Philosophi communiter explicant concreta accidentalia per ly *habens formam*, dicendo album est quid habens albedinem, sapiens quid habens sapientiam; sed ibi ponitur subiectum in recto & forma in obliquo, ergo concretum significat subiectum in recto & formam in obliquo: ℞. ex Scoto 1. citato quod licet concreta accidentalia supponant pro subiectis, non tamen significant ipsa per se & formaliter, explicantur autem per ly habens formam, quia significant formam non vt per se stantem, sed vt illis adiacentem. Vnde quando dicitur album est quid habens albedinem, talis descriptio est quædam explicatio nominis, non vero expressio significati per se: quia concreta accidentalia de per se significato solum important formam; Benè verum est, quod de modo significandi important subiectum, & in hoc distinguitur concretum ab abstracto. Quòd si concretum accidentale describeretur exprimendo significatum per se eius, sic deberet explicari: Album est albedo adiacens subiecto, propterea appellatur etiam connotatiuum: quia quasi in obliquo designat & connotat subiectum, in quo est forma, quam significat. Et hæc de prima parte Quæst.

Quantum ad secundam Nota duplicem posse fieri abstractionem accidentis, vnam à subiecto: vt ab albo v. g. abstrahitur albedo, & dicitur abstractio Physica, & quæ hac abstractione præscinduntur, significantur per modum totius, vocanturque concreta substantiua; alteram à propriis entitatibus, vt ab albedine albedineitas, diciturque abstractio Metaphysica, & quæ hac abstractione præscinduntur significantur per modum partis vocanturque abstracta substantiua, siue sint accidentia siue substantiæ, vt ab homine humanitas, ab animali animalitas.

His suppositis dicendum est, accidentia abstractione Physica abstracta videlicet à subiecto posse inuicem prædicari etiam prædicatione essentiali: v. g. albedo & color, licet quoad Philosophum sint abstracta, quia præcisa à subiecto, tamen quoad Metaphysicum sunt concreta, & essentialiter prædicatur vnum de altero tanquam genus de specie: quia albedo & nigredo sunt species contentæ sub colore tanquam sub genere; attamen accidentia abstractione Metaphysica abstracta scilicet à propriis entitatibus quæ dicuntur vltimate

mate abstracta, certum debet esse apud omnes non posse ad inuicem prædicari: v.g. Albedineitas est coloreitas non valet: quia albedineitas solum dicit præcisissimam rationem constitutiuam albedinis in suo peculiari gradu essendi, per quem vltimo differt à quocumque alio, ergo coloreitas quæ est alia præcisissima ratio constitutiua coloris in nullo sensu potest de illa prædicari. Idem dicendum est de abstractis substantialibus: v. g. *humanitas, animalitas* quæ propter eandem rationem præcisissimi videlicet conceptus per vnumquodque significati nequeunt adinuicem prædicari sic Scotus 1. d.5.q.1. n. 5. & d. 8. q. 4. n. 25. vide Poncium disp. 3. n. 89. qui late hanc difficultatem tractat contra quosdam Thomistas.

14. Sit 2. *Conclusio, abstracta nequeunt prædicari de suis concretis, neque è contra concreta de suis abstractis prædicatione formali.* Est communis & recepta apud omnes & probatur facile: quia quando diceretur, quod albedo est album, sensus esset, quod albedo esset quid habens albedinem, vel quod esset albedo inhærens subiecto; hoc autem vtrumque est falsum, quia non est habens albedinem, sed ipsamet albedo, & hæc non inhærens subiecto, sed abstracta ab illo. Idem argumentum potest fieri è contra in prædicatione qua diceretur, album est albedo, ergo nullatenus possunt vnum de altero formaliter prædicari.

Obiicies 1. Hæc est vera prædicatio Deus est Deitas, & è contra Deitas est Deus, ergo abstractum potest prædicari de suo proprio concreto & è contra: ℞. dist. conseq. Quando abstractum est quid infinitũ, concedo, quando non est, nego: conclusio autem nostra & communis intelligenda est de abstractis & concretis finitis, non vero de infinitis simpliciter. Ratio autẽ cur abstracta infinita potius quam finita possint de suis concretis prædicari est, quam assignat Scotus dist. 8. citata, videlicet quod quodlibet prædicatum & subiectũ infinitũ exigat ex ratione suæ infinitatis cõiungi cum quocumque, cum quo à parte rei identificatur. Vnde quando intellectus concipit aliquod huiusmodi prædicatum secundũ suam rationẽ formalẽ abstractam v.g. Deitatem, adhuc habet rationem identificandi ipsum cum illo, à quo abstrahitur propter infinitatem, quam in illo concipit, & ob hoc potest ipsum de illo prædicare; licet non posset ipsum prædicare de illo, spectata ratione formali præcisa sine consideratione infinitatis: Posset etiam responderi neg. anteced. scilicet quod talis prædicatio sit vera in sensu formali, licet admitti debeat in sensu identico.

Dices, hæc est vera prædicatio ens est entitas, res est realitas, entitas est ens, & tamen nullum ex extremis est infinitum, ergo: ℞. neg. tales prædicationes esse veras si res & ens sint concreta, & entitas & realitas abstracta eorum; si vero accipiantur vt omnino synonima, tunc prædicatio erit identica vt si diceretur ensis est gladius, Petrus est Petrus.

Obiicies 2. De quantitate quæ est abstractum quanti, dicitur quod sit quanta, & de aliquo quanto nimirum de hac quantitate, quæ dicitur quanta, dicitur etiam quod sit quantitas, ergo abstractum aliquod potest prædicari de suo concreto, & è contra: ℞. Quod de quantitate vt est abstractum à quanto, nullatenus prædicatur quantum, provt est concretum eiusdem quantitatis, licet bene possit prædicari quantum, provt est concretum alterius quantitatis. Cuius solutionis explicationem & doctrinam habes supra in Log. Vtent. cap. 3. sect. 2. num. 7.

DISPVTATIO II.

In libros Peri-hermen. Aristotelis.

QVÆSTIO I.

Quæ sit essentialis definitio propositionis?

1. NOTA Aristotelem in variis descriptionibus, quibus naturam propositionis explicauit, eam per nomen orationis assignasse: vt patet 1. Periherm. cap. 1. vbi docet esse orationem affirmatiuam vel negatiuam, & cap. 4. esse orationem verum vel falsum significantem. Quod ideo fecit, quia explicans notiorem propositionem scilicet vocalem, viam præstaret ad inuestigandam definitionem propriæ & rigorosæ propositionis videlicet mentalis.

Sit prima conclusio; *Essentia propositionis vt sic in genere considerata consistit in enunciare vnum de alio.* Hanc conclusionem colligo ex Aristot. 1. Posterior. cap. 2. vbi asserit propositionem esse, in qua vnum de vno enunciatur. Quod optime perceperunt Hurtad. disp. 4. Summular. sect. 3. Arriaga disp. 2. sect. 2. & noster Poncius cap. 10. vbi propositionis definitionem assignant dicendo, quod sit actus iudicatiuus seu enunciatiuus intellectus, in qua definitione solum explicatur natura propositionis mentalis. Verùm quia eo modo, quo ratio propositionis datur in vocibus & scriptura, eodem & ratio enunciandi reperitur, ideo propositio vocalis sic potest definiri: *Est oratio enunciatiua*, circa quam definitionem erit nobis disputatio, vtrum per ipsam secluso quocumcumque alio Quidditas & Essentia propositionis assignetur?

2. Secunda conclusio, *propositio non bene definitur per hoc quod verum vel falsum significet.* Est communis contra Petrum Hispanum, Fonsecam & aliquos Thomistas. Probatur 1. Omnis bona definitio datur per prædicata intrinseca & inseparabilia; sed significare verum vel falsum non est prædicatum intrinsecum propositionis, imo est quid extrinsecum & separabile: ergo non est bona definitio propositionis Probatur minor: impossibile est rem aliquam manere eamdem, non manente eo quod est de sua essentia; sed propositio quæ est vera, potest eadem manere sine veritate, ergo veritas non est de eius essentia, probatur mi. Si quis haberet apud se hoc iudicium *Petrus sedet*, talis propositio Petro sedente esset vera, attamen si continuaretur illud iudicium, donec Petrus staret, tunc illa eadem propositio esset falsa, ergo, &c.

Si dicas, non potest conseruari idem iudicium, quamdiu non manet idem obiectum; sed Petro stante non manet idem obiectum, ergo nõ manet eadem propositio, atque adeo mutatur & ipsa & pars essentialis eius scilicet veritas: Sed contra: licet ad mutationem obiecti in mente sequatur mutatio iudicij; tamen mutato obiecto in re perseuerat idem iudicium, sed hæc mutatio obiecti à parte rei sufficit, imo est necessaria ad veritatem & falsitatem iudicij, ergo cum mutatione obiecti in re, atque adeo veritatis & falsitatis perseuerat idem iudicium & eadem propositio, ergo veritas & falsitas sunt ipsi extrinsecæ, atque adeo non bene per ipsas definitur.

Instabis. Propositio contingens, de qua est sermo, aut significat pro tempore

pore determinato, aut vage: verb. gr. Petrus sedet vel significat ipsum sedere pro tempore *A*, vel significat sedere siue in tempore præsenti siue futuro. Hoc supposito sic formatur argumentum. Propositio quamdiu est vera, non potest esse falsa, quia est contradictio; sed omnis propositio quæ aliquando fuit vera, semper est vera, ergo nulla propositio eadem manens potest transire de vera in falsam. Probatur mi. si significat vage, dummodo pro aliqua differentia temporis saluetur, semper est vera: hæc enim semper est vera *Dauid peccauit*, etiamsi aliquando non peccauerit; si vero significet determinate, multò melius: quia non requiritur ad veritatem eius nisi quod pro illo tempore determinato saluetur, vt semper sit vera: Resp. in forma conced. ma. neg. mi. & eius probationem pro vtraque parte: nam propositio necessario significat cum tempore, quod connotat, itaque illa propositio Dauid peccauit, est vera, si supponat pro tempore, quo Dauid fuit actualiter in peccato, secus vero si pro alio tempore; Ista autem propositio Petrus sedet, quia supponit Petrum actualiter sedentem, eius veritas actualis pendet ab actuali sessione Petri, qua deficiente deficiet veritas propositionis, non tamen ipsa propositio: quia perseuerare potest idem Iudicium: Vt si quis propter authoritatem alicuius hominis fide digni crederet Petrum sedere, posset Petrus sedere, & tunc iudicium esset verum; & posset etiam non sedere, & tunc idemmet iudicium esset falsum, ergo eadem propositio, quæ est vera, posset esse falsa.

Probatur 2. Conclusio, si veritas & falsitas pertinerent aliquo modo ad essentiam propositionis, sequeretur, propositionem veram & falsam specie distingui, sicut ipsa veritas & falsitas specie distinguuntur, sed differentiæ essentiales specierum non pertinent ad essentiam generis: vt patet in rationalitate & irrationalitate; quæ non pertinent ad essentiam animalis, ergo significare verum vel falsum est extra essentiam propositionis vt sic, de qua disputamus: Nec refert si dicas, totum disiunctum scilicet verum vel falsum pertinere ad essentiam propositionis vt sic & quodlibet, eorum esse differentiam vniuscuiusque speciei: Non, inquam refert, quia totum disiunctum componitur ex partibus oppositis, & sic nequit esse definitio vnius & eiusdem rei. Confirmatur & roboratur conclusio; Hæc causalis est vera, quia propositio enunciat vnum de alio, ideo est vera vel falsa, & altera causalis est falsa, quia est vera vel falsa, ideo enunciat vnum de altero, ergo prius competit propositioni enunciare vnum de altero, quam verum vel falsum significare. Vnde colligitur, diuisionem propositionis in veram & falsam esse subiecti in accidentia, quia diuiditur per rationes accidentales & omnino extrinsecas; & Aristotelem, vbi propositionem dicit, esse orationem verum vel falsum significantem, explicasse eius naturam per accidentia notiora, non tamen per prædicata essentialia.

3. Tertia conclusio, *Definitio propositionis, quæ datur, per hoc quod sit affirmatiua vel negatiua, non est essentialis seu quidditatiua.* Est contra Conimbricen. Cauerum, & nostrum Fuente 2.p. summul. q. 4. diff. 2. Et probatur. Nulla definitio essentialis datur per disiunctionem, ergo quod propositio sit affirmatiua vel negatiua non est definitio essentialis eius. Probatur antecedens, per definitionem essentialem explicatur natura definiti prout

habet esse determinatum & distinctum à quocumque alio, ergo per partes determinatas & non disiunctas debet assignari: aliàs liceret tradere definitionem animalis per hoc quod sit viuens rationale vel irrationale. Item prius existit completa ratio propositionis, quam sit vel intelligatur affirmatiua vel negatiua. Probatur anteced. prius est copulam esse, quam copulam esse talem scilicet affirmatiuam vel negatiuam; sed eo ipso quòd datur esse copulæ, idest quod exerceat suum munus quod est copulare extrema: datur completa ratio propositionis, ergo antequam intelligatur ratio affirmationis vel negationis, intelligitur completa ratio propositionis, ergó quod sit affirmatiua vel negatiua non est essentialis definitio propositionis.

Dices, Scotus 1. Prior. q. 3. affirmat ex Aristot. in littera, omnem propositionem esse affirmatiuam vel negatiuam, ergo exactè definitur propositio per affirmatiuam vel negatiuam: Resp. ideo Scotum asserere omnem propositionem esse affirmatiuam vel negatiuam: quia nulla datur à parte rei, cuius copula non sit affirmatiua vel negatiua, non tamen quia sit de essentia propositionis vt sic & in genere consideratæ, de qua est quæstio: Sicut v.g. quia nullum datur à parte rei animal, quod non sit vel rationale, vel irrationale, non sequitur quod rationalitas vel irrationalitas sint de eius essentia. Quare propositio vt sic diuiditur in affirmatiuam & negatiuam tanquam genus in species per rationes differentiales: scilicet affirmationem & negationem essentialiter constituentes propositiones affirmatiuã & negatiuam. Ad quas sequuntur aliæ duæ rationes accidentales scilicet veritas & falsitas, per quas iterum subdiuiditur quælibet istarum propositionum in veram & falsam. Quæ doctrina sic potest suaderi: quia illa est propositio vera, cuius obiectum existit, sicut per ipsam affirmatur vel negatur, ergo ad affirmationem vel negationem propositionis sequitur eius veritas vel falsitas.

QVÆSTIO II.

An omnis propositio sit vniuersalis, particularis, indefinita, vel singularis?

SVpposita notitia de quidditate & essentia propositionis, modò inquirimus de eius quantitate: quia vt diximus in Log. vtent. cap. 4. sect. 2. ratione quantitatis diuiditur propositio in vniuersalem, particularem, indefinitam & singularem. De sufficientia ergo huius diuisionis est præsens Quæstio: Vtrum dari possit aliqua propositio, quæ non sit aliqua ex istis quatuor?

4. Sit conclusio: *Omnis propositio est vniuersalis, particularis, indefinita vel singularis.* Habet expresse Scot. 1. prior. q. 4. Et probatur quia in omni propositione quantitas eius attenditur penes coarctationem vel extensionem subiecti in significando, ergo quot modis fuerit ista coarctatio vel extensio subiecti, tot erit & eius quantitas; sed hæc est quadruplex, ergo quadruplex erit propositio ratione quantitatis. Probatur quia subiectum vel est terminus discretus (qui scilicet significat indiuiduum determinatum absolute vt *Petrus*, vel determinatum signo demonstratiuo vt *hic homo*) & tunc erit propositio singularis; vel est communis & indiscretus, & hoc dupliciter quia vel communis sine aliquo signo & tunc erit propositio indefinita: Vt *homo est animal*; vel communis cum aliquo signo, & hoc iterum dupliciter quia vel cum signo vniuersali, & tunc sit propositio vniuersalis: vt *omnis*

homo

homo est animal; vel cum signo particulari & sic erit propositio particularis vt *aliquis homo est animal*; sed non est extensibilis aut contrahibilis terminus, qui ponitur vt subiectum, nisi aliquo ex his quatuor modis, ergo non est multiplicabilis propositio ratione quantitatis nisi iuxta istam quadruplicem variationem subiecti, ergo &c.

Obiicies 1. In hac propositione; *omnis Phœnix est auis*, subiicitur terminus cum signo vniuersali, & tamen propositio non est vniuersalis, ergo diuisio assignata non est sufficiens. Probatur mi. Subiectum huius propositionis nempe *Phœnix* non distribuitur pro pluribus, & tamen signum vniuersale *omnis* requirit pluralitatem suppositorum, in quibus distribuatur terminus communis, ergo talis propositio non est vniuersalis, quamuis habeat pro subiecto terminum communem signo vniuersali affectum: ℞. neg. anteced. est enim vniuersalis: nam signum vniuersale solum denotat prædicatum propositionis dici de quolibet contento sub subiecto sine connotatione multitudinis aut non paucitatis suppositorum, vnde quamuis solus esset Petrus in vniuerso, hæc propositio *omnis homo est animal* esset vniuersalis.

Obiicies 2. Ista propositio, *Infinita puncta sunt in continuo* est vera & tamen ad nullam istarum reducitur, ergo &c. ℞. quòd si hoc signum *Infinita* sumatur *syncategorematice* (vt debet sumi) propositio erit vniuersalis affirmatiua & æquiualet isti: Quotlibet punctis plura sunt in continuo, cuius singulares erunt istæ; duobus punctis plura sunt in continuo, tribus punctis plura sunt in continuo, & sic in infinitum.

Dubium, appendix: Quot sint differentiæ propositionis secundum Quantitatem; Et quot modis inter se opponantur? ℞. esse quatuor: quia propositiones solum opponuntur penes quantitatem & qualitatem. Ratione quantitatis solum datur oppositio determinata inter vniuersalem & particularem, seu singularem (nam hæc opponitur sicut particularis: Indefinita autem non opponitur alicui determinate, sed eius opposita est hæc vel illa vage sumpta) Ratione qualitatis opponuntur affirmatiua & negatiua. Iam ergo ex his duabus oppositionibus penes affirmationem & negationem, vniuersalitatem & particularitatem sequitur nostrum assertum. Quod sic ostendo: Ex his duabus oppositionibus possunt formari propositiones in quadruplice differentia: videlicet vniuersalis affirmatiua, vniuersalis negatiua, particularis affirmatiua & particularis negatiua; sed istæ possunt quadrupliciter comparari: vt constat in Log. Vtent. cap. 4. sect. 4. ergo si quadrupliciter potest fieri comparatio, quadruplex erit oppositionum genus. De propositionibus modalibus idem iudicium est ferendum, ac de propositionibus de inesse: quia vt ibidem diximus: *omnis necesse valet, impossibile nullus &c.*

QVÆSTIO. III.

Quot sint modi conuertendi propositiones? Vbi de vniuscuiusque conuersione.

Diximus in Log. Vtent. cap. 4. sect. 5. conuersionem propositionum quæ fit per contra positionem esse prorsus inutilem nostro instituto, imo non esse proprie conuersionem: quia in ea non transmutantur extrema, sed potius auferuntur & variantur: cum nec quantitas nec qualitas terminorum maneat in tali conuersione. Quapropter solum procedit quæstio de conuersionibus propositionum, quæ

quæ conducunt ad reductionem syllogismorũ imperfectorum ad perfectos, ad quem effectum præcipuè ordinatur talis conuersio. Hoc supposito.

6. Sit conclusio: *Duplex est tantum modus conuertendi propositiones*. Probatur, conuersio propositionis est transmutatio vnius extremi in aliud, ergo quot modis potest fieri talis transmutatio, tot fiet & conuersio; sed hoc dupliciter tantum fieri potest, ergo. probatur. mi. quia vel transmutantur termini omnino inuariati scilicet tam in quantitate quam in qualitate, & tunc fit conuersio simpliciter; vel cum aliqua variatione scilicet in aliquo istorum (si enim in vtroque varientur, non erit proprie transmutatio vt dixi) nempe in quantitate, & tunc fit conuersio per accidens, & dicitur ab Aristotele conuersio in partem; sed non est assignabilis alia conuersio, ergo duplex tantum est modus conuertendi propositiones.

Sed contra obiicies, sicut in conuersione per accidens transmutantur extrema variatâ quantitate, non vero qualitate, etiam fieri potest alia conuersio, in qua varietur qualitas seruata quantitate; sed talis non est ex enumeratis, ergo. Pro responsione Aduerte ex Scoto. 1. Priorum. q. 12. n. 2. in omni bona & vtili conuersione vnam propositionem debere inferri cum necessitate ex alia: quia conuersio duarum propositionum est quædam propositio hypothetica conditionalis vel rationalis, cuius antecedens dicitur propositio conuersa, consequens vero conuertens. Hoc supposito ℞. quod licet fieri possit huiusmodi transmutatio terminorum, tamen non erit conuersio: quia tunc conuertens non inferretur ex conuersa: v. g. *aliquis homo est animal* non conuertitur in istam *aliquod animal non est homo*: quia vna nõ infertur ex alia, licet vtraque sit vera. Neque ista *omnis homo est animal* potest conuerti in istam, *nullum animal est homo*: alias ex antecedenti vero sequetur consequens falsum.

Dices, ista *omnis homo est animal* conuertitur in istam *omne animal non est homo*. Et sic vtraque erit vera, propter quod fiet noua conuersio: Sed contra quia per te in ista noua conuersione manet eadem quantitas terminorum, ergo vtraque propositio debet esse vniuersalis vel particularis; sed ista *omne animal non est homo* non est vniuersalis: nam æquiualet isti *aliquod animal non est homo*, ergo non potest esse conuertens alterius propositionis vniuersalis. Igitur supposito quod duplex sit tantum modus conuertendi propositiones, dubitatur, quæ & quales propositiones conuerti possint aliquo ex his duobus modis?

Dubium. 1.

7. Sit dubium. 1. *An omnis vniuersalis negatiua conuertatur simpliciter?* Pro solutione Nota, duplicem esse vniuersalem negatiuam, altera est cuius prædicatum distribuitur, vt *nullus homo est asinus*, altera est cuius prædicatum non distribuitur, vt quando prædicatum præcedit negationem: v. g. *omnis homo animal non est*. Loquendo de prima dico, omnem vniuersalem negatiuam conuerti simpliciter: probatur, quia talis propositio virtute signi vniuersalis significat, prædicatum pro quolibet supposito suo remoueri à subiecto pro quolibet supposito subiecti, vt patet per illam regulam prædicamentalem Aristotelis: *dici de omni & dici de nullo*, ergo cum distributio sit ex parte vtriusque extremi adæquata, vtiq; prędicatio erit mutua. Loquendo autem de secunda vniuersali negatiua, cuius prædicatum non distribuitur, dico non posse conuerti simpliciter, sed per accidens.

dens. Primum patet: quia in tali propositione non significatur prædicatum remoueri à subiecto, pro quolibet suo supposito; ergo non valebit consequentia per conuersionẽ simpliciter. Secundum etiam constat, quia si conuertatur in particularem negatiuam: v.g. *omnis homo animal non est* in istam *quoddam animal non est homo,* tunc conuersa necessario infert conuertentem per conuersionem per accidens.

Dubium. 2

8. Secundum Dubium est *De particulari affirmatiua circa eamdem conuersionem: Vtrum scilicet conuertatur simpliciter?* Diximus in Log. Vtent. duas prædictas propositiones conuerti simpliciter. Pro quo notandum, duplicem esse propositionem particularem, affirmatiuam, quædam est cuius prædicatum est terminus discretus: v. g. *quidam homo est Petrus*; & dico quod talis propositio conuertitur per accidens, non vero simpliciter, nisi cum aliquo addito: primum probatur: quia sine addito solum conuertitur in istam: *Petrus est homo*, quæ conuersio est quasi per accidens: incongrue enim diceretur *quidam Petrus est homo*: nam termino discreto repugnat signum siue particulare siue vniuersale. Secundum etiam patet: quia si addatur talis dictio v.g. *quod est*, vt si dicas *aliquid quod est Petrus est homo*, tunc conuertetur simpliciter, quia in aliam particularem affirmatiuam. Alia est cuius prædicatum est terminus communis non distributus v. g. *Quidam homo est animal*, & talem dico conuerti simpliciter in istam *Quoddam animal est homo*, quod sic probo, & suppono, quod iste homo, qui est hoc quoddam animal est Petrus. Tunc sic argumentor *Petrus est homo, Petrus est animal, ergo animal est homo*: patet consequentia per regulam *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, ergo quidam homo est animal* conuertitur simpliciter in istam *quoddam anima est homo.*

Dices, in ista *quadam species est homo* prædicatum est terminus communis non distributus & tamen sua conuertens est falsa scilicet *quidam homo est species*, ergo &c. ℞. 1. non solum prædicatum non esse distributum, sed neque distribuibile, atque adeo nec commune communitate necessaria ad conuersionem: Resp. 2. ex Scoto 1. Priorum q. 13. in illo prædicato *homo* subintelligi *iste conceptus homo*, quo iam expresso sua conuertens erit ista *ille conceptus homo est quædam species.*

9. Dubium 3. *Vtrum omnis vniuersalis affirmatiua conuertatur per accidens?* Resp. affirmatiue: Quod sic probo: Quando ad antecedens necessario sequitur consequens, quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens; sed ad vniuersalem affirmatiuam necessario sequitur sua subalternata, ergo quidquid sequitur ad istam, sequetur ad illam; sed ad subalternatam sequitur necessario sua conuertẽs per conuersionẽ simpliciter, vt dixi dubio præced. ergo conuertens particularis affirmatiuæ sequitur per conuersionem per accidens ad vniuersalem affirmatiuam: exemplificatur doctrina ad istam *omnis homo est animal* sequitur sua subalternata *quidam homo est animal*; sed hæc per conuersionem simpliciter infert istam *quoddam animal est homo*, ergo hæc per conuersionem per accidens sequitur ad vniuersalem affirmatiuam.

Dices, Vniuersalis negatiua conuertitur simpliciter; cur ergo non sic conuertitur vniuersalis affirmatiua? Resp. disparitatem consistere in hoc quod prædicatum vniuersalis negatiuæ non solum significatur negatum à subiecto pro quolibet supposito subiecti,

biecti sed etiam pro quolibet supposito suo; prædicatum autem vniuersalis affirmatiuæ solum significatur affirmatum de subiecto pro quolibet supposito subiecti, non vero pro quolibet supposito suo: idest non potest prædicari quodlibet suppositum prædicati de quolibet supposito subiecti: aliàs idem esset dicere: *omnis homo est animal ac omnis homo est omne animal.* Solum ergo per consequentiam formalem sequitur particularis affirmatiua ad vniuersalem affirmatiuam. Dixi notanter *per consequentiam formalem*: quia non dubito ratione materiæ conuerti posse simpliciter: vt v. g. quando antecedens est impossibile: vt omnis homo est asinus, ergo omnis asinus est homo; vel quando subiectum & prædicatum sunt termini conuertibiles: vt omnis homo est risibilis, ergo omne risibile est homo; vel denique quando inferius prædicatur de suo superiori vniuersaliter sumpto: vt omne animal est homo bene sequitur, ergo omnis homo est animal.

Ex solutione huius dubij sequitur vniuersalem negatiuam posse conuerti etiam per accidens, nam si omnia supposita prædicati significantur per ipsam negari de subiecto, ergo poterit quodlibet in particulari negari: v. g. si bene sequitur: *nullus asinus est homo, ergo nullus homo est asinus*, recte etiam sequitur *ergo aliquis homo non est asinus.* ex quo manet sufficienter probatum nostrum secundum assertum in Log. Vtent. cap. 4. n. 16. scilicet vniuersalem affirmatiuam & vniuersalem negatiuam conuerti posse per accidens.

QVÆSTIO. IIII.

An ex propositionibus contradictorijs de futuro contingenti altera sit Determinate vera, altera falsa?

10. NOta, propositionem de futuro contingenti esse illam qua affirmatur vel negatur aliquid futurum quod potest esse & non esse, vel cuius causa libere ipsum producit vel non producit: vt v. g. Petrus disputabit cras, Petrus non disputabit cras. Est igitur difficultas, An ex duabus huiusmodi propositionibus contradictorijs vna aliqua determinata sit vera, ita vt aliquis possit vere dicere: Hæc determinata propositio est vera, & altera ipsi opposita contradictorie est falsa. Et procedit quæstio de effectu futuro dependenti à causa libera, quæ scilicet pro illo instanti, quo ipsum producit, posset non producere, qualis est voluntas; ad distinctionem aliarum causarum naturalium, quæ eo quod determinatæ sint ex se ipsis, non potest dici, quod oppositum possunt producere, qualis est ignis producens calorem in passo approximato & capaci. Dicetur autem effectus determinate futurus à voluntate, eo quod ita infallibiliter procedet ab ea, vt non fiet oppositum eius, quamuis non sit determinata aut necessitata ad ipsum producendum vel non producendum.

11. Sit conclusio, *Ex propositionibus de futuro contingenti, altera est determinate vera, altera falsa.* ita Scot. 1. d. 3. q. 1. & D. Bonauent. dist. 38. art. 3. q. 1. quos communiter sequuntur fere omnes contra quosdam antiquos & Fonsecam libr. 4. Metaph. Probatur, quia aliquid esse determinate futurum est esse futurum

ita absolutè, vt possit dici de eo absolute & simpliciter, hoc est futurum; sed ex huiusmodi propositionibus contradictoriis de alterutra potest dici vere, absolute & simpliciter: est futura: alias propositiones contradictoriæ essent simul falsæ; si enim neutra ex illis est simpliciter vera, vtraque est simpliciter falsa, ergo dicendum est alteram ex illis esse determinate veram. Et Confirmatur, quia de fide est Anti-Christum esse futurum infallibiliter, ergo propositio asserens, Anti-Christum esse futurum, est determinate vera; sed est propositio de futuro contingenti, ergo &c.

Obiicies 1. si hæc propositio est determinate vera, Petrus peccabit cras, ergo Petrus necessario peccabit: ℞. neg. conseq. quia vt sit determinate vera, sufficit, quod peccabit, siue necessario siue libere: Quod si dicas, requiri vt sit determinate vera, quod oppositum non possit fieri, atque adeo causam debere esse determinatam ad obiectum eius ponendum: ℞. dist. anteced. quod oppositum non possit fieri in sensu composito futuritionis conced. anteced. absolute & simpliciter neg. anteced. & consequentiam.

Instabis, vt sit determinate vera, in nullo sensu debet posse fieri oppositum eius. Probatur: quia alias scientia Dei videntis obiectum eius futurum posset falli: nam si oppositum eius fieret, scientia dei falleretur de facto, ergo si posset fieri, scientia Dei falli posset, quod non est dicendum: ℞. neg. anteced. sufficit enim quod secundum quid & ex hypothesi futuritionis suæ ac scientiæ Dei de tali futuritione non possit fieri oppositum; licet bene simpliciter & absolute; Neque ex hoc sequitur falli aut posse falli scientiam Dei, falleretur tamen si oppositū posset fieri ex suppositione futuritionis. Et ratio est, quia scientia non fallitur aut potest falli, nisi obiectum eius aliter sit aut possit esse, quàm per ipsam videtur; ita autem videtur obiectum futurum per scientiam Dei, vt videat, bene posse ipsum non esse futurum simpliciter, non vero posse non esse futurum ex hypothesi futuritionis. Quare cum nihil aliud sequatur ex determinata veritate propositionis de futuro contingenti, quam quod obiectum eius sit ita futurum, vt non possit non esse futurum ex suppositione futuritionis, licet absolute & simpliciter possit non esse futurum, nihil sequitur contra infallibilitatem scientiæ Dei. A quo autem habeat esse futurum, quod supponitur ad scientiam diuinam? Spectat ad Theologiam, sufficiat dicere, quod vel à causa prima se sola, vel ab ipsa simul cum secunda. Nec obstat quod secunda non existat actu pro omni tempore, pro quo verum est dicere quod illud sit futurum: nam satis est, quod tunc existet, quando ponetur effectus in esse actualis existentiæ.

Obiicies 2. Aristot. hic cap. 8. docet huiusmodi propositiones nec esse determinate veras, nec determinate falsas: Resp. vel hoc dixisse: quia determinata veritas earum non pendet à causa determinata: vt contingit in propositionibus de futuris contingentibus libere; vel quia non sint tales quoad nos, quandoquidem non possumus scire, quænam ex illis sit determinate vera vel falsa: Ratione enim huius nostræ ignorantiæ de illis possunt dici respectu nostri nec determinate vere nec determinate falsæ.

DISPVTATIO III.
In libros Priorum Aristotelis.

QVÆSTIO I.

Vtrum definitio syllogismi sit bona?

Recolenda sunt quæ diximus in log. Vtent. cap. 5. sect. 1. de conditionibus necessarijs ad bonam definitionem, quibus suppositis.

1. Sit nostra conclusio. *Definitio syllogismi tradita ab Aristot. 1. prior. c. 1. & à nobis proposita vbi supra. sect. 3. num. 7. est bona & exacta.* Probatur ex Scoto 1. prior. q. 5. vbi tenet expresse conclusionem dicens: *quod ista est bona definitio quid nominis.* Prædicta definitio exprimit explicite quod hoc nomen syllogismus importat implicite: item conuertibiliter & sine negatione, ergo est exacta definitio *quid nominis.* patet consequentia per conditiones à nobis assignatas ibidem antecedens probatur: In ratione syllogismi includitur habere plures præmissas, vnam conclusionem, & quod illatio conclusionis ex Præmissis sit necessaria? sed præmissæ exprimuntur per particulam, *aliud ab his quæ posita sunt*, & demum illatio necessaria per ly *accidit de necessitate eo quod hæc sunt*, ergo est bona & exacta.

Et confirmatur per expositionem ad singulas particulas, per ly *oratio* differt à termino incomplexo, & debet intelligi non categorica, sed hypothetica constans pluribus categoricis mediantibus pluribus coniunctionibus; dicitur ly *in qua quibusdam positis* ad differentiam consequentiæ in qua ex vna propositione infertur alia v. g. in conuersione, æquipollentia, & enthimemate. Ponitur ly *aliud ab his quæ posita sunt*, ad differentiam consequentiæ, quæ est ab exponentibus ad expositam: quia exponentibus & expositæ idem conceptus correspondet in mente propter quod ibi infertur idem per idē. Ponitur *de necessitate accidit* vt denotetur quod si præmissæ sint veræ & formetur conclusio, necesse est esse veram; denique ponitur *eo quod hæc sunt* ad differentiam inductionis, in qua non præcise quia singulares sunt veræ, sequitur conclusio vniuersalis, sed quia cointelligitur in ipsa inductione altera propositio v. g. Ponamus quod non sunt nisi tres homines Petrus, Ioannes & Franciscus tunc sequitur necessario, Petrus currit, Ioannes currit, Frācīscus currit, ergo omnis homo currit quia ex singularibus sufficienter enumeratis per inductionem infertur necessario conclusio vniuersalis, non tamen euidenter, nisi addatur vel cointelligatur hæc vniuersalis, omnis homo est Petrus, Ioannes, & Franciscus, quâ appositâ consequentia erit euidens? at vero in syllogismo per hoc præcise quod præmissæ sunt vere, conclusio erit euidenter vera, si formetur.

Dices, In syllogismis secundæ & tertiæ figuræ præmissæ non sufficiunt ad illationem euidentis conclusionis, sed indigent conuersione vel transpositione, ergo hæc vltima particula non est sufficiens ad differentiam insinuatam: Resp. per particulam excludi aliam propositionem à præmissis, quod etiam reperitur in syllogismis secundæ & tertiæ figuræ qui non indigent alia propositione totaliter diuersa à præmissis, sed solum conuersione aut transpositione alicuius.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

An ex puris particularibus, item ex puris negatiuis aliquid syllogistice conficiatur?

2. INter regulas bonæ argumentationis, quas assignauimus in Log. Vtent. cap. 5. sect. 4. Vna est quod nec ex puris particularibus, neque ex puris negatiuis aliquid sequatur. De sufficientia ergo huius regulæ est præsens Quæstio: perutilis sane est eius examinatio ad demonstrandum numerum modorum, qui admittendi sunt in qualibet figura. Et Nota quæstionem procedere non de quacumque argumentatione, sed de syllogismo, propterea ponitur ly *syllogistice*: quia certum est fieri bonas consequentias tam ex puris particularibus quam negatiuis per conuersionem: vt *nullus homo est equus, ergo nullus equus est homo*, vel *quidam homo est animal, ergo quoddam animal est homo.* Item per æquivalentiam vt *omnis homo currit, ergo non quidam homo non currit*; Sed in his non sequitur aliud, sed idem infertur ex eodem.

3. Prima conclusio: *Non potest inferri syllogistice aliqua conclusio ex præmissis pure particularibus, in quib. termini ipsius conclusionis non manent identificati in aliquo tertio: hoc est in aliquo termino vel discreto vel sufficienter distributo.* Ita colligo ex Scoto 1. prior. q. 20. Et probatur, In isto syllogismo: *Quoddam animal est homo, quoddã animal est equus, ergo quidam equus est homo*, non sequitur conclusio: quia termini conclusionis particularis scilicet *equus* & *homo* non denotantur vniti in præmissis cum tertio scilicet *quoddam animal*; nec ipsum medium sufficienter distribuitur. Quod patet, nam prædicatum minoris verificatur de vno & prædicatum maioris de alio. Hocq; est quia subiectum quod est medium non distribuitur, ergo ex puris particularibus hoc modo dispositis nihil syllogistice conficitur; & quia vt in plurimum sic formantur syllogismi, quãdo ex particularibus fiunt, propterea assignatur talis regula.

Assignat tamen Scotus aliquos casus, in quibus ex particularibus aliquid sequitur: v.g. quando illud quod ponitur vt medium sufficienter distribuitur. Quod contingere potest dupliciter, vel quando medium est terminus discretus: vt ibi *quidam homo est Socrates, quidam musicus est Socrates, ergo quidam musicus est homo*, vbi terminus discretus qui est medium scilicet *Socrates* quasi sufficienter distribuitur in illa, cum quibus vnitur in præmissis (quam eandem doctrinam tradit ibidem q. 11. de syllogismo expositorio, quem dicit tenere vi formæ, dum tamẽ præmissæ regulentur per *dici de omni*, vel *dici de nullo* mediante hac particula *hoc est*, nẽpe ista *Socrates currit*, Debet resolui in istã *omne quod est Socrates currit*, tuncque (inquit) syllogismus expositorius erit consequentia formalis.) Vel etiã quando in secunda figura medium quod est prædicatum in vtraque præmissa est terminus communis affirmatiue distributus: V.g. *quoddam motum circulariter est omnis luna, sed quoddam lucens est omnis luna, ergo quoddam lucens est motũ circulariter.* Vbi propter rationem dictam valet consequentia.

4. Secunda conclusio, *ex puris negatiuis nihil syllogistice conficitur.* Est Scoti vbi supra q. 21. Et probatur, ex non connexione duorum cum aliquo tertio, nec sequitur connexio, nec non connexio eorumdem inter se; sed extrema conclusionis remouentur à medio in præmissis negatiuis, ergo ex illis non potest sequi aliqua conclusio

clusio siue negatiua siue affirmatiua: ma. patet: quia licet homo & risibile differant ab equo, non sequitur differre à se inuicem; Item licet homo & equus differant ab asino, non sequitur esse eadem inter se.

Dices, Hæc est bona syllogizatio, *Petrus non currit; sed nullus homo est alius à Petro, ergo nullus homo currit*; sed præmissæ sunt negatiuæ, ergo &c. ℞. neg. min. quia minor syllogismi est affirmatiua: Est enim quasi diceret, omnem hominem esse eumdem cum Petro, vnde nego consequentiam.

QVÆSTIO. III.

Quot modi syllogismorum sunt imaginabiles, Et ex his quot admittendi in vnaquaque figura?

SVppono tres tantum esse figuras syllogismorum: quia earum diuersitas colligitur penes variationem positionis medij cum extremitatibus in præmissis; sed hæc est tantum triplex, ergo triplex est etiam figura. Probatur mi. quia vel medium subiicitur in maiori & prædicatur in minori & sic est prima figura; vel in vtraque prædicatur & sic est secunda figura; vel in vtraque subiicitur & sic est tertia: Nec refert, si dicas, posse medium prædicari in maiori & in minori subiici: v. g. *omnis homo est discursiuus, omne discursiuum est disciplinabile, ergo omnis homo est disciplinabilis*, atque adeo datur quarta figura quam ponebat Galenus: ℞. ex Scoto. 1. prior. q. 34. hanc figuram non distingui à prima nisi penes transpositionem præmissarum, quæ non sufficit ad diuersitatem alicuius præmissæ, vnde neque ad diuersitatem figuræ: vt patet in præfato syllogismo, vbi si præmissæ transponantur, erit in prima figura: v. g. *omne discursiuum est disciplinabile, omnis homo est discursiuus: ergo omnis homo est disciplinabilis*. Hoc supposito.

5. Sit prima conclusio *In qualibet ex tribus figuris possunt formari sexdecim modi syllogismorum*. Probatur, diuersitas modorum sumitur præcise ex diuersitate combinandi præmissas ad inuicem, ergo quot modis diuersis fiat talis combinatio, tot erunt modi possibiles; sed fieri potest sexdecim modis, ergo &c. probatur minor: maior syllogismi potest esse quadruplex scilicet vniuersalis affirmatiua, vniuersalis negatiua, particularis affirmatiua & particularis negatiua, similiter & minor potest sic quadrupliciter variari, ergo tot sunt modi possibiles, quot potest combinari quadruplex maior cum quadruplici minori; sed numerus quaternarius potest sexdecies combinari cum quaternario, ergo &c. patet, nam quælibet propositio ex quatuor potest combinari cum sibi simili & cum qualibet ex tribus oppositis, ergo quælibet ex quatuor cum aliis quatuor.

Ex istis modis possibilibus plures sunt inutiles defectu alicuius regulæ, ex his quæ obseruari debent ad bonam syllogizationem. Et quamuis huiusmodi regulæ maneant assignatæ supra in Log. Vtent. cap. 5. sect. 4. Hic tamen eas, quæ necessariæ sunt ad dignoscendam bonitatem, vel defectum syllogismi, vt in promptu habeantur, apponemus.

Et Prima sit, quòd medium in aliqua saltem præmissarum distribuatur, vt sic possit perfecte coniungi vel disiungi ab extremitatibus.

Secunda

Secunda regula: ex puris negatiuis nihil ſequitur in vlla figura.

Tertia regula, neque ex puris particularibus.

Quarta regula eſt, quod non diſtribuatur aliquis terminus in concluſione, qui non fuerit diſtributus in præmiſſis. Et hæ regulæ, quæ generales ſunt pro tribus figuris, ſufficient ad cognoſcendum defectum ſyllogiſmi: nam quæ ſpeciales ſunt pro vnaquaque figura non nouum defectum indicant, & ad aliquem ex his quatuor facile reduces, ſi recolas quæ diximus ſect. 4. citata.

Ad cuius plenam intelligentiam accipe tabellas pro vnaquaque figura, in quibus inuenies exemplificatos omnes ſexdecim modos poſſibiles in qualibet figura & ex eis quot & quales eligendi & admittendi, quia vtiles ſunt, in quibus aſſignabitur conſequentia; de eis autem qui reiiciuntur, videbis defectum.

Sume ergo tres terminos v. g. *riſibile, viuens & Homo* qui ſit medium. Et ex eis formabis præmiſſas iuxta quadruplicem combinationem poſſibilem. Poſtea comparabis quamlibet ex quatuor ex vno latere, quæ erit maior, ad quamlibet ex alio latere quæ erit minor, & tunc videbis quadrangulum, in quo ſibi occurrunt; & iuxta ſignaculum vel modum ſibi aſſignatum, videbis vel conſequentias, ſi ſequantur vel cauſam cur non ſequantur.

Sit ſecunda Concluſio.

Secunda Conclusio, *quatuor sunt modi vtiles in prima Figura.*

		Minor: Aliquod risibile non est homo.	Minor: Aliquod risibile est homo.	Minor: Nullum risibile est homo.	Minor: Omne risibile est homo.
Maior	Omnis homo viuit.	a * o	a Darij i	a † e	a Barbara a
Maior	Nullus homo viuit.	e ✠ o	e Ferio i	e ✠ e	e Celarent a
Maior	Aliquis homo viuit.	i ¶ o	i ¶ i	i † e	i * a
Maior	Aliquis homo non viuit.	o § o	o ¶ i	o * e	o * a

Barbara : ergo omne risibile viuit.

† Peccat defectu quartæ regulæ.

* Peccat defectu primæ regulæ

Celarent : ergo nullum risibile viuit.

✠ Peccat defectu secundæ regulæ

Darij : ergo aliquod risibile viuit.

¶ Peccat defectu tertiæ regulæ

Ferio : ergo aliquod risibile non viuit.

§ Peccat defectu secundæ & tertiæ regulæ.

Tertia Conclusio, *quatuor sunt modi vtiles in secunda Figura.*

	Minor: Aliquod risibile non est homo	Minor: Aliquod risibile est homo.	Minor: Nullum risibile est homo.	Minor: Omne risibile est homo.
Maior: Omne viuens est homo.	a o Baroco	a i *	a e Camestres	a a *
Maior: Nullum viuens est homo.	e o ✠	e i Festino	e e ✠	e a Cesare
Maior: Aliquod viuens est homo.	i o ¶	i i ¶	i e †	i a *
Maior: Aliquod viuens non est homo.	o o §	o i ¶	o e ✠	o a †

* Peccat defectu primæ regulæ Cesare : ergo nullum risibile est viuens.

† Peccat defectu quartæ regulæ Camestres : ergo nullum risibile est viuens.

✠ Peccat defectu secundæ regulæ Festino : ergo aliquod risibile non est viuens.

¶ Peccat defectu tertiæ regulæ Baroco : ergo aliquod risibile non est viuens.

§ Peccat defectu secundæ & tertiæ regulæ.

Quarta

Quarta Conclusio, *ſex ſunt modi vtiles in tertia Figura.*

	Minor: Aliquis homo non eſt riſibilis.	Minor: Aliquis homo eſt riſibilis.	Minor: Nullus homo eſt riſibilis.	Minor: Omnis homo eſt riſibilis.
Maior: Omnis homo viuit.	a o †	a i Datiſi.	a e †	a a Darapti.
Maior: Nullus homo viuit.	e o ✠	e e Feriſon	e e ✠	e a Felapton
Maior: Aliquis homo viuit.	i o ¶	i i ¶	i e †	i a Diſamis
Maior: Aliquis homo non viuit.	o o §	o i ¶	o e ✠	o a Bocardo

Darapti: ergo aliquod riſibile viuit.

† Peccat defectu quartæ regulæ Felapton: ergo aliquod riſibile non viuit.

✠ Peccat defectu tertiæ regulæ Diſamis: ergo aliquod riſibile viuit.

¶ Peccat defectu primæ regulæ Datiſi: ergo aliquod riſibile viuit.

* Peccat defectu ſecundæ regulæ Bocardo: ergo aliquod riſibile non viuit.

§ Peccat defectu ſecundæ & tertiæ regulæ Feriſon: ergo aliquod riſibile non viuit.

Nota,

Nota, in prima figura ſolum exemplificari modos directe concludentes & ſolum poni concluſiones provt ex ipſis ſic concludentibus inferuntur: quia hæ ſunt, quæ per ſe primo ſequuntur ex præmiſſis, & per quorum conuerſionem formãtur concluſiones indirectæ: vt patet in tribus prioribus modis indirecte concludentibus nempe *Baralipton, Celantes & Dabitis*. In duobus vero poſterioribus *Fapeſmo* ſcilicet & *Friſeſomorum* opus eſt vel tranſpoſitione ſimul & conuerſione præmiſſarum, vel ſaltem conuerſione alicuius: Item Aduerte in aliquibus ſyllogiſmis aſſignari à nobis defectum quartæ regulæ: quia quæcumque concluſio ex his præmiſſis inferretur, peccaret tali defectu. Quæ omnia conſtant ex dictis in Log. Vtent. cap. 5. ſect. 5. & 6. & abunde traduntur à Complutenſibus in Logica lib. 3. de argument. à cap.3.

7. Inquires *Vnde habeant ſyllogiſmi quod poſſint oſtenſiue & per impoſſibile reduci?* ℞. ad primum, quòd ſicut neceſſitas illationis concluſionis in ſyllogiſmis recte diſpoſitis innititur duplici principio Ariſtotelis: *Dici de omni & dici de nullo*, ita fundatur vltimo tota reductio oſtenſiua in hoc principio euidenti: *Qualibet propoſitio poteſt conuerti in quamlibet ſibi æquiualentem*: nam ſi hic ſyllogiſmus eſt omnino ille, & ſolum differunt propter diuerſum modum ſignificandi, opus eſt oratione clariori, explicante eorum æquiualentiam. Et cum huiuſmodi explicatio fiat per conuerſionem & tranſpoſitionem propoſitionis, cuius regulas aſſignauimus ſect. citata de reductione ſyllogiſmorum, hinc fit, ſyllogiſmos fieri expreſsè æquiualentes per reductionem oſtenſiuam.

℞. Ad ſecundum, fundari in hoc principio euidenti *ex propoſitionibus contradictoriis altera debet eſſe vera & altera falſa.* Vnde quando negatur conſequentia legitime illata ex præmiſſis, vt cognoſcatur conſequentia & connexio eius veritatis cum præmiſſis, formatur eius contradictoria, quæ ſecundum reſpondentem debet eſſe vera; ſed tunc non manet veritas iſtius propoſitionis de nouo formatæ cum aliqua ex conceſſis: vt probat ſyllogiſmus iam reductus, ergo concluſio prius illata erat vera, quod eſt intentum huius reductionis.

DISPVTATIO IV.

In libros Poſteriorum Ariſtotelis.

QVÆSTIO I.

An definitio Demonſtrationis ſit bona?

1. DEMONSTRATIONEM propter quid & à priori ſic definiuit Ariſtoteles 1. Poſterior. cap. 1. *Eſt ſyllogiſmus procedens ex veris, primis & immediatis, notioribus, prioribus, cauſiſque concluſionis.* Cuius definitionis partes ſigillatim explicauimus in Log. Vtent. cap 6. ſect. 2. & 3. Hic autem ſolum diſputauimus aliquas difficultates, quæ circa illas particulas *primis & immediatis* controuerti ſolent. Pro quarum ſolutione.

Nota, *principium* (provt in præſenti) dici ab Ariſtotele *propoſitionem immediatam*, id eſt quâ non eſt altera prior, ſeu quæ non habet medium, quo poſſit probari à priori. Et diuiditur

in *Dignitatem* & in *Positionem*, dignitas est principium ita commune & notum, vt à quolibet facile cognoscatur: v. g. *quodlibet est vel non est, Totum est maius sua parte*; *Positio* est principium non ita notum & commune vt ab omnibus cognoscatur: Cuiusmodi sunt principia particularia vniuscuiusque scientiæ: v. g. *dici de omni & dici de nullo* in Logica, *Quidquid mouetur ab alio mouetur* in Philosophia. Et diuiditur in definitionem & suppositionem, illa est principium particulare vbi continetur definitio, ista vero est vbi tantum continetur genus vel differentia.

Quod si dicas, hæc demonstratio: *omne admiratiuum est risibile, omnis homo est admiratiuus, ergo omnis homo est risibilis*, est à priori, & tamen nulla ex præmissis est propositio immediata: ℞. ex Scot. 1. prior. q. 11. hanc & similes demonstrationes esse ex immediatis resolutorie, licet non formaliter quatenus vltimo resoluuntur in immediatam scilicet in definitionem. Pro quo.

2. Sit prima conclusio, *Medium in demonstratione potissimâ debet esse vel definitio subiecti, vel aliquid demonstratum per illam tamquam per medium.* Est Scoti & probatur: quia passio non potest demonstrari per aliam causam à priori, nisi per definitionem, ergo quandoquidem in demonstratione potissima demonstretur passio, non poterit aliud esse medium talis demonstrationis, quam definitio subiecti. Et hinc fit vt quoties dubitatur vtrum aliqua proprietas competat alicui rei, recurratur ad eius definitionem. Et non ob aliam causam tradidit Philosophus præcepta de definitione, quam quia est medium demonstrationis potissimæ. Et confirmatur conclusio: quia demonstratio potissima est, quæ generat perfectissimam scientiam, quæ non potest aliter vlla ratione se habere; sed nulla demonstratio potest hoc præstare, nisi illa cuius medium sit definitio subiecti: vt patet discurrendo per omnes alias demonstrationes assignabiles, in quibus non ponatur definitio subiecti pro medio: Et ex hoc constat non posse per omnia causarum genera demonstrari conclusio aliqua demonstratione potissimâ, nisi quatenus posset definitio subiecti habere rationem omnium istarum causarum, prout nonnulli asserunt dicentes, quod habeat rationem causæ materialis, quatenus est quæ recipit in se ipsam passionem; formalis quatenus est ratio formalis ob quam competit subiecto habere talem proprietatem; efficientis quatenus est principium à quo emanat proprietas; finalis denique quia ad complementum eius ordinatur proprietas illa.

Sed quoniam à pluribus ex Thomistis idem prorsus intelligitur per propositionem immediatam, ac per propositionem per se notam, obiter hic disputabimus. Quid sit ex mente Scoti propositio per se nota? Pro quo sit.

Quid sit propositio per se nota?

3. Secunda conclusio, *Propositio per se nota est quæ ex terminis propriis, qui sunt aliquid eius, vt sunt eius, habet veritatem euidentem.* Est expressa Scoti 1.d.2.q.2.n.2. Probatur simul & explicatur, propositio per se nota est quæ apprehensis terminis seu ex sola terminorum apprehensione absque recursu ad alios terminos *vt sunt eius* id est vt ponuntur in ipsa propositione, *habet euidentem veritatem* id est innotescit connexio terminorum, atque adeo est omnibus nota. Probatur ex Aristotele 1. posterior.

posterior. dicente: propositiones per se notas esse prima principia, in quibus nullus errare potest, sed sunt naturaliter nota: quoniam prima principia cognoscimus in quantum terminos cognoscimus. Et patet ex ipso nomine *per se nota* idest non per aliud; per quod excluditur à Doctore quæcumque causa & ratio quæ est extra per se conceptum terminorum.

4. Hinc colligitur contra prædictos Thomistas, non omnem propositionem immediatam esse per se notam: patet nam ista: *Homo est animal* est immediata, & tamen non est per se nota; Quòd sit immediata, constat quia inter hominem & animal nihil mediat; Quod non sit per se nota probatur: quia non habet ex terminis, vt sunt termini propositionis euidentem veritatem, sed per definitiones; Cum autem definitiones & definita non sint idem termini, sequitur quod ex ipsis terminis, vt iacent, non innotescat veritas propositionis.

Quod definitio & definitum non sint idem termini, siue accipiantur termini propositionis pro ipsis vocibus significantibus, siue pro conceptibus significatis. Probat Scotus ibidem: quia alias in demonstratione potissima in qua vt diximus, per definitionem demonstratur passio de subiecto, daretur petitio principij: patet quia idem per idem probaretur: Cum conclusio esset penitus eadem cum aliquâ ex præmissis: Ex quo infertur quod licet ista *animal rationale* est risibile sit per se nota, non tamen ista *homo est risibilis:* cum illa sit nota ex terminis; ista autem non ex suis terminis, sed ex terminis illius alterius scilicet definitionis. Deinde si definitio & definitum essent penitus idem, nunquam posset esse propositio per se nota terminis distinctè acceptis, quæ non esset etiam per se nota terminis confuse acceptis, & sic ista *homo est risibilis* esset per se nota sicut ista *animal rationale est risibile.*

5. Inquires, *An termini debeant distinctè concipi, an vero sufficiat confuse, vt propositio sit per se nota?* ℞. aliquando sufficere confusam cognitionem, aliquando autem requiri distinctam. Probatur ex Scoto loco citato: nam propositio quæ est per se nota Metaphysico terminos distinctè concipienti: Est etiam per se nota Geometræ concipienti confuse: v. g. ista; *Linea est longitudo sine latitudine*, terminis confuse conceptis est per se nota Geometræ: cum ipsa tanquam primo principio vtatur, attamen Metaphysico solum erit per se nota, si terminos distinctè cognoscat: nempe quod linea sit species Quantitatis continuæ distincta contra superficiem & corpus.

QVÆSTIO II.

An syllogismus demonstratiuus sit differentia formalis syllogismi in communi?

SOlutio Quæstionis habetur apud Scotum 1. prior. q. 6. vbi inquirit, *An syllogismus sit genus ad syllogismum dialecticum & demonstratiuum?* Ad quam Respondet negatiue. Si ergo syllogismus in communi fuerit genus ad demonstratiuum, dialecticum & sophisticum, vtique quilibet eorum erit differentia formalis syllogismi.

6. Sit conclusio nostra, *Diuisio syllogismi in communi in demonstratiuum topicum & sophisticum non est diuisio generis in species, sed subiecti in accidentia.* Sic Scotus loco citato & communiter Scotistæ.

Probatur, genus diuiditur in suas species per differentias formales; sed hæc diuisio est per differentias materiales, ergo non est diuisio generis in species ma. est certa, mi. probatur, syllogismus demonstratiuus distinguitur à dialectico, quia ille constat propositionibus necessariis, iste vero probabilibus, & vterque à sophistico, quia constat propositionibus apparentibus vt veris; cum tamen aliqua earum saltem sit falsa, ergo cum propositiones sint materia syllogismi, differentia quæ habetur penes ipsas, erit materialis, ergo quando syllogismus diuiditur per tales differentias, non diuiditur tanquam genus in species, sed tamquam subiectum in accidentia: sicut circulus diuiditur in aureum & argenteum, quæ est diuisio penes materiam, non vero penes formam.

Et confirmatur: quia duo syllogismi Topici facti in *Barbara* non distinguuntur specie in esse syllogismi formaliter, quamuis materia vnius sit distinctæ speciei à materiâ alterius, ergo similiter syllogismus Topicus & demonstratiuus facti in *Barbara* non distinguuntur specie in esse syllogismi, siue vt sic, siue vt talis formaliter, quamuis materiæ, in quibus fiunt, sint distinctæ speciei: Aduerte tamen conclusionem nostram debere intelligi de syllogismis demonstratiuo & topico; vt tales sunt: quia si vnus fuisset factus in *Barbara* & alius in *Cesare*, distinguerentur in specie: haberent enim diuersam dispositionem; sed tunc hoc non esset, ex eo quod vnus Topicus & alter demonstratiuus esset; sed ex eo quod vnus esset in *Barbara* & alter in *Cesare*.

Nota item; quod tripliciter potest formari syllogismus sophisticus iuxta dicta in Log. Vtent. cap. 8. num. 1. scilicet cum defectu in forma, in materia, & in materia & forma simul. Cum defectu in forma vt iste *aliqua opposita sunt simul vera, contradictoria sunt opposita, ergo contradictoria sunt simul vera*, qui habet præmissas pure particulares. Cum defectu in materia vt iste *Nulla opposita sunt simul vera, subcontraria sunt opposita, ergo non sunt simul vera*. Vbi solum est defectus in materia, scilicet quia maior est falsa. Cum defectu in materia & forma simul, vt iste *nulla opposita sunt simul vera, quædam subcontraria sunt opposita, ergo nulla subcontraria sunt simul vera*, qui deficit in materia, cum maior propositio sit falsa & etiam in forma, cum conclusio sit vniuersalis, existente vnâ præmissa particulari. Ex his tribus solum peccans in materia tantum potest dici vere syllogismus, & de isto solum est dubium, An sit differentia formalis syllogismi, de quo sicut de dialectico & demonstratiuo dicimus esse distinctos solum accidentaliter: nam cum ratio formalis syllogismi, quæ cõsistit in necessaria illatione conclusionis ex præmissis debite dispositis, sit eadem in omnibus, & solum differant penes præmissas necessarias vel probabiles, quæ sunt eorum materiæ, vtique differentia solum erit materialis seu accidentalis, atque adeo nullus eorum erit differentia formalis syllogismi in communi.

Dices, magis differunt syllogismus demonstratiuus & dialecticus, quam duo dialectici; sed isti differunt solo numero, ergo illi differunt specie: ℞. quod sicut duo dialectici solum differunt numero & in materia & in forma, ita demonstratiuus & dialecticus differunt solo numero in forma tantum; In materia autem licet differant specie, non propterea dicuntur diuersæ species syllogismi: quia differentia materialis vt dixi,

dixi, non constituit diuersam speciem: cum species differant per formas, non per materias.

QVÆSTIO III.

Vtrum detur regressus demonstratiuus, & an distinguatur à demonstratione circulari?

NOtandum *primò* demonstrationem circularem esse illam, quâ ostendimus conclusionem per præmissas, deinde præmissas per conclusionem eadem via scilicet propter quid & à priori, ita vt vtraque sit demonstratio propter quid: vt si ex *A*, demonstraretur *B*, & iterum ex *B*, demonstretur *A*, & vtrumque à priori siue per causam, & hîc est circulus quem reiicit Aristotel. 1. posterior. cap. 3. Notandum *secundò* Regressum demonstratiuum esse, quando per effectum ostendimus causam, deinde per causam ostendimus effectum: vt si ostendas à posteriori hominem esse rationalem propter risibilitatem, deinde demonstres à priori esse risibilem propter rationalitatem. Ex quo apparet discrimen inter regressum & circulum: nam in circulo vterque processus est propter quid & à priori; at in regressu prior processus est ab effectu & à posteriori, posterior vero est propter quid & à priori. His suppositis.

7 Sit conclusio, *datur in scientiis regressus demonstratiuus distinctus à demonstratione circulari.* Est communis & probatur primo ex Aristotel. loco citato, vbi docet, non posse fieri semper huiusmodi regressum, nisi quando causa & effectus sunt reciproci, ita quod causa est causa immediata talis effectus: aliàs enim licet per effectum ostendatur causa, tamen per causam non poterit ostendi talis effectus: nam effectus solum ostenditur propter quid per causam proximam & immediatam. Item docet fieri talem regressum conuertendo simpliciter maiorem prioris demonstrationis, ponendo minorem pro conclusione & conclusionem pro minori. Probatur ratione: quia si non admitteretur huiusmodi regressus, nulla esset scientia, quod est absurdum. Probatur sequela, Philosophi ex notioribus nobis deueniunt in cognitionem eorum, quæ sunt ignota nobis & nota naturâ; sed nobis notiora sunt effectus, & causæ sunt notæ naturâ, ergo si habitâ cognitione causarum solum per effectus, postea ex cognitione talium causarum non possent deuenire in cognitionem talium effectuum, nulla esset scientia: quia hæc est per causam cognoscere effectum: ergo habitâ cognitione effectus, licet nobis cognoscere ipsum effectum per causam; atque adeo datur regressus.

Dices, quando *primo* cognoscitur effectus, cognoscitur cum ordine ad suam causam: quia cum ordine ad quem habet entitatem, habet etiam cognoscibilitatem, ergo superflua est secunda demonstratio: Resp. in prima demonstratione cognosci effectum confuse: quia solum cognoscimus effectum inesse tali subiecto per experientiam, sed non cognoscimus causam eius distincte; Postea vero per multiplicem collationem causæ ad illum effectum venimus in distinctam cognitionem causæ, quâ habita distincte cognoscimus effectum. Vnde cum solum confuse cognoscatur effectus, confuse etiam cognoscitur causa, atque adeo non superfluit secunda demonstra-

tio, per quam distinctè cognoscitur effectus.

Ex quo colligitur solutio ad argumenta, quæ obiici solent contra istam conclusionem : nam licet effectus in prima demonstratione sit notior causa notitia confusa, in secunda vero est ignotior notitia distincta, atque adeo idem est notius & ignotius in diuerso genere cognitionis, quod non implicat, de quo videndus noster Faber Theoremate 9. Logicæ.

Et hæc sufficiat disputasse circa præcepta Logicalia, deinceps vsque ad Philosophiam de ipsa Logica secundum se, de eius obiecto & de aliquibus proprietatibus nonnullaque alia per vnicam disputationem inquiremus.

DISPVTATIO V.

De natura & proprietatibus Logicæ.

1. PRÆSENS disputatio in rei veritate non pertinet ad Dialecticum, sed ad Metaphysicum, cuius est omnium scientiarum & principia ostendere & obiecta præscribere. Quare non debet appellari formaliter Logicalis, bene tamen obiectiue, eo quod materia seu obiectum circa quod versatur, sit ipsa Logica secundum se. Sed quia doctrina generalis pro obiectis & proprietatibus omnium scientiarum assignari quasi obiter possit, dum de aliqua assignandi occurrat opportuna occasio, & hîc de natura & proprietatibus facultatis, quam tradidimus, non incongruenter quasi actu reflexo inquirere possimus, ideo libuit eam præmittere ante Physicam.

QVÆSTIO I.

Vtrum Logica sit Scientia?

2. QVæstio ex Aristotele 7. Metaphysic. ad finem est dubitabilis propositio, quæ aliud quærit & aliud supponit. Supponitur ergo in præsenti, dari Logicam in rerum natura, & de ipsa quærimus vtrum sit scientia? Et notandum quod Logica est quædam ratiocinandi & discurrendi facultas. Et diuiditur in naturalem & artificialem, naturalis est quoddam lumen intellectus, quo etiam rustici homines discursus aliquos quamuis imperfectos efficiunt: ex eo enim quod Petrus currit, quilibet intellectus discurrit, illum moueri. Artificialis est quidam habitus intellectualis inuentione & labore adquisitus, quo iudicat intellectus de rectitudine cuiuslibet ratiocinationis seu discursus. De hac solum quæritur vtrum sit scientia? (naturalis enim non potest esse scientia : cum sit realiter ipsemet intellectus, atque adeo non scientia, quæ est habitus adquisitus realiter distinctus ab intellectu.)

3. Logica artificialis diuiditur à Scoto q. 1. *vniuersal.* in docentem & vtentem. Pro cuius diuisionis intelligentia notandum, Logicam docentem esse quemdam specialem habitum intellectualem aptum facilitare intellectum in ordine ad considerandam naturam sui obiecti, eiusque passiones demonstrandum; cuius actus erit actualis consideratio seu contemplatio obiecti; Logicam vero vtentem esse similiter

similiter habitum intellectualem facilitantem intellectum in ordine ad fabricandum suum obiectum, sibique & aliis scientiis applicandum, cuius actus erit actualis fabricatio seu actualis vsus & applicatio.

Est autem Logica docens & vtens vnus & idem realiter habitus, & ad summum solum formaliter distinguuntur. Hæc posterior pars colligitur ex Scoto loco citato, vbi vtramque Logicam distinguit penes diuersa munera seu officia, quod & patet ex Notabili antecedenti, & luculentius constabit in Metaphysica, vbi de ratione huiusmodi distinctionis disputabimus ex professo. Prior vero pars est communis in via Scoti & inter Thomistas, quæ sic potest probari: Non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed superfluit habitus Logicæ Vtentis distinctus realiter à Docente, ergo non est ponendus. Probatur mi. habitus tribuitur potentiæ ad tollendam eius difficultatem in operando; sed posito habitu Logicæ Docentis facilitante intellectum in ordine ad contemplandam naturam sui obiecti, nulla superest difficultas ad fabricandum ipsum & aliis scientiis applicandum, ergo non est ponendus nouus habitus distinctus à Logica Docente: mi. patet experientia: nam sciens quo modo aliquid sit faciendum, statim prorumpere potest in actum, & operari potest cognitionem, quam de re operabili habet absque noua difficultate: Præcipue quando ad eandem potentiam pertinet & facere & cognoscere, ob quod noua difficultas, quæ vinci debeat, excogitari non potest, ergo idem contingit in proposito.

Quod si obiicias, posse aliquem optime cognoscere quo modo syllogismus sit conficiendus in aliquo modo in *Felapton* verb. gr. & tamen habere difficultatem eum faciendi: vt patet experientia in tyronibus, ergo, &c. Respond. Neg. anteced. nec experientia vlla tyronum hoc probari potest, qui, si cognito quo modo syllogismus sit faciendus, sentiant difficultatem in eo conficiendo, id oritur ex eo quod non cognoscant materiam in qua volunt syllogismum conficere; vel etiam ex eo quod non perfecte cognoscant quomodo syllogismus sit conficiendus: quia quamuis sciant bene regulam memoriter, tamen sæpe non bene illam intelligunt, vt non mirum sit, difficultatem sentire in ea applicanda.

Obiicies 2. Non augeri habitum Logicæ docentis per actus Logicæ Vtentis, ergo non est idem habitus, consequentia patet quia si esset idem habitus deberet augeri: cum habitus omnis per suos actus augeatur: antecedens constat etiam experientia: quia ex frequenti confectione syllogismi in *Darij* verb. grat. non magis facilitatur quis ad cognoscendum, quo modo debet fieri, quam si non tam frequenter conficeret ipsum, ergo, &c. Respond. conces. anteced. neg. conseq. cum sua probatione: quia non debet habitus augeri per actus alios, quam per illos, qui elicitiue procedunt ab ipso, confectio autem syllogismi non fit ab habitu Logicæ Docentis elicitiue, sed regulatiue & directiue, vnde nec debet augeri per istum actum confectionis. Est autem aduertendum augeri quidem habitum Logicæ Docentis, quoties conficitur syllogismus, licet non per ipsam confectionem, per actum tamen considerationis & contemplationis ipsius Logicæ docentis, qui simul habetur cum ista confectione, quoties confectio fit artificialiter.

Et

Et si inquiras *à quo proueniat ista confectio syllogismi elicitiue*? Resp. quod ab habitu illius materiæ in qua fit syllogismus, ab habitu Physicæ si in Physica, Metaphysicæ si in Metaphysica; Tuncque vere dici quod Logica vtens (idest Physica vtens logica ponendo ly *logicâ* in ablatiuo) & Logica docens sint duo habitus realiter distincti, non tamen intelligendo Logica vtens & docens, ita vt eiusdem facultatis Logicæ sint isti duo habitus in quo sensu est controuersia.

4. Obiicies. 3. Actus Logicæ docentis & vtentis sunt distinctæ rationis, ergo habitus à quo procedit vnus non est idem realiter cum habitu à quo procedit alter: quia habitus specificantur ab actibus: hoc est ex diuersitate specifica actuum colligitur diuersitas specifica habituum: Resp. neg. conseq. nam actus diuersi prouenire possunt ab eodem habitu: præsertim quando vnus eorum procedit elicitiue, alter vero directiue, vt in proposito: Et est exemplum in actibus omnium virtutum moralium, qui diuersi sunt ab actibus prudentiæ & tamen tam illi quam isti procedunt ab eodem habitu prudentiæ, illi directiue, isti vero elicitiue.

Quod si vlterius dicas, posse aliquem considerare & perfecte contemplari naturam syllogismi, quin cum actu conficiat, ergo distinguuntur realiter Logicæ docens & vtens: Resp. argumentum recte conuincere de actibus vtriusque Logica, quos verum est distingui realiter: vt constat ex separabilitate eorum, in quo immerito discessit à communi sententia Martinez Complutensis. q. 2. proæmial. asserens esse eumdem realiter actum vtriusque Logicæ. His præmissis.

5. Sit nostra conclusio *Logica vt docens est, formaliter est scientia, non vt vtens.* Est communis quoad vtramque partem. Et habetur expresse apud Scot. q. 1. vniuers. §. *dicendum quod Logica est scientia.* Et intelligenda est de scientia non in latiori significatione vsurpata in qua eam descripsit Aristoteles 6. Ethicor. cap. 3. dicens, esse *quâ anima affirmando vel negando dicit verum.* sub qua comprehenditur tam opinio, quam fides & reliqui habitus intellectuales continentes veritatem, de quibus in libris de anima; sed intelligenda est de scientia in strictiori significatione, quam definiuit Aristot. 1. posterior. cap. 2. & Scotus 1. prior. q. 1. n. 7. vbi dicit, quod scientia, *Est notitia necessaria veri dubitabilis nata fieri euidens per præmissas in forma syllogistica applicatas.* Per particulam *necessaria* differt scientia à notitiis falsis v. g. ab habitu erroris, imo & à veris contingentibus, & sic differt ab arte & prudentia, quæ circa contingentia versantur, item & ab opinione, quæ non circa rem necessariam, & certã sed circa dubiam versatur. Per ly *veri dubitabilis* differt ab habitu qui dicitur *intellectus* seu primorum principiorum, quæ à cognoscentibus *quid nominis* non possunt dubitari. Ponitur *nata fieri euidens:* quia non oportet quod de facto sit euidens per præmissas: potest enim esse euidens per experientiam. v g. ista conclusio *luna est eclipsabilis* potest esse euidens per experientiam; quæ tamen est demonstrabilis per præmissas. Vnde ponitur *per præmissas in forma syllogistica applicatas*: quia si solum sit euidens per experientiam alicui, qui nescit ipsam demonstrare per præmissas, respectu illius talis notitia non erit scientia.

In præfata definitione tam scientia actualis quam habitualis definitur. Actualis est cognitio, quâ quis actualiter assentitur conclusioni habenti condi

conditiones requisitas in definitione. Habitualis est quædam qualitas permanens derelicta in intellectu ex frequentatione scientiæ actualis, facilitans ipsummet intellectum ad similem sciétiam actualem eliciendam. Verùm conclusio non est de scientia actuali, sicut neque de Logica actuali: vtraque enim si proprie loquamur non nisi pro habitu accipitur: quia assensus proprie non est scientia, sed actus & exercitium scientiæ, vnde quando asserimus Logicam esse scientiam, sermo est de Logica habituali & de scientia habituali. His prænotatis,

Probatur conclusio quoad priorem partem: scientia est effectus demonstrationis ex 1. posterior. cap. 2. sed in Logica docente multa demonstratiue concluduntur, ergo Logica docens est scientia. Probatur mi. Logica probat ex principiis euidentibus per euidentem consequentiam proprietates suorum obiectorum, ergo &c. patet antecedens: quia Logica probat definitionem debere esse clariorem definito, quia definitio est manifestatio definiti; omnis autem manifestatio debet esse clarior re manifestatâ, qui discursus est euidens & constans præmissis euidentibus. Item probat principia debere esse certiora conclusione per illud principium: *Propter quod vnumquodque tale & illud magis*. Et idem est in pluribus aliis conclusionibus logicalibus: vt quando de demonstratione euidenter ostenditur debere constare ex propositionibus *per se* & vniuersalibus: vt patet ex Aristot. 1. posterior. cap. 6. Item de eadem ostendit generare scientiam, de syllogismo probabili generare opinionem, de fallaci errorem &c.

6. Posterior pars conclusionis probatur 1. Actus scientificus est assensus conclusionis demonstratæ per causas; sed actus Logicæ vtentis formaliter vt vtens est, consideratæ non est assensus conclusionis demonstratæ (hæc enim est actus illius scientiæ quæ vtitur ipsâ Logicâ vtenti ad suas conclusiones eliciendas) sed potius est actualis constructio demonstrationis aut alterius modi sciendi, ergo actus Logicæ vtentis formaliter consideratæ, vt vtens est, non est scientificus, & consequenter nec ipsa Logica vtens formaliter vt vtens, est proprie & stricte scientia. Probatur 2. Ille habitus est scientia qui facilitat intellectum in ordine ad cognoscendam rem demonstratiue & per causam; sed Logica vtens, formaliter vt talis, non facilitat ad cognoscendum v. g. syllogismum, sed potius ad illum construendum in hac vel illa materia, ergo talis habitus formaliter vt vtens non est scientia.

Obiicies 1. ex Aristot. 1. Metaph. tex. 15. *absurdum est simul quærere scientiam & modum sciendi*, vbi à commentatore per *modum sciendi* intelligitur Logica; sed modus sciendi non est scientia, sicut modus videndi non est visus, ergo Logica non est scientia. Et vrgetur argumentum: quia scientia acquiri nequit sine aliquo modo sciendi, ergo vel hic modus sciendi est scientia vel non. Si non est scientia, conuincit argumentum; si est, ergo debet acquiri per alium modum sciendi, & sic procedetur in infinitum. R. Aristot. solum iudicasse absurdum, quærere simul scientiam & modum sciendi pro eâ ipsâ scientiâ, vnde absurdum erit quærere simul Logicam & alias scientias, ad quas ipsa est modus sciendi; non tamen simul quærere modum sciendi & scientiam, quæ in ipso imbibitur, & cuius obiectum est modus sciendi. Ad confirmationem dico, non esse simpliciter necessarium ante omnem scientiam præmitti modum sciendi: potest enim intellectus

vi natiua acquirere ſcientias ſine aliquo modo ſciendi præuio & ſi difficilius, quàm cum illo. Quare Logica difficilior eſt cognitu aliis ſcientiis: quia ipſi nulla alia, ipſa vero omnibus præſtat inſtrumentum ſciendi.

Obiicies 2. Ariſt. 6. Metaph. tex. 2. diuidentem ſcientiam in mathematicam, naturalem & diuinam ſeu Metaphyſicam, ſub quarum nulla continetur Logica, ergo ex Ariſt. non eſt ſcientia: ℞. ex Scoto ſupra, Ariſtot. ibi ſolum diuiſiſſe ſcientias reales, & ideo non feciſſe mentionem Logicæ, quæ in aliquo ſenſu non eſt proprie ſcientia realis, ſed rationalis: licet enim intrinſece ſit habitus realis ſicut reliquæ ſcientiæ; extrinſecè tamen & denominatione extrinſeca participatâ ab obiecto, à quo ſpecificatur extrinſece, eſt ſcientia rationalis, cum obiectum eius vt videbimus quæſt. ſeq. ſit aliquod ens rationis; ſeu potius quia modum ratiocinandi ſeu diſcurrendi tradit.

7. Obiicies 3. Logicæ non conueniunt conditiones ad ſcientiam ſtricte ſumptam in ſuperiori definitione aſſignatæ, ergo non eſt ſcientia, probatur anteced. *Primo* quia in Topicis & Elenchis diſſerit de ſyllogiſmo probabili & ſophiſtico, qui generant opinionem & errorem, non vero notitiam certam & neceſſariam, qualis debet eſſe ſcientia. Item quia verſatur circa obiectum contingens, qualis eſt ſyllogiſmus dependens ab operatione noſtri intellectus. *Secundo* probatur quia Logica nō eſt notitia acquiſita per demonſtrationem & diſcurſum: patet quia cum ipſa tradat regulas demonſtrationis, daretur ſcientia de demonſtratione ante ſcientiam docentem demonſtrationem, quod implicat: ℞. neg. anteced. ad primam probationem, petat ex probatione concluſionis: Logica enim diſputat de ſyllogiſmis topicis & ſophiſticis, non topice & ſophiſtice, ſed ſcientifice & demonſtratiue oſtendit vnum generare opinionem, alterum generare errorem; imo licet dentur in Logica aliquæ concluſiones non ſcientificæ & euidentes, ſed ſolum probabiles, adhuc eſt ſcientia: cum nec reliquæ ſcientiæ, quibus ipſa deſeruit, habeant omnes concluſiones ſcientificas. Sufficit ergo ad rationem ſcientiæ vel quod ille habitus principalis, in ordine ad quem cæteri partiales ſcientifici dicuntur, habeat rationem ſcientiæ; vel ſaltem quod ex modo procedendi & quantum eſt ex ſe conetur ſeu intendat demonſtrare, & quoad multas partes de facto ſcientifice procedat.

Ad alterum dico, Logicam agere de ſyllogiſmo & aliis modis ſciendi non quoad exiſtentiam, ſecundum quam ſunt contingentes ſed quoad prædicata eſſentialia & proprias paſſiones, ex quibus ſuo modo fiunt prædicationes neceſſariæ & æternæ veritatis. Ad *ſecundum* neg. anteced. Ad cuius probationem dico, quòd etiamſi Logica doceat demonſtrationem & diſcurſum ſyllogiſticum fabricare, tamen ad cognoſcendam eius fabricam, imo & efficaciam ipſius in concludendo, non eſt opus aliâ priori Logica, quæ ſit propriè & ſtricte ſcientia, ſed ſufficit Logica naturalis, adiuncta Logica artificiali imperfecta, quæ non eſt ſcientia, quia non per demonſtrationem acquiſita, ſed per meram cognitionem præceptorum Logicalium.

Argues 4. Logica docens & vtens ſunt idem realiter habitus, ſed docens eſt ſcientia, ergo & vtens: probatur quia alias eſſe ſcientiam & non eſſe ſcientiam, quæ ſunt contradictoria, verificarentur de eodem, quod implicat: ℞. competere eidem habitui Logicæ

gicæ producere diuersos actus, quorum vnus scientificus, alter vero non est scientificus, respectu quorum dicitur esse scientia & non esse scientia, quæ non sunt contradictoria: cum conueniant ipsi secundum diuersas rationes idest secundum diuersos actus.

QVÆSTIO II.

Quodnam sit obiectum seu subiectum Logicæ?

8. NOta, vtrumque poni in titulo Quæstionis *obiectum* scilicet & *subiectum*: quia licet in rei veritate obiectum latius pateat quam subiectum, quantum ad præsens tamen ex Scoto variis in locis pro eodem accipiuntur. Obiectum ergo seu subiectum scientiæ est materia seu res circa quam versatur. Quia vero de eadem materia plures scientiæ agere possunt, sub diuersa tamen ratione: v. g. Physica agit de homine, quatenus mobilis seu naturalis est, Metaphysica quatenus est ens, Medicina quatenus sanabilis est, & Logica de eodem homine v. g. quatenus fundat secundas intentiones, (per secundam intentionem intellige quemdam respectum rationis rebus conuenientem, non à parte rei, sed vt sunt obiectiue in intellectu v. g. quando in propositione aliquâ homo subiicitur animali, tunc in istis rebus resultant quidam respectus rationis, per quos dicuntur subiectum & prædicatum; & in animali quando comparatur ad hominem & brutum resultat secunda intentio, per quam dicitur genus) Hinc duplex assignari debet obiectum materiale scilicet & formale: formale quod communiter dicitur obiectum *quo*, est illa ratio secundum quam aut sub qua res in scientia consideratur: vt v.g. mobilitas sub qua consideratur corpus à Physico, secunda intentio sub qua consideratur à Logico & sic in reliquis. Obiectum materiale est res illa quæ sub istis considerationibus consideratur à scientia: Est etiam aduertendum quod si aliqua scientia agat de aliquo ente, de quo altera non agit, tunc idem secundum eamdem omnino rationem formalem seu secundum eamdem formalitatem obiectiuam, erit obiectum materiale & formale, materiale quidem quatenus scientia tendit in ipsum, formale vero quatenus per ordinem ad ipsum potest colligi distinctio istius scientiæ ab aliis scientiis: Quod communiter tenetur de ente respectu Metaphysicæ, cuius obiectum tam materiale quam formale dicemus esse ens vt ens.

Notandum 2. Obiectum cuiuslibet scientiæ totalis triplex assignari communiter, adæquatum scilicet, partiale & principale: adæquatum est illud quod nec scientiam excedit neque ab ipsa exceditur: idest cuius essentia & ratio ita explicatur à scientia, vt nihil sit in ipsa quod scientiam subterfugiat, & nihil tractetur in scientia nisi in ordine ad illud. Vnde appellatur à Scoto 1. prior. q. 2. subiectum attributionis, ad quod scilicet omnia quæ tractantur in scientia attribuuntur & ordinantur. Partiale est quod scientiam non adæquat, idest quod exceditur à scientia. Principale est quod ex omnibus obiectis partialibus est præstantissimum.

9. Notandum 3. tres conditiones requiri à Scoto & communiter ad rationem obiecti adæquati seu attributionis alicuius scientiæ. Prima est quod de ipso præsupponatur notū, *quod est & quid est*, id est quidditatiua eius definitio: nam cum in scientia demonstrentur

passiones de subiecto, & in demonstrationibus definitio subiecti sit medium, per quod passiones demonstrantur, opus est præcognosci talem definitionem. Secunda est quod habeat proprias passiones, quæ per definitionem demonstrentur: nihil enim principalius acquiritur per scientiam, nisi cognitio certa inhærentiæ passionis cum subiecto. Quod quidem intelligendum est de scientia, quæ est à priori: nam si sit à posteriori, potius principia & definitio probari & colligi deberent per proprietates. Hæ duæ conditiones æque debent conuenire cuilibet obiecto partiali & inadæquato, de quo habetur scientia. Tertia conditio (Quæ & denotatur per nomen *attributionis*) est, quod ad ipsum omnia alia in scientia determinata reducantur, & propter ipsum considerentur. Quas conditiones satis compendiose assignauit Scotus q. 3. prologi, & q. 2. laterali §. *de secundo dico.* vbi obiectum adæquatum scientiæ sic definit: *Ratio primi subiecti est continere in se primo virtualiter omnes veritates illius habitus, cuius est subiectum.* Quæ definitio à pluribus etiam Thomistis non immerito recipitur. Est nihilominus sic explicanda: quod tale obiectum contineat omnes illas veritates vel virtualiter vel etiam attributiue: id est quod ipsum & secundum se & secundum omnia obiecta attributa ad ipsum contineat omnes illas veritates. Neque enim secundum se solum debet illas continere ita virtualiter, vt se solo tanquam medio posset omnes illas causare: Impossibile enim est quod ens vt sic, quod communiter ponitur obiectum adæquatum Metaphysicæ contineat sic se solo omnes veritates metaphysicas. Sufficit ergo quod aliquas virtualiter, alias vero attributiue.

Quid sit obiectum materiale? Quid formale Logicæ?

10. Prima conclusio, *obiectum materiale Logicæ sunt res vt obiectiue sunt in intellectu.* Per *res* intellige ea omnia quæ sunt obiecta actuum intellectus, & consequenter ipsos etiam actus seu operationes intellectus, quatenus & ipsæ reflexè cognosci possunt. Est communis & probatur: Illud est obiectum materiale Logicæ, quod immediate denominatur ab obiecto formali einsdem; sed tam res vt sunt obiectiue in intellectu, quam ipsæmet operationes intellectus denominantur ab obiecto formali Logicæ, ergo vtrisque competit ratio obiecti materialis: probatur mi. quoad primam partem. Secundæ intentiones generis, speciei, subiecti, prædicati &c. (vt inferius dicemus) sunt obiecta formalia partialia Logicæ; sed hæ prædicantur de ipsis rebus, vt sunt obiectiue in intellectu, easque denominant: natura enim hominis vt obiectiue est in intellectu inspecta in ordine ad sua inferiora, dicitur species respectu eorum, sicut natura animalis dicitur genus: similiter homo dicitur definitum in illa oratione: *Homo est animal rationale*, ergo omnia ista vt obiectiue sunt in intellectu, sunt obiecta materialia Logicæ. Probatur mi. quoad secundam partem: secundæ intentiones definitionis, diuisionis, syllogismi &c. sunt obiecta formalia Logicæ; sed hæ secundæ intentiones denominant operationes intellectus & de ipsis prædicantur: nam verum est dicere, quod ipsa oratio mentalis quâ dico, quod homo est animal rationale, sit definitio; Et quando formo tres propositiones in mente secundum debitum modum & figuram, verum est dicere quod illæ tres propositiones sint syllogismus, ergo orationes mentales quæ sunt operationes

operationes intellectus sunt obiecta materialia Logicæ.

11. Secunda conclusio, *obiectum formale Logicæ, seu ratio ipsa sub quâ Logica considerat tam res quam conceptus seu actus intellectus vt reflexe cognitos, est ens rationis Logicum seu secunda intentio.* Conclusio sequitur ex principiis Scoti. Est recepta in eius schola & communis apud Thomistas. Contra PP. Iesuitas communiter. Colligitur ex doctrina Aristotelis 4. Metaph. text. 5. cuius meminit Scotus q. 3. vniuers. num. 6. & ex professo tractat. q. 1. Elenchor. num. 2. vbi postquam explicat, quo modo Logica sicut Metaphysica versatur circa omne ens, sic ait: *Logica est de huiusmodi intentionibus* (scilicet secundis: *generis, speciei, definiti &c.*) *quæ applicabiles sunt omnibus rebus.* Ex hoc probatur 1. ratione quasi à priori: Consideratio Logicæ se extendit ad omne ens reale sicut Metaphysica, ergo Logica sub aliqua ratione communi, quæ in omni ente reali reperiri possit, considerat sua obiecta; sed duo sunt tantum genera prædicatorum seu rationum, quæ in omni ente reali reperiuntur, videlicet conuenientium rebus à parte rei, & conuenientium per operationem nostri intellectus, ergo sub aliquo ex his considerat sua obiecta; sed primum pertinet ad Metaphysicam, ergo hoc secundum ad Logicam, & consequenter Logica considerat res seu obiecta sub ratione illis conueniente per operationem intellectus: vnde obiectum formale ipsius, quod est ratio *sub qua*, est ens rationis seu secunda intentio.

Probatur 2. à posteriori: Logica (vt diximus) dicitur scientia rationalis, per quod distinguitur ab aliis scientiis; sed non dicitur talis, quia sit ens rationis, cum sit qualitas realis sicut reliquæ scientiæ; nec etiam quia dirigit rationem seu intellectum, hoc enim commune est omni scientiæ; nec denique quia habet pro obiecto actus rationis, alias scientia de anima, quæ etiam agit de operationibus intellectus, non realis sed rationalis diceretur: ergo ideo dicitur rationalis ad distinctionem aliarum scientiarum, quia obiectum eius est ens rationis, seu potius quia docet modum ratiocinandi & disserendi, quod non aliter fit quam applicando secundas intentiones primis, sicque conficiendo suos modos & instrumenta sciendi, quæ formaliter sumpta entia rationis sunt. Nec quantum ad punctum præsentis difficultatis est nobis oppositus noster Pontius disp. 2. q. 5. quia conclusione secunda asserit obiecta Logicæ formaliter sumpta dicere talem dispositionem v. g. syllogismum dispositionem trium terminorum in tres propositiones sic concludentium &c. nam hoc idem nos asserimus, excepto quod hanc dispositionem & quamcumque aliam denominationem instrumenti alterius Logici dicimus esse ens rationis, ipse vero negat. Nec ad hæc conficienda opus est fictione intellectus, vt ipse ibidem falso supponit in nostram sententiam. Quorum decisionem ex professo trademus in Metaphysica disp. vltima, de ente rationis.

Doctores communiter tribuunt Nominalibus opinionem asserentem, solas voces esse obiectum formale Logicæ, quasi sit talis facultas, quæ per se agit de vocibus. Quam sententiam vno verbo reiicies: Nam quamtumuis voces non essent in rerum natura, animæ separatæ & Angeli possent syllogizare, & alia instrumenta

Logicalia fabricare, ergo voces non sunt obiectum per se Logicæ: patet consequentia: nam scientia nequit esse sine suo per se obiecto. Quare Logica non nisi per accidens tractat de vocibus, quatenus scilicet sunt signa rerum iuxta illud Aristot. 1. Elenchor. c.1. Cum res ad scholas adducere non possumus, vtimur vocibus pro rebus.

12. Nostræ conclusioni contraria sententia & his temporibus apud PP. Iesuitas maxime vsitata sustinet obiectum formale Logicæ esse ens reale: videlicet operationes intellectus, vel vt dirigibiles sunt, vt per ipsas modi sciendi & alia huiusmodi instrumenta construantur in modo & figura debita secundum aliquos; vel secundum alios vt actualiter dispositas & ordinatas in eodem modo & figura. Quam similiter reiicies 1. quia ista dirigibilitas seu capacitas ad dirigi vel est naturalis ipsis operationibus, vel obedientialis? si primum, fateor talem aptitudinem esse entitatem realem: est enim passio entis realis, sed in hoc sensu non spectat eius consideratio ad Logicam, sed ad libros de anima, qui tam de natura operationum quam de ipsarum proprietatibus disputat. Si secundum dicatur, contra: potentia obedientialis non est realis, quando forma ad quam est potentia non est realis; sed dispositio aut ordinatio secundum quam possunt dirigi ipsæ operationes, non est forma realis, vt statim dicemus, ergo neque ipsa potentia, atque adeo operationes intellectus vt dirigibiles sunt in tali modo & figura non dicunt aliquid reale: secundo reiicitur, quia illa actualis directio & dispositio (quæ causaliter instrumentaliter est in ipsis operationibus, formaliter vero in obiectis ipsarum) solum habet esse ab intellectu, estque quædam denominatio extrinseca proueniens à solo intellectu sic vel sic dirigente aut disponente, ergo vt actualiter dispositæ neque dicunt aliquid reale.

13. Dices cum Arriaga disp. 2. num. 12. Logicum in definitione, diuisione & aliis modis sciendi considerare per se & directe operationes seu actus definiendi & diuidendi, non vero denominationes definiti & diuisi, quæ resultant in obiectis. Probatur antecedens. Si Logicus semel cognoscat definitionem rei, licet non cognoscat (per possibile vel impossibile) inde resultare in rebus denominationem definiti aut diuisi, imo etiamsi ignoret quid sit illa denominatio, adhuc obtinuit suum finem, qui est tradere modum definiendi &c. ℞. Logicum respicere operationes intellectus vt per ipsas debite dispositas conficiantur instrumenta sciendi, quibus ipsa & reliquæ scientiæ cognoscant res & obiecta, vnde per accidens se habet ad Logicum consideratio operationum intellectus, potius ergo ipsæ res & obiecta propter quæ cognoscenda diriguntur actus intellectus, erunt obiecta Logicæ: Ad probationem antecedentis dico, quòd licet non spectet per se ad Logicum cognoscere illam denominationem secundum rationem genericam, nec inuestigare quid illa sit, pertinet tamen cognoscere tanquam aliquam specialem rationem sub qua attingit sua obiecta materialia; atque adeo ipsæ denominationes extrinsecæ (licet non cognitæ sub ea ratione, sub qua inuestigantur à Metaphysico) *definiti*, *syllogismi*, *subiecti*, *prædicati* &c. quæ sunt secundæ intentiones Logicæ, erunt ratio *sub qua* seu formale obiectum Logicæ. Quæ quidem sunt entia rationis, licet non attingantur à Logico secundum quod talia sunt, nec ad ipsum spectet inuestigare,

uestigare, quid ens rationis sit? seu qualiter huiusmodi denominationibus ratio entis rationis competat.

Quodnam sit obiectum attributionis Logicæ.

14. Tertia conclusio, *Obiectum formale primarium & adæquatum attributionis totius Logicæ est syllogismus in communi.* ita Scotus quæst. 3. vniuers. per totam. Probat Doctor quia conditiones supra assignatæ ad rationem obiecti adæquati attributionis reperiuntur in syllogismo in communi respectu Logicæ, ergo est eius obiectum. Probatur antecedens: habet primam quia ab Aristot. 1. prior. assignatur eius definitio; habet etiam secundam: sunt enim in Logica multæ passiones syllogismi per eius definitionem demonstratæ: vt v. g. constare solum tribus terminis, concludere vniuersaliter, vtraque præmissâ existente vniuersali, concludere particulariter & negatiue existente aliqua præmissarum particulari vel negatiua &c. Item habet tertiam: omnia enim quæ tractantur in Logica vel sunt partes integrales syllogismi remotæ vel proximæ videlicet termini vel propositiones de quibus in libris Prædicamentorum & Perihermenias, vel sunt proprietates eius & de his in libr. Prior. vel denique sunt partes subiectiuæ & de his in libr. Topicor.& Elenchor. Itaque omnia quæ tractantur in Logica reducuntur ad syllogismum vel tanquam pars essentialis aut integralis, aut tanquam proprietas, aut accidens vel ipsiusmet vel alicuius ex ipsius partibus aut speciebus. Vnde merito assignatur eius obiectum adæquatum seu attributionis. Hæc conclusio est contra Hurtadum & Arriagam assignantes pro obiecto adæquato Logicæ demonstrationem; & contra nostrum Poncium & alios Scotistas asserentes esse modum sciendi. Pro quibus.

15. Obiicies 1. authoritatem Scoti 1. prior. quæst. 2. asserentis *syllogismum non esse obiectum totius Logicæ, sed instrumentum sciendi esse obiectum in tota Logica.* Non inficior hanc authoritatem mouisse satis doctos Scotistas ad apponendam diuisionem obiecti Logicæ provt ab Aristot. traditæ, & Logicæ provt nunc exstat, pro priori assignant syllogismum in communi, pro posteriori vero modum sciendi provt comprehendit definitionem, diuisionem, & argumentationem, vnde videtur ipsis sufficienter explicatum Scotum quoad apparentem contradictionem: sic Merinerus, Rodriguez, Mastrius & Poncius hic num. 21. qui eos ibidem citat: Sed ℞. ad primam partem authoritatis, *syllogismus non est obiectum totius Logicæ*, amplius requiri à Scoto ad subiectum libri Prior. de quo erat Quæstio quam ad subiectum totius Logicæ: patet hæc expositio ex conditionibus ab eo requisitis ad subiectum hic & ibi: præcipue ex 4. & 6. vbi dicit, quod *per tale subiectum possit conuenienter responderi ad Quæstionem quærentem: de quo determinetur in illa scientia.* Requirit ergo Scotus ad subiectum libri prior. quod non solum attributiue & potentialiter, vt requirebat ad subiectum Logicæ, sed etiam primo virtualiter contineat omnes veritates illius habitus, cuius est subiectum; in quo sensu certum est syllogismum in communi non esse obiectum totius Logicæ, est tamen obiectum attributionis (de quo procedit nostra conclusio:) cum habeat conditiones ad tale subiectum requisitas ab eodem Scoto.

Roboratur nostra expositio ex responsione ad quoddam argumentum, quod facit contra se ipse doctor q. 3. vniuersal.

vniuersal. Arguit sic, nihil est subiectum totius & partis; syllogismus est obiectum libri. Prior ergo non totius Logicæ: Respondet expressis verbis: *Dico quod syllogismus quoad proprietates formaliter ipsum consequentes* (quas scilicet primo virtualiter continet) *est subiectum libri Priorum*; *est autem subiectum totius Logicæ quoad omnes passiones in se vel in suis partibus integralibus & subiectiuis vel reducibilibus ad ipsum.* Et ponit exemplum de corpore naturali, quod ideo est subiectum Philosophiæ naturalis, quia omnia quæ tractantur in ea, cognoscuntur in ordine ad ipsum.

Ad secundam partem authoritatis *Instrumentum sciendi est subiectum in tota Logica*: dico per *instrumentum sciendi* intelligi argumentationem, quam paulo inferius dicit Scotus *esse subiectum in libro Prior. non simpliciter, sed quantum ad proprietates communes, quæ se tenent ex parte necessariæ illationis.* Cum autem argumentatio ex eodem Scoto q. 3. vniuers. num. 6. sit analogum, quod dicit de argumentatione, verificari debet de principali analogato, qui est syllogismus. Et quod hæc expositio sit ad mentem Doctoris patet: nam ibidem n. 8. considerat argumentationem in ordine ad omnes partes Logicæ: & ex his eligit & assignat eas, in ordine ad quas est subiectum in libro Prior. in quo satis consequenter loquitur ad ea, quæ dixerat in responsione ad argumentum citatum, vbi de syllogismo in communi loquebatur.

Dices, ex hac expositione sequitur quod posterior pars authoritatis sit contradictoria prioris. Probatur: Per te, Scotus pro eodem vsurpat instrumentum sciendi ac syllogismum; sed in priori parte authoritatis negat esse obiectum Logicæ, & in posteriori affirmat, ergo posterior est contradictoria prioris. Resp. neg. anteced. quia in ampliori significatione sumit Scotus syllogismum quando appellat ipsum instrumentum sciendi, ac quando appellat syllogismum. In priori parte sumit ipsum in quantum propriæ passiones, quæ de illo demonstrantur in libris prior. ipsum formaliter consequuntur; in posteriori verò quando appellat ipsum instrumentum sciendi, sumit illum prout est quid commune communitate attributionis ad omnia quæ tractantur in Logica: propterea in priori parte authoritatis dicit esse obiectum libr. prior. præcise & non totius Logicæ: in posteriori vero quod sit obiectum in tota Logica. Quod perspicuè constat (meo iudicio) ex eo quod vtrobique vtatur Scotus hoc modo loquendi: *sit prima conclusio quod iste terminus syllogismus. Secunda conclusio, quod iste terminus instrumentum sciendi,* vbi de ipsis loquitur quasi præscindendo significationes diuersas importatas per terminos diuersos.

16. Obiicies 2. cum Arriaga, illud quod est magis commune quàm species potest & debet reduci ad illas species: quandoquidem perfecta cognitio specierum nequit haberi sine ipsius cognitione; sed syllogismus vt sic, est genus & quid commune ad demonstrationē, ergo potius hæc, & non ille, assignanda est obiectum attributionis. ℞. dist. ma. debet reduci ad species quatenus est pars specierum & cognitio ipsius ad cognitionem specierum requiritur, conced. ma. debet reduci ad vllam ex ipsis tanquam ad obiectum attributionis, ad quod tam ipsum quam cætera obiecta partialia scientiæ reducuntur neg. ma. Quod dico propter respectum generis ad species, quem dicit syllogismus in communi ad syllogismum factum in *Barbara* & in *Celarent*

larent & aliis modis diuersis; Nec opus est ad obiectum attributionis, quod cognitio aliorum omnium sit necessaria ad cognitionem ipsius aut ipsius ad aliorum, sed quod cætera omnia spectent ad ipsum aliquo ex modis in probatione nostræ conclusionis assignatis.

Ad minorem nego suppositum: nam vt constat ex disp. præced. q. 2. licet syllogismus vt sic sit commune quid ad demonstrationem, non tamen communitate generis ad speciem, sed subiecti ad accidens, quo pacto potius ratio demonstrationis debet reduci ad syllogismum in communi, quàm è contra: vt constat ex vna ex conditionibus assignatis. Nec video quâ ratione possit noster Poncius aliquam ex his conditionibus (quas & ipse etiam assignat ib. n. 15.) applicare modo sciendi, vt assignetur obiectum attributionis: nam licet de omnibus contentis in Logica possit prædicari; est tamen hæc prædicatio tanquam conceptus eiusdem communissimi & transcendentalis; & ob ob eam rationem, ob quam ens mobile non ponitur ab ipsomet & à communi sententia obiectum attributionis Philosophiæ, ob eandem debet modo sciendi negari ratio talis obiecti respectu Logicæ; & assignari aliud quod tanquam genus respiciat aliqua, tanquam totum integrale alia, & denique tanquam subiectum alia, vt possint ipsi quadrare conditiones assignatæ; & hic est syllogismus in communi, vt constat ex nostro discursu in probatione conclusionis.

Obiicies 3. Logica agit de difinitione & diuisione, item de enthymemate & inductione, quæ non videntur posse reduci ad syllogismum, ergo, &c. Resp. Definitionem reduci ad syllogismum tanquam partem ipsius: est enim prima veritas & principium demonstrationis; diuisio etiam reducitur tanquam ancilla præcedens & præparans viam argumentationi: solemus enim præmittere aliquas diuisiones, vt argumenti efficacia magis appareat, itaque conducit ad ornatum & adiutorium externum; de enthymemate, inductione & exemplo aperte docet Aristot. 2. prior. transformari posse in aliquem syllogismum & ostendit quomodo ad aliquã trium figurarũ reducantur: etenim in enthymemate tacetur vna præmissa, quæ si explicite apponatur, erit syllogismus perfectus; Inductio vero reducitur sic: distributo vniuersali de quo aliquid concludere volumus, in sua singularia, ponatur postea ista distributio pro minori hoc modo: Petrus currit, Ioannes currit, Franciscus currit; sed omnis homo vel est Petrus, vel Ioannes vel Franciscus, ergo omnis homo currit; Item exemplum reducitur hoc modo: v. g. sit exemplum Petrus flendo sua peccata impetrauit veniam eorum, ergo & Paulus etiam flendo impetrabit, reducitur ad syllogismum explicando maiorem, quæ virtualiter est inclusa in hoc exemplo: scilicet quod euenit in Petro flente sua peccata, eueniet etiam in Paulo & in quocumque alio flente; sed Petrus impetrauit veniam; ergo & Paulus impetrabit.

17. Obiicies 4. Omnis scientia est per syllogismum, ergo si syllogismus in communi est obiectum Logicæ, datur de ipso scientia per alium syllogysmum; hoc est falsum, ergo & quod sit obiectum Logicæ Probatur falsitas consequentis, ille syllogismus per quem habetur scientia de syllogismo in communi, vel est notus vel ignotus? si ignotus nequit per ipsum haberi scientia; si notus, ergo per alium syllogismum, & tunc quæram de illo, vtrum sit notus? Ex quo sequitur processus in infinitum. Item si syllogismus per quem habetur scientia de syllogismo in com-

muni eſt notus, ergo etiam ſyllogiſmus in communi eſt notus : quia ad cognoſcendum ſyllogiſmum in particulari debet præcognoſci ſyllogiſmus in communi, & ſic idem ſyllogiſmus erit notus & ignotus, notus, vt ſupponitur, ignotus, quia de ipſo quærimus ſcientiam, quod implicat : Reſp. Conceſſo antec. & conſeq.neg. mi. ad cuius probationem dico ex Scoto q. 3. vniuerſ. ſyllogiſmum per quem habetur ſcientia de ſyllogiſmo in communi, eſſe notum ex ſe ipſo quoad aliquid : ſcilicet quoad veritatem præmiſſarum & euidentiam illationis : cum ſit ſyllogiſmus perfectus, qui ex Ariſtot. 1. priorum cap. 1. *nulla re indiget vt appareat neceſſarius*, vnde vitatur proceſſus in infinitum. Ad aliud inconueniens dico, ſyllogiſmum per quem habetur ſcientia de ſyllogiſmo in communi eſſe ignotum quoad paſſionem demonſtrabilem de ſyllogiſmo in communi & quoad hoc vtrumque eſſe ignotum ; habetur ergo ſcientia de ſyllogiſmo in communi quoad paſſionem per ſyllogiſmum particularem notum quoad euidentiam illationis, vnde manet quod ſit notus quoad vnum, & ignotus quoad aliud, quod non implicat.

Obiectum Principale.

18. Obiectum Principale Logicæ communiter aſſignatur demonſtratio : eſt enim perfectiſſimus modus ſciendi ex omnibus qui traduntur in Logica, & excellentiori modo reperitur in ipſo ratio inſtrumenti ſciendi : ſiquidem per ipſam acquiritur ſcientia perfectiſſima.

QVÆSTIO III.

Vtrum Logica ſit vna ſcientia? Et quo modo?

Reiectâ Nominalium ſententia (quam eis tribuit Sotus apud Suarez diſput. 44. Metaph. ſect. 11.) aſſerentium tot eſſe Logicas & Philoſophias, quot concluſiones in ipſis demonſtratas, tanquam commune & certum apud Philoſophos ſupponendum eſt Logicam eſſe vnam ſcientiam. Circa cuius vnitatem in duplici ſenſu agitari ſolet difficultas in eſſe ſcilicet qualitatis ſeu in eſſe rei, & in eſſe ſcientiæ. Prior ſenſus idem eſt ac inquirere, vtrum habitus Logicalis, quo quis inclinatur & determinatur ad facile demonſtrandas omnes concluſiones Logicas ſit ita ſimplex & indiuiſibilis, vt qui habet habitum inclinantem ad vnam concluſionem, habeat eo ipſo totum habitum Logicæ, taliter vt non acquirat alium habitum nouum, nec partem aliquam noui habitus, quando cognoſcit alterum obiectum. Poſterior ſenſus eſt, an ex ſuppoſitione quod habitus logicalis totalis conſtet pluribus habitibus partialibus, iſti habitus continuentur & vniantur vnione aliqua, ob quam dicantur omnes ſimul eſſe vna ſcientia? Pro cuius deciſione ſit

19. Prima concluſio, *Logica* (& idem eſt de cæteris ſcientiis) *in eſſe rei non eſt vna ſimplex & indiuiſibilis qualitas ſecundum extenſionem, ſed eſt multiplex & diuiſibilis ſecundum multiplicitatem concluſionum, quæ in ipſa demonſtrantur.* Senſus concluſionis eſt, tot eſſe habitus partiales in Logica, quot concluſiones diuerſas demonſtratas ; quod ſi hæ concluſiones ita diuerſæ ſint, quod per diuerſa media demonſtrentur, habitus non vtcumque plures, ſed diuerſi etiam in ſpecie erunt. Concluſionem tenet Scotus pluribus in locis, ſequuntur diſcipuli, & fere omnes Ieſuitæ contra Thomiſtas & Vaſquez.

Probatur à priori : habitus eſſentialite-

tialiter solum est facilitas ad actus similes his, à quibus productus est, ergo cum in scientia sint plures actus specie diuersi, necesse est ab eis plures habitus specie diuersos generari. Consequentia est bona & antecedens probatur 1. quia nullus actus potest dare facilitatem & inclinare ad obiectum, quod ab ipso actu nullo modo cognoscitur, neque producere facilitatem, quam in se aliquo modo non præcontineat: Vnde communiter describitur habitus: *Est facilitas ad actus similes his à quibus est productus.* Item patet experientia: nam ex eo quod quis sit facilis ad percipiendam hanc conclusionem: *Definitio est oratio explicans naturam rei* ex repetitione actuum circa illam non redditur facilis ad assentiendum huic *syllogismus debet constare, tribus propositionibus*: Est namque habitus quasi quoddam semen quod non alios producit fructus, nisi similes illis, à quibus est productus; ergo opus est produci diuersum habitum per actus tendentes in diuersas conclusiones.

20. Dices cum Vasque 1. 2. disp. 80. cap. 5. hoc argumento euinci, primum habitum, si nihil ei addatur præter id quod accepit à primo actu non posse inclinare nisi ad actus similes primis; at vero si per subsequentes actus addatur ei nouus modus poterit inclinare ad alios actus diuersos à primo, etiam si non producatur nouus habitus, sed tantum perficiaturprimus: Sed contra quia ille modus qui per secundos actus acquiritur seu producitur de nouo, necessario futurus est habitus perfectus distinctus à primo. Quod sic probo, ille modus esset facilitas ad actus similes his, à quibus est productus, ergo esset perfectus habitus, & ex ex alia parte diuersus à primo: quia inclinaret ad diuersos actus, ergo essent duo habitus ad duos actus diuersos. Item illa noua facilitas, quam tu dicis modum, est independens à primo habitu: potuit enim sine ipso produci & conseruari, casu quo prius tempore elicuissem illos actus, quos de facto posterius elicui. Et experimur successu temporis amitti facilitatem circa primam demonstrationem, remanente facilitate circa secundam, quæ à te dicitur modus, quod patet esse falsum, cum modus nequeat conseruari sine re cuius est modus: Est ergo tam perfectus habitus sicut primus.

21. Respondent Thomistæ, actus Logicæ sicut & obiecta eorum esse quidem diuersæ rationis in esse rei, non tamen in esse scibilis, & quia secundum quod scibiles sunt causant habitum, ideo non possunt diuersos in specie habitus causare. Explicant autem quo pacto actus alicuius scientiæ totalis sint eiusdem rationis in esse scibilis, etiam si sint diuersi in esse rei sic: Quia (inquiunt) omnes tales actus habent eamdem rationem *sub qua* versentur circa suum obiectum: v. g. omnes actus Metaphysicæ versantur circa sua obiecta secundum quod abstrahunt ab omni materia. Et omnes actus Physicæ versantur circa sua obiecta secundum quod abstrahunt à materia singulari, non vero à materia sensibili; Et omnes actus Mathematicæ versantur circa sua obiecta provt abstrahunt à materia singulari & sensibili, non tamen intelligibili. Hæc est sententia Thomistarum accurate proposita & copiose refutata à nostro Poncio disp. 22. quæst. vltima.

Contra quam sic potest primò argui: quia difficulter potest assignari in

in Logica aliqua eadem ratio *ſub qua* verſatur circa omnia ſua obiecta partialia: nam ſi ſit ſecunda intentio, hæc licet generice ſit vna & eadem, tamen fere omnes de quibus agitur in Logica ſunt diuerſæ ſpeciei; & provt ſic ſunt diuerſæ, agit de ipſis Logica. *Secundo* quia quandoquidem verum ſit, actus Logicæ eſſe diuerſæ ſpeciei, & habere diuerſas difficultates in productione ſui, quamtumvis conueniunt in eſſe ſcibilis, omnino aſſignandi ſunt plures habitus diſtinctæ ſpeciei, qui inclinent ad eos ſaltem in eſſe rei. *Tertio* quia plures ſcientiæ quæ diſtinguuntur ſpecie etiam in eſſe ſcibilis, conueniunt in eadem abſtractione à materia; ergo non conuenientia in eadem abſtractione à materia non arguit diſtinctionem ſpecificam habituum. Probatur antecedens, quia Philoſophia moralis & naturalis conueniunt in eadem abſtractione à materia ſcilicet ſingulari & non ſenſibili, & tamen ſecundum omnes diſtinguuntur ſpecie. Imo ipſamet Logica abſtrahit ab omni materia ſicut Metaphyſica, & tamen diſtinguitur ſpecie ab illa. Plures alias impugnationes vide apud Poncium loco citato.

Obiicies 1. contra noſtram concluſionem, omnis ſcientia eſt habitus, ſicut omnis habitus eſt qualitas; ſed Logica eſt vna ſcientia, ergo eſt vnus habitus, valet conſequentia ab inferiori ad ſuperius affirmatiue: ℞. Logicam in eſſe rei ſeu qualitatis de quo procedit concluſio, non eſſe vnum ſed multiplicem habitum; in eſſe autem ſcibilis ſeu ſcientiæ eſſe vnum, de quo in concluſione ſeq.

Obiicies 2. Vna potentia in ſpecie v. g. intellectus poteſt habere actus circa obiecta ſpecie diuerſa, ergo vnus ſpecie habitus poteſt verſari circa obiecta diuerſa in ſpecie: ℞. Si quid valet argumentum inferri etiam ex ipſo, vnicam eſſe ſcientiam reſpectu omnium ſcibilium, ſicut vnicam potentiam: ſed aſſigno diſparitatem: nam potentia ex ſe eſt indeterminata ad omnia obiecta, quæ continentur ſub ſuo obiecto adæquato; determinatur autem per habitum ad vnum obiectum præ alio; vnde ipſe habitus debet eſſe determinatum in ſpecie: aliàs non poſſet determinare potentiam.

22 Obiicies 3. Ideo miſericordia & iuſtitia (& ſic de aliis virtutibus) eſt vna virtus quia vnus habitus, ergo vt ſcientia ſit vna, vnus tantum habitus debet eſſe: ℞. neg. virtutes, ſiue morales ſint ſiue Theologicæ, eſſe vnam ſimplicem qualitatem. Bene verum eſt quod non conſtent pluribus qualitatibus diſtinctæ ſpeciei, ſicut ſcientiæ; conſtant tamen pluribus qualitatibus homogeneis & eiuſdem rationis, quæ pro diuerſis difficultatibus, quæ circa diuerſas materias ſuorum obiectorum occurrunt, multiplicantur; ſed quia idem eſt medium ſeu motiuum amplectendi quamlibet materiam ſicut & aſſentiendi cuilibet obiecto in habitu fidei, ideo iſtæ plures difficultates non ſunt diſtinctæ ſpeciei, atque adeo nec habitus plures, qui ad eas vincendas ponuntur; in ſcientiis vero quia diuerſa ſunt media ſeu motiua aſſentiendi concluſionibus diuerſis, ideo ponendi ſunt in ipſis habitus non plures vtcumque, ſed plures diuerſi in ſpecie: vt annotaui in concluſione.

Vbi aduertendum eſt, cum præſentem concluſionem probamus Scotiſtæ innitendo in hoc, quod penes diuerſas concluſiones demonſtratas in ſcientia diuerſi aſſignandi ſunt habitus; ſi argumentum intendat (vt debet intendere) diuerſitatem ſpecificam

cificam habituum, debere intelligi de diuersis conclusionibus, quatenus ipsis per diuersa media assentimur: Si enim pluribus conclusionibus per idem medium assentiamur, erunt quidem plures habitus ob plures difficultates, quæ penes diuersas illas conclusiones occurrent, non tamen diuersi in specie: quia nec tales difficultates diuersæ in specie sunt stante vno & eodem medio seu motiuo assentiendi ad omnes. Et ratio à priori est quia conclusio solum est obiectum terminatiuum sui assensus, medium autem est motiuum seu specificatiuum, ob cuius solius diuersitatem diuersificari debent scientiæ & habitus. Pro hac doctrina citat Toletum & alios noster Poncius disp. 22. num. 78. in fine; imo & ipsemet ad eam recurrit tanquam ad solidiorem rationem numero 66. in fine & numero 86. Habet etiam noster Meurisse fol. mihi 43.

Dices, etiam quælibet scientia tendit ad omnia sua obiecta sub vnica ratione formali: v. g. vel quia omnia dicunt ordinem ad obiectum attributionis, vel quia conueniunt in esse scibili à tali scientia vt ait Caietanus 1. p. quæst. 1. art. 3. Pro responsione argumenti, & soluenda difficultate de vnitate Logicæ in esse scientiæ: Quo modo scilicet isti plures habitus constituere possint vnam scientiam? sit secunda conclusio.

23. Secunda conclusio, *Logica in esse scientiæ est Vna vnitate ordinis seu aggregationis; & idem est de quacumque alia scientia.* Est communis & tenetur ab omnibus, qui præcedentem amplectuntur. Ad cuius explicationem Notandum est, rem aliquam posse dici vnam tripliciter, primo modo indiuisibiliter, quia caret omnino partibus, in quo sensu certum est Logicam non esse vnam: vt constat ex conclusione præced. secundo modo dicitur res vna, quia licet habeat partes, sunt tamen inter se physice vnitæ: vt homo constans anima & corpore dicitur vnus, quia eius partes sunt vnitæ; Quo pacto non vniri habitus partiales Logicæ communiter recipitur, & optime probat noster Poncius hic à numero 107. Nec in hoc est controuersia inter authores. Tertio dicitur res vna magis late, eo quod partes quibus constat, licet non sint inter se vnitæ, sunt tamen coacernatæ & coordinatæ ad constituendum totum: vt patet in exercitu & ciuitate, quæ dicuntur vnum in suo genere, etiamsi partes ex quibus componuntur, non vniantur inter se. Igitur sensus conclusionis est; habitus Logicæ & cuiuscumque scientiæ habere inter se in ordine ad aliquod vnum obiectum attributionis ab ipsa natura, ordinem aliquem & connexionem, ratione cuius vnam scientiam dicuntur constituere.

Probatur conclusio, Quia aliquæ cognitiones ex se sunt vtiles ad aliquas alias & non ad omnes v. g. cognitio animalis vtilis est ad cognoscendum hominem, non vero ad cognoscendum ignem; sed hæc maior connexio inter aliquas cognitiones non est voluntaria: quia quamtumvis velit Philosophus ordinare ad cognitionem Lunæ cognitionem pulicis, nequaquam poterit ea adiuuari, ergo inter aliquas cognitiones ex natura sua est aliquis ordo & connexio. Vnde sequitur omnes illas cognitiones quæ habent inter se prædictum ordinem quoad aliquod vnum obiectum attributionis, con-

stituere vnam scientiam. Bene verum est quod omnes scientiæ simul possunt constituere vnicam scientiam conflatam ex omnibus illis, si hoc fecisse placuisset Phylosophis: Qualiter in Metaphysica dicemus de ratione diuisionis entium in decem prædicamenta; sed vitandæ confusionis gratia & quia id colligunt ex natura & connexione cognitionum inter se, ipsas diuiserunt quasi per aliquas classes, appellando congregationem cognitionum, quæ attingunt res non corporeas nec subiectas sensibus Metaphysicam, congregationem vero earum quæ respiciunt res corporeas & sensibiles Physicam & sic de reliquis, de quo videndus Pontius disput. 22. quæst. vltima, vbi egregiè examinat modum dicendi Thomistarum.

24. Sunt aliqui Scotistæ qui nimis laborant in examinanda vnitate generica & specifica Logicæ & aliarum scientiarum (numerica enim cum attendatur penes subiectum inhæsionis, certum est multiplicari penes pluralitatem hominum addiscentium ipsam Logicam.) Dicit enim Scotus qu. 3. prologi in 2. Laterali. §. *contra istud argumentum*. Quòd multorum habituum specie differentium potest esse aliquod obiectum commune, sicuti ab obiectis eorum potest abstrahi obiectum commune; à quo non est habitus vnus secundum speciem, sed tantum secundum genus.

Ego autem soluendo difficultatem censeo, logicam nullo pacto posse participare vnitatem specificam aut genericam à suo obiecto adæquato attributionis, quod vt diximus est syllogismus in communi. Quod sic probo, vnitas specifica vel generica scientiæ inuestigata ab obiecto non attenditur penes vnitatem quam in se habet obiectum, sed penes causalitatem, quam in esse medij seu principij cognoscendi exercere potest, videlicet quatenus per eius definitionem tanquam per medium demonstrantur omnes passiones, quæ in tali scientia demonstrari possunt. Et hoc est continere primo virtualiter omnes illius veritates; sed per definitionem syllogismi non possunt demonstrari omnes veritates demonstrabiles in tota Logica, bene tamen in Libris Prior. (Quod consonat nostræ expositioni ad authoritatem Scoti, q. præcedenti) ergo ab ipso non potest Logica participare vnitatem specificam aut genericam, bene tamen vnitatem ordinis & aggregationis: Continet enim omnes veritates Logicæ aliquo ex tribus modis vel primo virtualiter idest immediate, vel mediate, vel denique attributiue; Et ab hac vltima continentia habet Logica totalis, quod sit vna vnitate assignata participata ab obiecto attributionis, quatenus omnes veritates Logicæ cognoscibiles sunt in ordine ad syllogismum in communi.

Aliunde ergo inuestiganda erit huiusmodi vnitas specifica & generica; Propterea dico, *quamlibet scientiam totalem esse vnam specifice*: Quia ratio scientiæ totalis v.g. Logicæ aut Metaphysicæ non est prædicabilis de pluribus Logicis specie diuersis: licet enim communis sit ad Logicam Petri, Ioannis &c. illæ tamen Logicæ non differunt specie, sed numero; Nec obstat quod non sit ens vnum per se: quia enti per accidens competit etiam suo modo aliqualis definitio; & suo modo dari potest scientia de eo; vt probat Poncius disput. 22. num. 14. Propterea denominari potest species

cies respectu eorum de quibus prædicatur in quid; *Rationem vero habitus logicæ vt sic esse genus ad plures habitus Logicæ specie diuersos*: quamuis enim in quolibet habitu non reperiatur ratio scientiæ totalis, reperitur tamen ratio habitus: quia nomine scientiæ absolutè dictæ intelligimus omnes habitus simul sumptos dicentes inter se ordinem ad vnum obiectum attributionis; at nomine habitus intelligimus quemlibet habitum etiam partialem: sicut nomine exercitus intelligimus aggregatum plurium militum sub vno duce; nomine autem *miles* quemlibet militem seorsim.

Dices, vnitas scientiæ sumitur ab obiecto; sed in Logica sunt plura obiecta, ergo non est vna scientia: Respond. dist. ma. sumitur ab obiecto formali adæquato attributionis, concedo. ma. à materiali & partiali seu inadæquato neg. ma. & dist. ma. Logicæ sunt plura obiecta partialia & materialia. concedo. mi. formalia adæquata neg. min. Quamuis ergo quilibet habitus scientificus in rigore loquendo sit scientia: Est enim effectus demonstrationis; tamen nomine scientiæ intelligimus omnes habitus partiales simul sumptos (vt iam dixi) quare licet vnitas habitus scientifici sumatur ab obiecto partiali, quo multiplicato multiplicatur & ipse habitus, tamen vnitas scientiæ totalis sumitur ab obiecto adæquato attributionis, quod vnicum est in Logica. Et per hoc fit satis primæ obiectioni contra primam conclusionem.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Logicæ; sit scientia practica? An speculatiua? An vtrumque simul.

TOta quæstionis decisio pendet ex intelligentia istorum nominum *Practicum & Speculatiuum*: Inde enim constabit quæ scientia sit practica, quæ speculatiua. Huiusmodi autem notitia inuestiganda est ex cognitione praxis & speculationis, quæ sunt obiecta, circa quæ scientia practica & speculatiua versantur, & à quibus vt tales sumunt suam specificationem.

15. *Speculatio* (quæ à verbo Græco *scopeo*, quod Latinè idem est ac considero seu contemplor; & quam etiam Græci Theoricam appellant à verbo *Theoreo*) ex communi sententia significat quamdam contemplationem essentiæ, causæ vel proprietatis alicuius rei, sistendo ibi, nec vltra in opus ordinata. *Praxis* autem sic definitur à Scoto quæst. 4. prologi: *Dico quod praxis ad quam cognitio practica extenditur, est actus alterius potentiæ quam intellectus, naturaliter posterior intellectione natus elici conformiter rectæ rationi, ad hoc vt sit actus rectus.* Ex qua definitione apparet tres conditiones requiri ad praxim proprie & stricte dictam (late enim extendendo nomen praxis non dubitat Scotus comprehendere in aliquo sensu actus etiam intellectus.) Circa primam per quam excluduntur actus intellectus à ratione praxis varia est controuersia. Pro Scoto sunt omnes eius discipuli & ex Thomistis

Thomistis quam plurimi, quos vide apud Complutenses disp. 1. proœmial. quæst. 6. Pro opposita sententia stat Suarez, Vasquez. Hurtadus, Arriaga & alij Iesuitæ. Per secundam conditionem excluduntur actus vegetatiui, qui nullum dicunt ordinem ad intellectum, & sensitiui etiam appetitiui præcedentes intellectionem: quia sunt priores naturaliter quocumque actu intellectus. Per tertiam explicatur ordo & dependentia quam dicit praxis ad consilium seu rectum dictamen rationis.

Probo autem contra aduersarios satis congruenter apponi à Scoto primam conditionem excludentem actus intellectus à ratione praxis, circa quod est difficultas. ex Aristotele 3. de anima cap. 10. secundum Scot. supra & D. Thom. 1. part. quæst. 79. art. 4. colligitur illud commune prouerbium: *Intellectus extensione fit practicus*, quod communiter intelligitur de extensione ad operationes aliarum potentiarum, non ad suam propriam, sed hoc esset falsum, si proprius eius actus posset esse praxis: non enim indigeret extensione, ergo &c: Item scientia practica ex Aristot. 6. Metaph. cap. 1. adæquate diuiditur in actiuam & factiuam; sed ad neutram possunt pertinere actus intellectus, ergo &c. probatur mi. quia non ad factiuam: cum sint actus immanentes, ista vero versetur circa actiones transeuntes in externam materiam; Neque ad actiuam: quia licet hæc versetur circa actiones immanentes, tamen non qualescumque, sed circa illas præcise quarum principium est electio: vnde dixit Aristot. *Idem esse agibile quod eligibile*. Maneat ergo nullum actum intellectus posse habere rationem praxis.

Dices, sicut cognitio dirigens actum voluntatis ex tali directione dicitur practica, ita similiter dirigens aliam cognitionem supra quam reflectit, & quæ respectu ipsius habet rationem obiecti, ex tali directione potest dici practica; sed talis dicitur in ordine ad praxim, ergo cognitio directa esset praxis: probatur ma. quia prudentia est practica, & tamen dirigit actus intellectus tanquam obiecta, circa quæ versatur: ergo aliquando actus intellectus sunt praxes, à quibus prudentia ipsos dirigens dicitur practica.

25. Notandum ante responsionem, Ex ista doctrina sequi eamdem cognitionem quatenus tendentem in suum obiectum dici speculationem: quia in eius contemplatione sistit, & dici praxim quatenus respicitur ab alia cognitione ipsam dirigente: Quod certe mihi maximum inconueniens videtur. Resp. ergo neg. ma. ad cuius probationem dico, prudentiam dici practicam, quia dirigit operationes voluntatis, quas primo & per se respicit; Quod si aliquando dirigit actus intellectus, hoc est non primo & per se, sed quatenus interdum sunt liberi & ab actu voluntatis (qui primo & per se est praxis) imperantur vel imperari possunt. Quare non ideo operatio dicitur praxis, quia directa, sed operatio dirigens dicitur practica ab operatione quam dirigit, vnde si ista fuerit praxis operatio dirigens erit practica. Prius ergo debet probari operationem directam esse praxim, quàm inferatur dirigentem esse practicam: scientia enim specifi-

ſpecificatur & dicitur talis ab obiecto, non vero obiectum à ſcientia; Cum ergo aliud ſit operationem eſſe practicam, aliud eſſe praxim, hinc eſt poſſe intellectum dici principium practicum & operationes eius practicas, quatenus dirigunt actus voluntatis, qui primo & per ſe ſunt praxes, non vero quatenus dirigunt alias cognitiones: quia iſtæ nullo modo ſunt praxes.

Obiicies Scotum aſſerentem, omnem actum elicitum vel imperatum à voluntate eſſe praxim; ſed actus intellectus poſſunt imperari à voluntate, ergo poſſunt eſſe praxis. Reſp. Scotum ſolum aſſerere, omnem praxim eſſe actum elicitum vel imperatum à Voluntate, non vero è contra omnem actum elicitum vel imperatum eſſe praxim. Committitur enim fallacia conſequentis arguendo à ſuperiori ad inferius affirmatiue, cum ergo actui intellectus deficiat prima conditio ad rationem praxis, licet ſit actus imperatus à voluntate, non tamen erit praxis; licet alias poſſit dici practicus, quatenus imperatur à voluntate.

26. Sit prima concluſio. *Logica nullomodo eſt ſcientia Practica.* Sic Scotus ſupra, quem ſequuntur omnes diſcipuli & ex Thomiſtis plures apud Complutenſes, vbi ſupra. Eſt contra Conimbricenſ. Auerſam, Arriagam & alios. Probatur: obiectum Logicæ non eſt practicum, ergo Logica non eſt practica. patet conſequentia, & anteced. probatur. Obiectum Logicæ in primis non eſt aliquid factibile ſtricte loquendo: quia hoc ſumitur penes externam materiam; Neque aliquid agibile prout ſumitur ab Ariſtotele tamquam quid eligibile, penes quod ſcientia dicitur practica: patet quia ad nullum actum Logicæ concurrit electio tamquam principium, ergo &c.

Dices cum Arriaga: Illa eſt ſcientia practica quæ habet pro obiecto aliquid operabile ab ipſo cognoſcente ex vi eius cognitionis, & propter hoc procedit modo operabili; ſed Logica eſt huiuſmodi, ergo &c. Probatur minor: Logica verſatur circa definitiones, ſylogiſmos & ſimiles intentiones, quæ ſunt à nobis operabiles, & tradit præcepta, quibus recte conficiantur, quod eſt agere de illis modo operabili. Reſp. diſt. ma. quando opus ſeu obiectum operabile eſt vere & proprie praxis, concedo. ma. quando non eſt praxis ſed ſpeculatio, vt contingit in Logica, nego ma. omne enim opus ſeu inſtrumentum Logicum, cum ſit opus intellectus, eſt mere ſpeculatiuum, propter quod Logica agens de ipſo, non debet dici practica. Vnde illud Ariſtotelis: *Finis practicæ opus*, debet intelligi de opere, quod ſit praxis; Illud vero: *Speculatiuæ finis eſt veritas*, de actu intellctus, in quo proprie & formaliter eſt veritas. Cum ergo Logica habeat pro obiecto aliquid operabile intra limites intellectus, in quo ſolum eſt veritas, ſolum erit ſpeculatiua & nullo modo practica.

Obicies ſcientia ſpeculatiua eſt nobilior ſcientiis practicis ex Ariſtot. 6. Metaphyſ. Item eſt propter ſe ex eodem Philoſopho 1. Metaphyſ. cap. 2; ſed Logica non eſt nobilior ſcientiis practicis: quia cum nobilitas ſcientiæ ſumatur à certitudine obiecti, & Logicæ obiectum ſit debiliſſimum inter omnia obiecta ſci-

entiarum cum ſit aliquid rationis, ſequitur ipſam non eſſe ſpeculatiuam, erit ergo practica: Item quia Logica non quæritur propter ſe, ſed propter alias ſcientias comparandas: Et confirmatur, quia Ariſtoteles diuidens ſcientiam ſpeculatiuam in Phyſicam, Metaphyſicam & Mathematicam nullam fecit mentionem de Logica, ergo &c. ℞. Philoſophum vtrobique loquutum fuiſſe de ſcientiis ſpeculatiuis principalibus, non vero de miniſtralibus qualis eſt Logica, quæ miniſtra & ſubſeruiens eſt omnibus ſcientiis. Eſt nihilominus nobilior ſecundum quid omnibus practicis ex modo ſcilicet ſpeculatiue procedendi. Item ex hoc capite etiam eſt propter ſe appetibilis, vtpote quæ tradit cognitionem plurium veritatum circa modos & inſtrumenta ſciendi. Quæ cognitio bonum quoddam eſt & perfectio intellectus, ac proinde expetibilis propter ſe: Ad confirmat. Dico, Ariſtotel. ibi ſolum diuiſiſſe ſcientiam ſpeculatiuam realem, provt diſtinguitur à ſermocinali, rationali, & morali. Propterea non fecit mentionem Logicæ.

27. Secunda concluſio. *Logica non eſt ſcientia practica ſimul & ſpeculatiua, ſed eſt ſolum ſpeculatiua.* Ita Scotus ſupra cum reliquis citatis in prima concluſione. Eſt contra Suarez, Vaſquez, Rubium & Hurtadum. Probatur, ſi Logica eſſet practica ſimul & ſpeculatiua, vt dicunt aduerſarij, maxime quia aliquæ cognitiones eſſent in ea ſpeculatiuæ, nimirum quæ ſiſtunt in contemplatione ſui obiecti: verbi gratia quæ ſolum demonſtrant proprietates ſyllogiſmi; aliquæ vero practicæ, illæ ſcilicet quæ tendunt ad conficiendum & conſtituendum ſuum obiectum verbi gratia ipſum ſyllogiſmum; ſed hoc fundamentum ruit ex hucuſque dictis, ergo &c. probatur mi. quia quamtumuis Logica dirigat ad aliquod opus faciendum cum iſtud non ſit praxis (vt iam diximus) ſed aliquod opus intellectus atque adeo ſpeculatiuum, nequit reſpectu talis cognitionis ſeu directionis Logica dici practica. Et hæc eſt ratio à priori fundata in definitione praxis, quam niſi in rigoroſa acceptione ſumamus (vt & aſſumpſit Scotus) non eſt conuincens pro noſtra concluſione, ex quâ excludendi ſint actus intellectus directi ab aliis à ratione praxis, atque adeo Logica vt ad ipſos conficiendos dirigit, à ratione practicæ.

Dices, Actus intellectus licet ſecundum ſe ſpectati non ſint actus alterius potentiæ ab intellectu, quæ eſt prima conditio appoſita in definitione praxis, tamen vt imperati à voluntate poſſunt vere dici actus alterius potentiæ; ſed Logica ſic dirigit actus intellectus: non enim facimus ſyllogiſmos artificialiter niſi volentes, ergo Logica non eſt mere ſpeculatiua, ſed debet etiam dici practica: ℞. omittendo maiorem, neg. mi. quia Logica agit de actibus intellectus ſecundum ſe & non vt imperatis à voluntate. Nec obſtat quod non niſi volentes conficiamus ſyllogiſmos: nam hoc imperium voluntatis valde remote ſe habet & quaſi per accidens ad rectam confectionem ſyllogiſmi: cum æque bonos ſyllogiſmos ſæpe efficiamus abſque tali imperio.

28. Vnde immerito reiicit noſter Poncius (quod & colligitur ex do-

ctrina eiusdem n. 87. aliam rationem deductam ex Aristotele, quæ adduci solet in confirmationem præcedentis: nimirum quod neque ad scientiam practicam, provt actiua est, debeat reduci Logica: si quidem agibile ex Aristot. idem est ac eligibile: cum ergo electio valde remote & quasi per accidens conducat ad exercitium facultatis Logicalis, nullo iure dicendum est Logicam dirigere actus intellectus vt imperatos à voluntate, atque adeo neque ex vllo capite dici scientiam practicam: alias & Metaphysica etiam practica diceretur, cum & speculationes, quas de obiectis eius artificialiter elicimus, non nisi volentes etiam eliciamus; & aliàs speculatio in ista & confectio syllogismi in illa est opus intellectus, in quo solum proprie & formaliter est veritas. Quæ est finis speculatiuæ scientiæ ex eodem Aristot. Quamvis enim practicæ finis etiam sit veritas, est tamen veritas confesè se habens appetitui recto ex 6. Ethicor. capite 3. qualiter non se habet opus intellectus, quod docet conficere Logica, ergo vtraque æquali iure debet dici speculatiua.

Quod si mihi obiicias diuisisse in hac noua methodo Logicam in docentem & vtentem tanquam in partem speculatiuam & practicam: Rᵉ. ex Poncio, numero 96. non sufficere ad scientiam practicam, quod procedat modo compositorio: hoc est quod ostendat & præstet regulas & modum, quo aliquid operabile debeat fieri, qualiter processimus in Logica vtente; sed requiri vlterius quod illud operabile sit praxis, cuius contrarium contingere in Logica huc vsque probauimus. Sicut nec etiam ad hoc idem sufficeret quod habeat rationem artis: quia admitti possunt artes speculatiuæ sicut artes practicæ. Aduerte tamen pro plena intelligentia difficultatis, quod si aliquis velit intelligere per praxim aliquid operabile, siue sit actus alterius potentiæ ab intellectu, siue non sit, tunc posset dicere Logicam esse practicam. Vnde re verà quantum ad hoc Quæstio est de nomine, in qua tamen nos meliorem partem tenemus: quia vtimur praxi in sensu antiquorum & Aristotelis iuxta interpretationem vtriusque Doctoris *Angelici* & *Subtilis*.

QVÆSTIO V.

Quomodo Logica sit necessaria ad alias scientias adquirendas?

29. Quæstio procedit de Logica artificiali, non de naturali, quarum differentiam initio disputationis prænotauimus. Vbi Aduertendum est dupliciter posse aliquid esse necessarium ad aliquem finem, scilicet simpliciter, & secundum quid: illud dicitur necessarium secundum quid, quod tantum requiritur ad breuiter, expedite & minori cum difficultate obtinendum finem, quamvis absolute posset sine eo obtineri: sic dicitur equus necessarius ad longum iter faciendum. Necessarium simpliciter & absolute subdiuiditur in necessarium Physice & moraliter: Physice necessarium est illud, sine quo non potest vllo modo

naturaliter finis acquiri : quia scilicet vel est principium Physicum totale aut partiale influens in finem , vel in aliquid prærequisitum ad acquisitionem eius ; vel est conditio applicans tale principium : Hoc modo est necessaria virtus calefactiua & applicatio talis virtutis ad producendum calorem. Necessarium moraliter est illud sine quo quidem posset finis acquiri Physice : quia scilicet daretur sufficiens virtus Physica & applicatio eius sine eo ad producendum talem finem , tamen adeo difficulter produci posset sine eo , vt in communi hominum opinione censeretur impossibile.

Item Notandum est , posse esse dubium vel de scientiis partialibus seorsim sumptis , vel de ipsis collectiue ; hoc est de scientiis totalibus , & vt dicunt aggregatum plurium partialium. Hoc prænotato, supponendum est vt certum apud omnes , Logicam esse necessariam secundum quid ad quamlibet aliam scientiam adquirendam , & hoc ipso capite cuicumque scientiarum cupido commenddatissimam debere esse.

30. Sit prima conclusio , *Logica non est necessaria vllo modo simpliciter nec Physice nec moraliter ad acquirendam scientiam quamcumque partialem.* Est communis & probatur experientia ipsa , qua videmus persæpe etiam rusticos , qui prorsus Logica artificiali , vti argumentationibus in suis quotidianis colloquiis : vt v. g. *Qui furatur aliena dignus est pœna , tu feratus es aliena , ergo dignus es pœna.* Et his similia plura argumenta conficiuntur quotidie à quolibet homine quamtumvis ignaro Logicæ. Nec est difficultas in assentiendo conclusioni , sed in probatione maioris aut minoris : Nullus enim dubitat , quod si Petrus furatus est , dignus sit pœna ; sed dubitat de antecedenti , An scilicet furatus sit. Ergo non est necessarius actus aliquis Logicæ artificialis , quo reflexe cognoscatur argumentatio & discursus , vt habeatur cognitio aliqua scientifica. Quod constat etiam manifeste : quia ante acquisitionem ipsiusmet Logicæ , sciri debet aliqua conclusio Logica , & hæc scitur absque Logica artificiali , ergo scitur aliqua conclusio sine Logica artificiali.

Dices , stat bene sciri aliquam conclusionem Logicam , non tamen conclusionem aliquam vllius alterius scientiæ ; atque adeo Logica ad alias scientias simpliciter necessaria est. Sed contra quia illa conclusio Logicalis ideo scitur absque Logica artificiali : quia deducitur clare & euidenter per discursum ipso lumine naturali intellectus notum , & non propterea quod sit Logica conclusio , ergo si conclusio Physica aut mathematica sic proponeretur , potuisset etiam sic sciri , sed potest ; ergo scitur. Nec obstat , dici Logicam instrumentum pro aliis scientiis acquirendis ; quia hoc potest intelligi sic , vt aliquo modo conducat ad illas , vel sic vt sit simpliciter necessaria quoad omnes omnino conclusiones ; si secundum dicatur , de quo conclusione sequenti , hoc non obstat quominus simpliciter possit aliqua conclusio alterius scientiæ cognosci sine ipsa. Si primum dicatur , est petere principium ; quia hoc ipsum negamus. Plura vide apud nostrum

nostrum Poncium hic, qui & apponit conclusionem nouam de addiscente scientiam aliquam à præceptore experto in illa scientia, quem dicit posse addiscere totalem illam scientiam absque adminiculo Logicæ artificialis, nec esse in hoc casu simpliciter necessariam: Quod satis bene probat.

31. Secunda conclusio, *Logica in communiter addiscentibus necessaria est necessitate simpliciter morali ad quamcumque scientiam totalem perfecte & cum expeditione acquirendam præsertim quoad omnes conclusiones probabiles.* Est etiam communis cum Diuo Augustino, Platone, & Aristotele, qui sæpe asserit veteres Philosophos propter defectum Logicæ sæpius errauisse. Quod si dicas, ipsum Aristotelem qui optime omnium cognouit Logicam etiam in pluribus errauisse: ℞. eum non errasse in modo discurrendi, quod est munus Logicæ, sed quatenus supposuit aliquod principium pro vero, quod non erat verum; at vero alij Philosophi errauerunt etiam in formando ipso discursu & in deducendo id quod non sequebatur ex præmissis: vnde colligitur errorem eorum ex defectu Logicæ prouenisse, non autem Philosophi. Probatur conclusio: quia sæpe apparet intellectui prima facie aliquem discursum esse bonum, qui tamen non est bonus: vt manifestum est experientia; & quamvis si quis diligentiam magnam adhiberet, potuisset Lumine naturali cognoscere defectum eius, tamen inter tot discursus, qui in qualibet scientia occurrunt: est omnino moraliter impossibile, quin multos prætereat absque debito examine, nisi prius habeat Logicam artificialem, qua possit facile regulare tales discursus.

Dixi notanter in conclusione *præsertim quoad omnes conclusiones* probabiles: quia in qualibet scientia totali fere plures sunt conclusiones probabiles, quàm scientificæ: vt constat in Physica & Metaphysica; harum autem conclusionum plurimæ vix possunt deduci nisi per syllogismos secundæ aut tertiæ figuræ, qui non concludunt tam euidenter, quin aliquis possit dubitare de bonitate consequentiæ, nisi esset instructus Logica artificiali, sciretque eos posse reduci ad syllogismos directos primæ figuræ, qui euidentissime concludunt. Propterea respectu harum conclusionum existimo maiorem esse necessitatem Logicæ, quam respectu conclusionum, quæ de facto sciuntur in aliqua scientia.

Obiicies, ipsa Logica totalis inuenta fuit sine Logica artificiali, ergo similiter possent & aliæ scientiæ inueniri: ℞. Logicam totalem secundum aliquam partem sui fuisse inuentam sine alia Logica artificiali præexistenti, mediante Logica naturali, illam vero partem quæ habuit pro obiecto instrumentum aliquod sciendi v. g. syllogismum, conduxisse ad alias partes, & hoc tam necessario vt sine illa parte, cæteræ partes non acquirerentur sine permixtione alicuius erroris.

Sed dices, sicut prima pars Logicæ inuenta fuit beneficio Logicæ naturalis, cur non & cæteræ partes? Respond. Quia quando quis non habet præfixas regulas, licet possit quoad aliquas operationes recte se gerere, tamen quoad omnes, præ-

ſertim difficiles, & in quibus facile poſſit committi error, id eſt moraliter impoſſibile.

Et hæc de Logica dicta ſufficiant; multa alia quæ communiori vſu tractantur in Logica, aptiori, imò propriori loco diſputabimus. Ex quibus plura in Metaphyſica, nonnulla alia in libris de anima. Nunc autem in nomine Domini ad Philoſophiam naturalem progrediamur.

FINIS LOGICÆ.

TRACTATVS II.

IN NATVRALEM PHILOSOPHIAM ARISTOTELIS.

Prooemium.

QVI olim magnarum rerum intelligentiâ & Doctrinâ cæteris præstare videbantur, eos Græci Sophos*: hoc est Sapientes nuncupabant. Verùm hoc nomen, quod speciem arrogantiæ præ se ferebat, authore Pythagora mutatum est. Cum enim apud Leontem Tyrannum docte & copiose disseruisset, & rogatus ab eo, quidnam artis profiteretur, respondisse fertur, se neque artem scire vllam, neque esse* Sophum *idest Sapientem, sed* Philosophum *idest amicum Sapientiæ: sic refert D August.* 8. *de ciuitate Dei c.* 2. *& Cicero* 5. *Tusculan. Hinc Philosophi Philosophiæque nomen longè latéque increbuit, nec solum à Pythagoricis, verum etiam à Platonicis posterisque omnibus communi fuit appro-*

bations

batione vsitatum. In præsenti autem per Philosophiam intelligenda est scientia illa quæ de rebus naturalibus in quantum mobilibus disputat. Est ergo Philosophia naturalis congeries quædam demonstrationum, syllogismorum & propositionum de rebus naturalibus formatarum. Cuius octo partes principales enumerat Scotus in Comment. super libros Physicor. quæst. 1. iuxta considerationes, sub quibus tractat Aristoteles de eius obiecto, de corpore scilicet naturali seu mobili. Ad primam *pertinent octo libri Physicorum, in quibus de ente naturali vt mobili, & hoc secundum rationem generalem mobilitatis. Ad* secundam *quatuor libri de Cælo & Mundo, in quibus de ente mobili magis specialiter scilicet ad* Vbi. *Ad* tertiam *libri de generatione & corruptione, in quibus de ente mobili ad formam in communi. Ad* quartam *libri Meteororum, in quibus de ente mobili ad formam mixti imperfecti. Ad* quintam *libri de Mineralibus, in quibus de ente mobili ad formam mixti perfecti inanimati. Ad* sextam *libri de anima, in quibus de ente mobili ad formam mixti perfecti animati in communi, & in his de anima intellectiua. Ad* septimam *libri de vegetalibus & plantis, in quibus de ente mobili ad formam mixti perfecti animâ vegetatiuâ. Ad* octauam *& vltimam libri de animalibus, in quibus de ente mobili ad formam mixti perfecti animati animâ sensitiuâ. Ex his omnibus*

iam vſus obtinuit, vt in publicis diſputationibus ſolum tractetur de pertinentibus ad primam, tertiam & ſextam partem, de quibus ſingulis & nos proprias Diſputationes & Quæſtiones proponemus.

Circa obiectum naturalis Philoſophiæ varia eſt inter aliquos authores diſceptatio. Ego autem exiſtimo controuerſiam potius eſſe de nomine, quàm de re. Pro cuius ſolutione & vt proprietatem loquendi obſeruemus. Dico, obiectum Philoſophiæ naturalis eſſe corpus naturale. *Sic Scot. 6. Metaphyſ. quæſt. 1. & probatur: nam ipſi conueniunt conditiones, quas requirit Scotus quæſt. 3. vniuerſal. ad obiectum attributionis alicuius ſcientiæ, & nos etiam aßignauimus in Logica diſp. 5. num. 9. nam de ipſo præſupponitur* quod eſt & quid eſt, *aßignat enim Ariſtot. 2. Phyſicor. definitionem corporis naturalis. Item multæ paßiones de ipſo demonſtrantur in ſex vltimis libris, vbi de motu, tempore, vacuo, infinito &c. Et denique adæquat totam Philoſophiam: nihil enim in ipſa determinatur, quod non ſit pars integralis, conſtitutiua, vel ſubiectiua, paßio vel affectio corporis naturalis, vel denique aliquid neceſſario conducens ad eius cognitionem, & vt tale attribuibile ad ipſum, ergo.*

De vnitate Philoſophiæ idem prorſus iudicium eſt ferendum, ac de vnitate Logicæ diximus vbi ſupra quæſt. 3. De ratione practicæ aut ſpeculatiuæ eſt expreſſa authoritas Ariſtot. annumerantis Phy-

ſicam inter ſcientias ſpeculatiuas, & ſuaderi poteſt rationibus, quibus probauimus Logicam eſſe ſpeculatiuam, imo efficacioribus & communioribus.

De vtilitate huius ſcientiæ multa proferrem: ſufficiat pro omnibus dicere, ipſam eſſe proficuam ad cognoſcendam primam cauſam nempe Deum opt. Max. eiuſque vnitatem: Vtrumque enim demonſtrat ex ordine cauſarum & effectuum, in quibus cum non ſit procedendum in infinitum, ad vnam primam cauſam, à qua cæteræ participant virtutem operandi & producendi ſuos effectus, deuenire neceſſe eſt. Hanc vtilitatem eleganter explicuit Paulus ad Rom. 1. dicens: Inuiſibilia Dei à creaturâ mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & Diuinitas.

IN OCTO LIBROS PHYSICORVM ARISTOTELIS DISPVTATIONES.

1. APPELLAT Aristotel. hos libros acroamaticos seu auscultatorios & cõmuniter de Physico auditu seu naturali auscultatione inscribuntur: quia continent doctrinam auditoribus in scholis dictatam. Quorum materiam assignat & diuidit Scotus hîc initio q. 1. iuxta numerum ipsorum librorum. In primo (inquit) determinatur de principiis intrinsecis rei naturalis. In secundo de principiis extrinsecis & intrinsecis simul. In tertio de Passionibus intrinsecis rei naturalis: vt sunt *motus* & *infinitum*. In quarto de Passionibus extrinsecis: vt sunt *locus, vacuum* & *tempus*. In quinto determinatur de *motu* quantum ad partes eius subiectiuas. In sexto quantum ad partes integrales. In septimo de comparatione motuum ad motores, & motuum ad se inuicem. Et tandem in octauo determinatur de duratione motus. Sit ergo

DISPVTATIO I.

In primum librum Physicorum Aristotelis.

QVÆSTIO I.

Vtrum bene descripta sint à Philosopho Principia rei naturalis? Et quot sint.

RES naturales quæ & res Physicæ, & corpora Physica & corpora naturalia nuncupantur, sunt omnia corpora, quæcumque ex materia & formâ componuntur: vt cœli, elementa & quæcumque ab eis sunt mixta siue animata siue inanimata; Angeli vero res naturales non sunt, sed solum puri actus & formæ immateriales. Quamobrem non de Angelorum, sed de rerum naturalium principiis hic inquirimus: *An bene descripta sint à Philosopho?*

2. Prima conclusio, *Bene descri-*

pta sunt principia corporis naturalis, per hoc quod sint ea quæ neque ex se se mutuo neque ex alijs fiunt, sed ex ipsis omnia esse oportet. Hæc descriptio communiter recipitur & approbatur à doctoribus. Cuius sufficientia patebit explicando singulas particulas in quibus ponitur præpositio *ex*. In duabus primis vbi ponitur negatiuè, indicatur: principia rei naturalis neque fieri ex se ipsis, neque ex aliis tanquam ex partibus componentibus aut principiantibus in illo genere, in quo ipsa sunt principia entis naturalis. v. g. materia prima non fit ex forma tanquam ex parte componente, neque forma ex materia, item neque priuatio ex aliqua earum. Quod debet intelligi de partibus componentibus in genere physico: quia licet possit dici, formam constare ex genere & differentia, hoc erit in genere Metaphysico, id est sunt partes eius Metaphysicæ, non tamen sunt physicè componentes, in quo sensu excluditur omnis compositio partium à materia & forma. In tertia particula vbi *ex* ponitur affirmatiuè, denotatur omnia composita naturalia fieri & componi ex ipsis principiis vel tanquam ex partibus componentibus vt ex materia & forma, vel tanquam ex termino *à quo* vt ex priuatione.

3. Secunda conclusio, *Principia rei naturalis in fieri, quæ ad generationem & productionem actualem corporis naturalis intrinsece & essentialiter concurrunt, sunt tantum tria, materia scilicet, forma & priuatio; non quidem vt principia componentia, sed intrinsece ab ipsa generatione requisita.* Ita Aristoteles hic cap. 7. text. 67. contra antiquiores Philosophos circa hoc varie sentientes, quorum impugnationi tanquam inutili supersedeo. Probatur & explicatur conclusio ex Scoto hic ad prædictum textum. Illa solum per se & intrinsece concurrunt ad generationem corporis naturalis, quæ per se exprimuntur, in eius definitione; sed illa tria tantummodo exprimuntur, ergo &c. probatur mi. generatio est transitus subiecti de non esse substantiæ ad esse substantiæ, per ly *subiectum* intelligitur materia prima per *de non esse substantiæ* intelligitur priuatio formæ generandæ, & per ly *ad esse substantiæ* intelligitur ipsa forma. Vnde generatio est transitus materiæ primæ de priuatione formæ generandæ ad ipsam formam. Et confirmatur quia omnis mutatio requirit essentialiter duos terminos, alterum *à quo*, alterum *ad quem*: similiter requirit essentialiter subiectum quod transmutatur ab vno termino ad alium; sed generatio est quædam mutatio substantialis quia per illam materia prima transmutatur abiiciendo vnam formam, aliamque de nouo recipiendo, ergo necessario requiruntur tria principia nempe terminus *à quo* qui est priuatio formæ generandæ, & terminus *ad quem* qui est ipsa forma, & subiectum manens sub vtroque termino scilicet materia prima.

Quamuis præfatæ conclusiones recipiantur communiter à Philosophis omnibus post Aristot. tamen ad maiorem earum illustrationem nonnulla & grauia argumenta obiiciuntur.

4. Obiicies ergo 1. contra primam conclusionem: Forma substantialis: si materialis sit, fit ex materia: nam vt postea videbimus, educitur de eius potentia, item fit ex priuatione sui tanquam ex termino *à quo*: nam ante productionem formæ semper præest in materia priuatio talis formæ; ergo principia rei naturalis fiunt ex se ipsis mutuo contra definitionem assignatam: ℞. formam non fieri ex materiâ aut

ex priuatione sui tanquam ex forma, id est tanquam ex principiis in genere causæ formalis, in quo ipsa est principium corporis naturalis. Quare in genere in quo sunt principia materia & forma semper sunt prima; Quod autem in alio genere sint ab aliis, non tollit ab eis rationem primi principij in suo genere, vnde quod forma fiat ex materia tanquam ex subiecto à quo educitur, aut ex priuatione sui tanquam ex termino *à quo* non obstat definitioni, quæ vt explicuimus solum negat principiis entis naturalis alia priora principia in illo genere, in quo ipsa sunt principia.

5. Obiicies 2. Materia prima (& idem dico de forma materiali) habet partes intrinsecas ex quibus intrinsece componitur, ergo fit ex illis in illo genere, in quo ipsa est primum principium compositi naturalis, ergo non est primum principium: ℞. materiam primam esse primum principium tanquam partem quidem intrinsecam, non quomodocumque, sed subiectiuam essentialiter componentem; partes vero ipsius materiæ esse solum partes integrantes. *Partes integrantes* voco quarum qualibet ablata, manet absolute denominatio totius: vt v. g. ablato pede vel manu à Petro denominatur absolute homo. Item ablatâ vna parte aquæ manet absolute aqua; at vero partes essentiales sunt quarum qualibet ablatâ, aufertur essentia totius: v. g. ablatâ animâ non manet homo, qui nec manet ablato corpore, etiamsi maneat anima, ideoque anima & corpus sunt partes essentiales hominis: Partes ergo materiæ non sunt essentiales sed integrantes ipsam materiam; quia qualibet ablatâ manet absolute materia, ipsa autem materia respectu compositi naturalis est pars essentialis, quâ ablata non manet compositum substantiale, quare partes materiæ non sunt principia illius in eo ordine in quo ipsa est principium compositi naturalis.

Obiicies 3. Priuatio habet terminum *à quo*: patet quia sicut ex cæco fit videns, ita ex vidente fit cæcus, ergo non est primum principium in ratione termini *à quo*: ℞. neg. anteced. nam terminus *à quo*, est à quo incipit motus aut actio; at cum priuatio non sit ens, ad ipsam non datur actio, atque adeo nec præsupponitur terminus *à quo* proprie, qui est terminus *à quo* priuatiuus, de quo loquimur.

Obiicies 4. contra numerum principiorum. Priuatio non est ens, ergo non potest esse principium generationis: ℞. Priuationem non esse principium influens aut componens generationem in esse talis, sed præcise terminum *à quo*; cum autem vere & realiter detur priuatio formæ antequam sit forma, & hæc ex non esse transeat ad esse, ideo priuatio absolute dicitur principium

6. Obiicies 5. contra probationem conclusionis. Ideo priuatio est principium requisitum per se ad generationem: quia hæc est mutatio quæ requirit terminum *à quo* & terminum *ad quem*; sed potest esse generatio quin sit mutatio, imo de facto fuit in prima productione, in qua simul tempore creata fuit materia prima & forma substantialis, ergo non est de ratione generationis habere pro principio *à quo* priuationem. Respondent aliqui, etiam in illo casu datam fuisse priuationem, non quidem prius tempore, quam ipsam formam, sed prius natura: quia semper materia intelligitur prius natura ad formam, pro quo priori datur in illa priuatio formæ.

Sed Contra falsa est hæc solutio, quod sic probo: Repugnat in eodem instanti reali esse simul formam & eius priuationem etiam pro priori naturæ: quia cum instans reale sit indiuisibile, necesse est vt quod vere pro priori existit, existat etiam necessario pro toto instanti, ergo si pro priori est Priuatio formæ, etiam in toto instanti eadem manebit, igitur simul erit forma & eius priuatio, quod prorsus repugnat. Ratio à priori est: quia illud instans naturæ est instans præcisionis tantum, quare tunc licet non concipiatur forma, non tamen concipitur eius priuatio, sed præscinditur, id est nihil cogitatur de forma: sicut quando concipio essentiam Petri & præscindo ab eo quod sit albus, non tamen concipio illum non album. Ad quam doctrinam oportet pro multis difficultatibus attendere.

Respondeo ergo obiectioni, non esse necessariam priuationem respectu omnis generationis, esse tamen necessariam respectu earum generationum, quæ de facto contingunt: quia cum materia semper perseueret eadem, quantumuis formæ mutentur, semper ante omnem generationem (prima excepta) præcedit eius formæ priuatio in materia, & consequenter semper datur mutatio in generationibus, quæ de facto sunt, atque adeo priuatio vt principium essentialiter requisitum.

7. Obiicies 6. Quando ex ligno v. g. fit ignis, sicut ignis producitur ex priuatione sui tanquam ex termino *à quo*, ita fit ex ligno tanquam ex termino *à quo*, ergo præter principia annumerata, datur aliud scilicet forma præcedens quæ corrumpitur, dum noua generatur: ℞. concess. anteced. si generatio sumatur vt conuersio: quia hæc est mutatio ex vna substantia in aliam. Si autem sumatur generatio vt mutatio præcise (in quo sensu accipitur hic) neg. anteced. quia ad rationem generationis vt mutatio est non pertinet esse transitum ab vna forma in aliam, sed à priuatione formæ in formam, vnde nego conseq.

8. Obiicies 7. Sicut in termino *à quo* præcedit priuatio formæ genitæ, ita in termino *ad quem* est priuatio formæ corruptæ, ergo sicut priuatio quæ est in termino *à quo* est principium generationis, ita & priuatio, quæ est in termino *ad quem*: ℞. concess. anteced. neg. conseq. Et ratio est quia in omni generatione habetur duplex mutatio & actio, quarum vna est productiua formæ, cuius terminus ad quem est ipsa forma genita vel generanda, altera est corruptiua formæ præexistentis in materia. Hinc Aristoteles 1. de generat. inquit generationem vnius esse corruptionem alterius. Et terminus *ad quem* huius actionis corruptiuæ est priuatio formæ præexistentis in materia, terminus vero à quo est ipsa forma quæ corrumpitur: nam cum sit actio destructiua, tendit ab esse formæ ad non esse illius, non secus ac vice versa generatio quæ est actio productiua, tendit ex non esse ad esse. Vnde priuatio formæ corruptæ, quæ consequitur ex productione formæ genitæ, non est terminus *ad quem* generationis, sed corruptionis: Vnde neg. conseq.

9. Tertia conclusio, *Principia rei naturalis in facto esse sunt tantum duo.* Sic Scotus hic in expositione ad text. 67. his verbis. *Principium dicitur in relatione ad principiatum*

tum , Et cum principiatum naturale vel ponitur compositum vel ipsa transmutatio : Si compositum , tunc solum sunt duo principia scilicet materia & forma ; si autem transmutatio ponitur principiatum : Tunc principia naturalia sunt tria. vbi expresse innuit istam & præcedentem conclusionem: Probatur ratione conclusio. Illa sunt principia corporum naturalium in facto esse quæ illa componunt ; sed solum componuntur ex materia & forma : ergo &c. Nec obstat quod præter materiam & formam detur in omni corpore naturali nexus quidam seu vnio , quâ inter se vniuntur pertinens ad constitutionem & integritatem totius ; Non inquam obstat quia compositum non dicitur constitui aut constare ex vnione , sed constare ex partibus & constitui per ipsas mediante vnione tanquam per conditionem necessario requisitam vt resultet & fiat totum , propterea non dicitur principium eius sed potius conditio principiorum.

10. Inquires 1. *Vtrum principia annumerata conueniant vniuoce in ratione principij* ? Resp. materiam & formam conuenire vniuoce : quia vtraque vere & realiter participat rationem principij ; Si vero includatur priuatio, solum æquiuoce conuenire : quia enti & non enti nequit dari conceptus vllus vniuocus.

11. Inquires 2. *Quam contrarietatem habeant inter se prædicta principia* ? Resp. Principia in facto esse scilicet materiam & formam non esse contraria : patet quia contraria mutuo se expellunt ; sed non modo non expellitur vna ab altera, nempe forma à materia , verum appetitur & in sinu eius quasi fouetur , ergo , &c. Verùm si de ipsis provt in fieri loquamur , dico materiam & formæ priuationem nullatenus opponi : quia materia potest habere priuationem formæ , vt patet ; formam autem & priuationem esse prima contraria : quia contradictorie opponuntur.

QVÆSTIO II.

An sit, & quid sit materia prima ?

12. NOn defuerunt qui receptissimam Philosophorum de materia prima sententiam negare aut in dubium reuocare conarentur : vt recentiores quidam Galli citati à nostro Poncio, item Vallesius cap. 69. Sacræ Philosophiæ, Torrexon Doctor Complutensis & alij. Contra quos sit

13. Prima conclusio , *verè datur materia prima condistincta à forma substantiali.* Est Sententia communis non solum apud Peripateticos , verum etiam apud plures ex antiquioribus Philosophis. Tenet eam Scotus 2. dist. 12. quæst. 1. num. 4. Cuius ratio potest in hunc modum efformari. In generatione naturali secundum Philosophum 1. de generat. Agens generans non destruit totum compositum præexistens , neque producit nouum secundum se totum, ergo aliquid est in genito , quod erat in corrupto : verbi gratia quando ex ligno fit ignis , aliquid quod erat in ligno permanet in igne de nouo genito ; sed hoc non est forma ligni : quia hæc incompatibilis est cum igne, ergo materia prima , quæ est subiectum commune susceptiuum vtriusque formæ & genitæ & corruptæ. Probatur mi. Si agens naturale destrueret compositum corrumpendum , secundum se totum, talis destructio vere esset

ani-

anihilatio: hæc enim eſt deſtructio & reſolutio entis in nihilum. Item ſi produceret compoſitum de nouo genitum ſecundum ſe totum, talis productio eſſet creatio: cum hæc ſit productio entis ex nihilo; ſed abſurdum imo & falſum eſt dicere, agens naturale creare aut anihilare, ergo ad hoc vitandum dicendum eſt agens naturale non deſtruere aut producere compoſitum ſecundum ſe totum, ſed potius quod maneat aliquid ſub forma noui compoſiti, quod erat ſub veteri, & hoc eſt materia prima.

Quod autem falſum ſit agens naturale creare aut anihilare probatur quotidiana experientia, quâ videmus nullam cauſam naturalem poſſe producere ſubſtantiam aliquam v. g. ignem, niſi deſtructâ aliâ v. g. ligno, cuius ratio nulla alia poteſt eſſe, niſi quod non poſſit producere ſubſtantiam de nouo ſecundum omnes ſuas partes, ſed potius requirit concurſum alicuius partis ſubſtantiæ ſeu compoſiti corrupti, quæ maneat in compoſito producto: cur enim non poſſet producere vnam ſubſtantiam abſque deſtructione alterius, niſi propter dependentiam quam habet ſubſtantia producenda à deſtructione alterius ſubſtantiæ? Aut quam dependentiam poteſt illa ſubſtantia habere ab illa deſtructione, niſi quia non poteſt eſſe abſque parte aliqua illius ſubſtantiæ quæ deſtruitur?

Dices, eſſe dependentiam ob incompatibilitatem ſed contra, quia vel eſt incompatibilitas in eodem loco vel in eodem ſubiecto? Ob primam non requiritur deſtructio, ſed ſufficeret expulſio ſubſtantiæ quæ deſtruitur; ſecunda non datur: quia cum ignis & lignum ſint ſubſtantiæ completæ, non habent ſubiectum in quo ſint; & ſi habent, illud eſſet materia prima, & haberemus intentum.

14. Obiicies. Ariſtoteles omne ens reduxit ad aliquod ex decem prædicamentis; ſed materia prima ex eodem Philoſopho 7. Metaph. neque eſt quid, nec quantum, nec quale aut aliquid cæterarum categoriarum, ergo materia prima non eſt aliquod ens, atque adeo nec datur in rerum natura. Reſp. ex Scoto ſupra num. 18. Ariſt. non loqui ex propria mente, ſed arguendo ad partem falſam pro opinione antiquorum, quod patet: nam poſtquam dixit, nec eſſe quid, nec quantum, &c. ſubiungit: *Sic quidem intendentibus accidit materiam ſubiectum eſſe, ſed impoſſibile*, qui modus arguendi (inquit Scotus) alienus eſt ab Ariſtotele quando determinat concluſionem & loquitur ex propria mente: Sed eſto quod loquatur ex propria mente, adhuc ℞. & explico authoritatem, quæ ſolum negat materiæ primæ rationem *quid*, *qualis*, &c. vt enti determinato ſeu conſtituto in aliquo determinato eſſe. Cuius expoſitionis veritas conſtat ex ipſo contextu, infert enim, ergo non continetur ſub aliquo illorum, quibus ens diuiditur & diſtinguitur.

15. Secunda concluſio, *materia prima eſt primum ſubiectum, ex quo aliquid fit, cum inſit primo & per ſe & non ſecundum accidens.* Eſt communis, & explicatur ſufficientia definitionis. Particula *ſubiectum* habet rationem generis, in quo conuenit materia prima cum ſubſtantiis completis, quæ ſunt etiam ſubiecta ſuorum accidentium; per ly *primum* differt ab illis, quæ cum fiant ex materia tanquam ex ſubiecto, nequeunt dici primum ſubiectum etiam reſpectu ſuorum accidentium. Ponitur *cum inſit*, vt excludatur priuatio: nam licet fiat ex ea compoſitum naturale, in quo conuenit cum materia, non ta-

men

men ex ea componitur: quia in illo non manet; Additur *primo & per se &c.* vt denotetur, illud quod fit ex materia prima tanquam ex subiecto esse vnum per se & non per accidens, per quod excluduntur quæcumque subiecta accidentium, seu concreta omnia accidentalia.

QVÆSTIO III.

Vtrum Materia prima sit pura potentia? vbi de eius existentia.

16. Scotus 2. dist. 12. q.1.n 10. vbi in propriis terminis disputat quæstionem, pro eius solutione duplicem assignat potentiam, aliam obiectiuam, aliam subiectiuam; potentia obiectiua seu Logica dicitur illa, secundum quam res quæ nondum est in rerum natura, potest existere, idest res quæ dicitur esse in potentia obiectiua, est ipsum obiectum productionis, videlicet obiectum producendum vel producibile: v. g. Anti-Christus, si nondum est, dicitur esse in potentia obiectiua: quia est obiectum possibile produci aliquando. Potentia subiectiua est subiectum capax recipiendi aliquam formam, quare huiusmodi subiectum dicitur esse in potentia subiectiua, idest, potens esse subiectum: v. g. Paries qui potest esse subiectum albedinis. Huic duplici potentiæ duplex actus correspondet, potentiæ obiectiuæ correspondet actu entitatiuus, & est idem quod actualitas rei existentis, idest res ipsa actus producta. Potentiæ subiectiuæ correspondet actus formalis, idest ipsa forma actuans materiam, quæ est potentia subiectiua illius.

17. Sit prima Conclusio. *Materia prima est pura potentia subiectiua in genere Physico, nullam includens formam Physicam, qualis est per quam res constituitur in specie Physica.* Est communis & probatur ex ratione primi subiecti, quæ est eius definitio: si enim materia prima secundum se considerata includeret aliquam formam, subiectum talis formæ esset prius materia prima. Item quidquid est in materia totum est ad exercendum munus potentiæ receptiuæ formæ substantialis, ergo nihil includit, quod possit habere rationem formæ, & in hoc sensu dicitur pura potentia.

18. Secunda conclusio, *Materia prima non est pura potentia obiectiua, sed vere & proprie includit actum entitatiuum.* Ita Scotus supra quem sequuntur Scotistæ & communiter PP. Iesuitæ; Nec videtur esse contra Thomistas, nisi per actum entitatiuum significetur propria existentia: ipsi enim bene fatentur materiam primam existere realiter, & non esse potentiam tantum obiectiuam, vt est Anti-Christus. Probatur ratione Commentator. 8. de cœlo comment. 29. vbi docet omnem potentialitatem passiuam in aliqua actualitate fundari: quia quod recipit debet esse ens actuale: alioquin non posset recipere, ergo materia prima quæ est potentia passiua, receptiua scilicet omnium formarum debet habere aliquam actualitatem; ergo non est pura potentia obiectiua. Probat etiam Scotus variis authoritatibus Philosophi, quæ satis efficaciter confirmant nostrum assertum, ex quibus sic formo argumentum. Materia prima provt condistincta à forma est ens reale incompletum actu & extra causas componens simul cum forma substantiam completam tanquam realis & actualis pars eius, ergo essentialiter includit actum entitatiuum, antecedens quoad omnes partes est communiter

receptum consequentia probatur, quia realis & actualis entitas non est intelligibilis sine reali actu entitatiuo, neque realis & actualis pars substantiæ sine reali & substantiali entitate incompleta actu concurrente ad compositionem totius, ergo secundum se includit actum entitatiuum, atque adeo non est pura potentia obiectiua. Sit etiam pro vlteriori confirmatione.

19. Tertia Conclusio, *Materia prima non est pura potentia in genere metaphysico, sed bene includit actum metaphysicum.* Sequitur ex dictis & probatur ad hominem in sententia Thomistar. qui asserunt (vt videbimus q. seq.) materiam corporum cœlestium distingui specie à materia sublunarium, ergo datur in materia sublunarium v. g. ratio materiæ in communi, quæ est genus & ratio differentialis, per quam differt specie à materia cœlesti; sed talis differentia est vere actus metaphysicus, ergo &c.

Nec obstat, si dicas, omnem actum metaphysicum sumi à formis physicis: v. g. in homine corporeitas sumitur à forma corporis, animalitas à gradu vitæ sensitiuæ &c. ergo cum materia prima nullam includat in se formam physicam, neque habebit actum metaphysicum. Non (inquam) obstat: quia antecedens solum est verum in creaturis physice compositis, non autem in simplicibus, qualis est materia prima. Quod & constat: in Angelis, qui vere habent in se compositionem metaphysicam, & tamen non habent formam physicam, à qua sumatur gradus seu actus metaphysicus.

Dices materia prima nequit existere independenter à forma: probatur, quia non habet ex se existentiam, ergo neque entitatem actualem: ℞. gratis admisso antecedenti, adhuc non sequi consequentiam: quod patet, nam in sententia Thomistar. natura humana Christi Domini non habet existentiam distinctam ab existentia verbi diuini, & tamen habet diuersam entitatem actualem (fides enim docet, dari ibi duas naturas reales ex quibus componitur Christus) igitur &c. Propterea (vt dixi) in hac conclusione prout à nobis explicata, non sunt nobis oppositi Thomistæ. Est autem controuersia, intelligendo per actum entitatiuum propriam existentiam, cuius oppositum acriter defendunt.

20. Sed pro soluenda difficultate & firmius probanda existentia propria materiæ primæ, suppono disputationis gratia, existentiam distingui ab essentia actuali (cuius contrarium cum Scoto & communiori sententia asseremus in Metaphysica) alias enim euidenter conuincit argumentum, quia cum materia prima habeat entitatem actualem, vt probauimus distinctam realiter ab entitate formæ, si existentia est idem realiter quod essentia actualis, ergo & habebit existentiam propriã distinctam ab existentia formæ.

21. Sit ergo quarta Conclusio, *Materia prima ex se & ex vi solius creationis per quam producitur, habet propriam existentiam realiter distinctam ab existentia formæ.* Sic Scotus supra cum suis & cõmuniori sententia contra priores Thomistas, quos citant & sequuntur Complutenses hic q. 2. Probatur primo, quia ridiculum, imo & falsum est, toties materiam primam produci de nouo & mutare existentiam, quoties nouam formam substantialem acquirit, quod necessario sequitur ex sententia Thomistar. nam existentia materiæ cum sit propria formæ, toties habet mutari, quoties ipsa forma. Vnde & vlterius sequeretur quoties compositum aliquod destruitur, materiam anihilari, & quoties producitur, creari,

Quod sanè à veræ Philosophiæ principiis aberrat.

Respondent aliqui hoc non sequi: quia quamvis materia perdat vnam existentiam, succedit tamen alia, & sic semper manet in eodem esse, sicut lumen productum ab vno agente & conseruatum ab alio semper manet idem. Nec est aliquod tempus aut instans, in quo careat existentia, propterea non bene dicitur destrui aut produci de nouo. Sed contra: quia si existentia materiæ sit existentia formæ, implicat materiam habere eamdem existentiam, & consequenter manere in eodem existere, non manente eadem forma. Nec prodest quidquam illud de Lumine, etiamsi disputationis gratia admittamus idem lumen prius productum ab aliquo luminoso, conseruari ab alio, quia nec actio productiua aut conseruatiua eius sunt de intrinseca ratione ipsius, quod secus est de existentia respectu materiæ actualiter & extra causas positæ, propterea lumen potest manere idem, non tamen existentia materiæ, semel variata forma: deinde cum de conceptu destructionis tantum sit, vt res perdat existentiam suam, siue eam vel aliam iterum acquirat, siue non & de conceptu productionis, vt detur ei existentia, quam antea non habuit siue aliam habuerit siue non, re vera quoties materia acquirit existentiam nouam, producetur de nouo, & quoties eam deperdit, destruetur.

22. Probatur 2. Forma materialis dependet vt à priori à materia (vt & aduersarij fatentur) ergo materia non accipit existentiam à forma: patet quia si eam reciperet, penderet à priori à forma, ergo mutuo inuicem à priori dependerent, quod est impossibile. Probatur 3. quia sequeretur ex opposito materiam primam produci ab agentibus creatis, quod est contra omnes Philosophos asserentes, materiam primam à Solo Deo creatam & conseruatam, probatur sequela quia non alio modo producitur materia prima, nisi per productionem eius existentiæ; sed hæc existentia producitur à causis creatis producentibus formam substantialem & eius existentiam, quæ est etiam existentia materiæ, ergo materia prima producitur à causis creatis. Cum ergo negari non possit distinctam esse actionem, qua producitur materia ab actione, qua producitur forma nempe generatione, & actio quælibet realis causæ effectiuæ ad hoc tendat vt communicet existentiam rei, quam producit, & efficiat eam de nouo existere, nec etiam negari potest materiam primam propriam sibi & distinctam existentiam habere ab existentia formæ. Quod & vrgeri potest de termino vtriusque actionis tam in fieri, quam in facto esse, vbi nõ videtur habere locũ vlla distinctio Thomistar.

23. Obiicies 1. Si materia prima haberet propriam existentiam, non posset cum forma componere vnum per se: esset enim ens in actu, & ex duobus entibus in actu non fit vnum per se iuxta vulgare axioma: ℞. axioma intelligi debere de duobus entibus in actu completo qualis non est materia prima ob hoc quod habeat propriam existentiam, sicut neque forma. Quod vero duo entia actu existentia etiam existentiis diuersis possint facere vnum per se, patet manifeste in manu, pede & cæteris partibus integrantibus hominem existentiis diuersis existentibus & tamen vnum per se componentibus. Ex quo exemplo constat, falsum esse assertum Complutensium quæst. 5. n. 54. nimirum repugnare quod dentur existentiæ partiales. Nec refert istas esse partes integrales, illas vero essentia-

essentiales: nam quantum ad præsens punctum æqualiter se habent, nec videtur mihi assignabilis ratio vlla disparitatis, quantum ad hoc quod ratio existentiæ in vtrisque partibus obstet in vna compositione & non in altera.

24. Obiicies 2. Si materia prima haberet propriam existentiam, deberet esse in per se potentia ad existentiam formæ, & deberet posse recipere effectum formalem ab existentia formæ; sed neutrum potest; non primum quia deberent esse existentiæ diuersæ rationis formaliter. Nec secundum, quia effectus formalis existentiæ est reddere existentem, quod habet iam materia ex sua propria existentia, ergo &c. ℞. concess. ma. neg. mi. ad cuius probationem pro priori parte dico, existentiam materiæ sicut & ipsam materiam esse diuersæ rationis formalis ab existentia formæ, & consequenter posse se habere tanquam per se potentiam ad illam tanquam ad per se actum. Ad probationem pro posteriori parte ℞. effectum formalem, qui est reddere existentem, solum debere competere ipsi rei, cuius est propria existentia, & cui identificatur, non vero alteri cui coniungitur per vnionem realem, quare cum sic vniatur forma materiæ, non debet ipsam reddere existentem, sed effectus formalis eius erit concurrere cum ipsa actuando & complendo eius existentiam ad componendum totum. Et est exemplum seu instantia, quâ possumus ad hoc respondere in coniunctione accidentis cum substantia, quæ ab ipso informatur seu recipit effectum formalem; Nec tamen per existentiam accidentis existit formaliter substantia. Quem ergo effectum formalem præstat accidens substantiæ, cui inhæret, eumdem & præstat forma materiæ, saluâ vnius cuiusque propriâ existentiâ.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Materia prima sit vna in omnibus compositis substantialibus?

25. Sensus quæstionis est, An materia prima quâ constant omnia corpora, tam sublunaria, quotquot scilicet continentur sub concauo lunæ, quam Cælestia, Cælorum scilicet ac stellarum tam fixarum quam errantium (quos constare materiâ suppono, licet de hoc dubitauerit Aristoteles teste Scoto. 2. disp. 12. quæst. 1.) sit vna & eadem in omnibus secundum speciem, an vero secundum genus tantum? Et discussâ prius vnitate eius in corporibus sublunaribus, vnitatem ipsius etiam respectu Cælestium, in quo est controuersia, decidemus. Et notandum, vnitatem hanc materiæ dupliciter considerari posse, alteram intrinsecam & quæ ei conuenit ex se, & in quantum quædam entitas partialis est; alteram extrinsecam & conuenientem ipsi, in quantum simul cum forma totum compositum constituit, quæ vnitas siue specifica siue numerica non est distincta ab vnitate totius.

26. Sit ergo prima conclusio, *Si sermo sit de vnitate intrinseca materiæ omnes materiæ quæ sunt in corporibus sublunaribus solo numero distinguuntur, vnde materia ipsorum est vna specie.* Est expressa sententia Aristotelis hic text. 61. Probatur. Quia nullum excogitari potest vestigium distinctionis specificæ in materijs, horum inferiorum, quæ sit intrinseca materiæ & in quantum quædam entitas partialis est: Patet, nam omnes sunt æqualiter

æqualiter puræ potentiæ subiectiuæ omnium formarum. Quæ ratio confirmari potest ex mutua transmutatione corporum: materia enim quæ prius erat sub forma panis transit in animali ad formam sanguinis & ex hac ad formam animalis, deinde ad formam cadaueris, postea ad formam terræ, vlterius in formam plantæ, hinc in formam fructus, & iterum in formam animalis. Quod fieri non posset si materia istorum omnium non esset eiusdem rationis specificæ.

27. Secunda conclusio, *si sermo sit de vnitate extrinseca & conueniente materiæ ratione totius, cuius pars est, tunc materia horum inferiorum non est eiusdem speciei, sed tot sunt materiæ diuersæ speciei, quot sunt composita specie diuersa*: Est sententia Aristot. nam text. 60. expresse affirmat, quod etiamsi in genito & corrupto maneat eadem numero materia, non tamen maneat eadem in specie. Quæ assertio intellecta iuxta sensum huius nostræ conclusionis non est contraria præcedenti: nam ibi erat sermo de vnitate competenti materiæ ex se, hic vero de competenti ipsi ratione totius. Probatur ratione: quia vt supponitur, hæc vnitas conuenit materiæ ratione totius, cuius est pars; sed hæc tota sunt distinctæ speciei, vt manifestum est, & ergo materiæ eorum.

28. Tertia conclusio: *Materia diuersorum corporum sibi inuicem succedentium per generationem & corruptionem est vna numero; Materiæ vero diuersorum simul existentium: vt materia huius ligni, & materia illius lapidis non sunt vna numero, sed potius diuersæ.* Est sententia Philosophi, de qua nullus dubitat; non tamen placet modus loquendi, quo aliqui vtuntur ad probationem prioris partis, nimirum quod licet materia maneat eadem in genito & corrupto negatiue, non tamen positiue: quia re vera manet eadem positiue. Cuius ratio à priori est, quia vnitas numerica intrinseca materiæ primæ non sumitur à forma, quâ informatur, vel à composito, quod ex ipsa & forma fit, sed sumitur à gradu absoluto suæ actualitatis & substantialis entitatis; sed entitas actualis & substantialis materiæ corporum sibi inuicem succedentium est eadem positiuæ, ergo & vnitas numerica illius erit positiua. Hinc probatur posterior pars conclusionis: quia materiæ diuersorum corporum simul existentium habent diuersas entitates actuales: cum sint inter se discontinuæ & distantes, ergo sunt numero diuersæ. Et confirmatur, quia sequeretur, eandem numero materiam esse naturaliter simul sub diuersis formis substantialibus non subordinatis, quod est impossibile, vt postea videbimus.

Obserua tamen, quod eadem numero materia potest diuidi in plures numero per discontinuationem vel diuisionem: vt quando aqua diuiditur in plures partes. Item & plures numero materiæ possunt fieri vna numero: Vt si è contra plures portiones aquæ coniungantur & continuentur.

29. Quarta conclusio, *Materia Cælorum non distinguitur specie seu non est diuersæ rationis à materia horum inferiorum.* Est Sententia Scoti vbi supra cum suis & pluribus aliis apud Conimbricens. 1. de Cælo cap. 2. q. 6. art. 1. contra D. Thom. 1. p. q. 66. art. 1. quem sequuntur sui ac Suarez & Auersa. Probatur ex Scoto sic: Non sunt duo fines primi, nec duo efficiẽtes primi alterius & alterius rationis, ergo nec duæ materiæ primæ diuersæ rationis. Probatur consequentia, ideo non dantur duo efficiẽtes primi: quia vnum

quod datur videlicet Deus includit omnem virtutem & perfectionem possibilem in genere causæ efficientis; sed materia prima includit omnem perfectionem possibilem in genere causæ materialis, ergo non dantur duæ materiæ primæ diuersæ rationis. Quod argumentum sumptum à paritate non nisi cum proportione debita procedit: videlicet quod tam vnitas ponatur in vtroque, quanta potest poni, in primo efficienti etiam numerica potest poni, in materia prima solum specifica. Quod si dicas saltem non ponitur vna in specie causa formalis, sed plures in specie distinctæ, ergo similiter plures materiæ debent poni: ℞. neg. conseq. quia ad varietatem specificam corporum, quam conspicimus in vniuerso, necessaria est diuersitas specifica formarum, non autem materiarum.

Probatur 2. Res omnes positiuæ distinctæ speciei habent diuersas perfectiones & diuersos effectus; sed materia sublunaris & materia cælestis neque habent diuersas perfectiones neque diuersos effectus, ergo non sunt diuersæ speciei. Probatur mi. materia cælestis nihil aliud potest facere nisi recipere in se immediate formam & cum ea vnam per se substantiam componere; sed hoc etiam facit materia sublunaris cum sua forma, ergo &c.

Dices, Materia prima Cælorum recipit formas cælestes inamissibiliter, ita vt quam semel recipit, nunquam deperdere possit naturaliter, ergo habet diuersos effectus à materia sublunari: ℞. hanc inamissibilitatem formæ non esse effectum materiæ, neque ab ipsa prouenire, sed vel à forma cælesti, vel ab accidentibus talem formam subsequentibus vel concomitantibus, quæ quia non habent contrarium, semper conseruant formam & reddunt ipsam inamissibilem; sicut & redderetur etiam inamissibilis forma alicuius corporis sublunaris, quod posset Deus talis naturæ creare, vt exigeret connaturaliter pro qualitatibus conseruatiuis, aliquas quibus non darentur aliæ qualitates contrariæ producibiles secundum potentiam ordinariam, nec tamen esset diuersæ rationis materia eius à materiâ cæterorum sublunarium. Est ergo materia corporum Cælestium de se capax cuiuslibet alterius formæ, potestque quamlibet suscipere: quia omnis potentia passiua materiæ est potentia contradictionis. Vnde quantum est ex se potest habere nunc formam, nunc priuationem eius.

Item, quia forma cœli non tollit à sua materia priuationem & appetitum ad omnem formam, ergo relinquit illam quantum est ex se susceptiuam alterius formæ. Probo anteced. ex Scoto supra, nulla forma complet totum appetitum materiæ suæ respectu alterius formæ, nisi tribuat actum oppositum priuationi illius formæ; sed forma cæli non dat actum oppositum priuationi cuiuscumque formæ præter se ipsam, ergo manet in materia priuatio & appetitus ad alteram formam. patet mi. quia ad tollendam priuationem & appetitum ad omnem formam requiritur continentia virtualis omnis formæ, quam non habet forma cæli: est enim imperfectior anima rationali, ergo inamissibilitas suæ formæ non prouenit ex se: cum semper sit potentia contradictionis.

Instabis: Illa inamissibilitas non potest prouenire à forma cæli, ergo nulla solutio, probatur antecedens, anima rationalis & aliæ huiusmodi formæ, quæ sunt perfectiores forma cæli, non faciunt res, quarum sunt formæ incorruptibiles, ergo à sola

sola forma cæli non prouenit eius inamissibilitas & incorruptibilitas sed partialiter etiam à materia. Resp. neg. anteced. Ad probationem dico, animam rationalem & alias huiusmodi formas esse quidem perfectiores formis cælestibus in entitate, non autem in modo informandi suas materias, quare vna reddit compositum incorruptibile, altera non.

30. Obiicies, Deus posset producere in cœlis materiam distinctam à materia sublunari, quæ scilicet ex se esset determinata ad formas Cæli, & non posset esse sub sublunaribus, ergo quandoquidem defacto nunquam sit ponenda materia cæli sub forma sublunari, probabilius est quod produxerit de facto in illis talem materiam, quam materiam indifferentem ad formas sublunares. Et confirmatur quia frustra esset priuatio & appetitus in materia cæli ad alias formas, quandoquidem possit naturaliter coniungi cum illis, ergo non est in ea talis appetitus. Resp. concesso anteced. neg. conseq. propter fundamentum nostræ conclusionis. Et præsertim quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate: Ad confirmat. Dico non esse fustraneam potentiam in aliqua specie, licet in aliquo indiuiduo non possit ad actum reduci, modo in alis indiuiduis possit. Qualiter non esset frustranea potentia ascendendi ad cælum lunæ in igne nostro vulgari, qui tamen naturaliter nunquam potest eo transire quia alius ignis ibi repetitur: vt communiter supponitur. Et bonum esset in nostro igne esse ibi; sic etiam non frustra est potentia & appetitus in materia ad formam corruptam, licet nullum agens naturale posset restituere illam, ergo similiter in nostro casu.

QVÆSTIO V.

Vtrum Materia prima sit ingenerabilis & incorruptibilis?

NOta *primo* ex Scoto 7. Metaph. q. 10. dupliciter dici aliquid generari vel terminatiue vel subiectiue, priori modo generatur forma & proprius dicitur generari totum, quàm forma: hæc enim potius congeneratur, quam generatur. Posteriori modo illud dicitur generari, quod subiicitur generationi. Nota *secundo*. hanc esse differentiam inter generationem & creationem; corruptionem, anihilationem, quod Creatio est productio entis ex nihilo, & generatio ex aliquo præsupposito subiecto; similiter anihilatio est destructio rei, nullo eius subiecto remanente, corruptio vero remanente aliquo subiecto. His suppositis.

31. Sit conclusio, *Materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis:* Quare solum habet esse per creationem & desinit esse per annihilationem, quam solus Deus sicut & creationem potest attingere. Est expressa sententia Aristot. & habet Scotus supra. Probatur: quia si materia acciperet esse per generationem fieret ex aliquo subiecto priori ipsa, quod est contra rationem primi subiecti, per quam supra explicuimus essentiam materiæ. Item si corrumperetur, desineret esse, aliquo subiecto remanente etiam priori ipsa, quod est contra rationem primi subiecti: ex quo sequitur materiam primam non posse dici generabilem aut corruptibilem terminatiue, quo sensu intelligendus est Aristot. bene tamen subiectiue: quia vt inqnit Scotus generatio fundatur in

in materia; Sed satis improprie in hoc sensu dicitur generabilis

32 Obiicies, 1. Si materia prima esset incorruptibilis, denominaretur ab illa totum compositum incorruptibile, sicut denominatur corporeum & materiale; sed non denominatur incorruptibile, ergo materia non est incorruptibilis. Resp. neg. sequelam: quia prædicata negatiua non possunt affirmari, nisi vtrique parti, imo & ipsi toti conueniant, secus affirmatiua. vnde potest dici homo intellectiuus ab anima, non autem immortalis, etiam si anima non minus sit immortalis, quàm intellectiua. Ratio à priori est, quia negatio negat totum, vnde debet conuenire cuilibet parti, affirmatio autem solum requirit reperiri quod affirmat in aliquo ex subiectis. Hinc colliges, cur homo dicatur à corpore corporeus non autem dicatur absolute spiritualis ab anima: quia spirituale explicatur à nobis negatiue, per negationem vel partium vel dependentiæ à materia, vnde non potest affirmari de homine præcise ratione vnius partis, sicut potest corporeum, quod vel prædicatum omnino affirmatiuum, vel saltem à nobis explicatur per modum affirmatiui.

Obiicies. 2. omnis mutatio denominat subiectum, in quo fit; sed generatio est mutatio, cuius subiectum est materia prima, ergo denominabit ipsam, atque adeo dicetur generabilis. Resp. generationem sicut & corruptionem considerari posse vel secundum conceptum mutationis, vel secundum conceptum productionis vel destructionis, priori modo denominat materiam, posteriori modo denominat formam & totum

Dices, Materia prima non solum est subiectum generationis, quatenus est mutatio, sed etiam quatenus est productio, ergo etiam in hoc sensu ipsam denominabit. ℞. quod licet ipsa entitas generationis subiectetur in materia, tamen quia quatenus est mutatio formaliter respicit ipsam, non vero quatenus est productio, propter ea priori modo denominat, non vero posteriori.

Obiicies. 3. Omne habens materiam corrumpitur propter materiam: patet, quia materia est causa corruptionis, ergo ipsa materia est corruptibilis: per regulam *Propter vnum quodque tale & illud magis.* Resp iuxta dict. in Log. Vtent. cap. 6. sect. 2. n. 4. & ex Scoto supra, regulam tenere, quando illud in quo fit comparatio, recipit magis & minus & conuenit vtrique comparatorum scilicet tam causæ quam causato; sed corruptibile nec conuenit materiæ nec suscipit magis & minus: nam omnia corruptibilia sunt æqualiter corruptibilia. Est ergo materia prima principium corruptionis ratione priuationis, cuius est subiectum quia cum ex priuatione sequatur appetitus., & ex appetitu desiderium quasi molitur interitum formæ habitæ vt aliâ noua informetur.

Dubium.

Inquires, *Vtrum Materia prima sit cognoscibilis in se & Quo modo?* Resp. quod si consideretur, quatenus est entitas absoluta, est quidem per se cognoscibilis, sed non à nobis pro hoc statu. Habet Scotus. 2. d. 12. quæst. 1. & 2. probatur, quia omnis entitas absoluta est cognoscibilis in se, seclusa quacumque habitudine seu analogia ad aliud: quia intelligibilitas est passio entis, sed materia prima secundum se spectata est entitas absoluta, ergo est cognoscibilis sine habitudine ad aliud; At quia intellectus noster pro hoc statu nō potest cognoscere, nisi quæ sensibilia sunt propter ordinem

poten

potentiarum inter se: iuxta illud vulgare *nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu:* nihil autem est in sensu nisi sensibile, ergo cum materia nullis accidentibus sensibilibus afficiatur, nec erit cognoscibilis pro hoc statu. Si autem consideretur materia vt est subiectum transmutationis, tunc secundum istum effectum est sensibilis: Sentitur enim à nobis, materiam sustentare formam, & modo habere vnam, modo alteram. Et in hoc sensu dixit Aristot. materiam solum cognosci à nobis per habitudinem ad formam, & per analogiam ad materiam artificialem.

QVÆSTIO VI.

An materia prima possit esse sine omni forma?

QVemadmodum effectus causæ efficientis, licet habeat existentiam distinctam ab existentia ipsius causæ efficientis, dependet tamen ita ab ipsa, vt non possit habere suam existentiam, nisi existat causa efficiens aut conseruans ipsum. Ita quamuis materia habeat existentiam distinctam ab existentia formæ: posset tamen dubitari, an ita dependeat in ordine ad habendam suam existentiam à forma, vt non possit ipsa existere, nisi existat etiam forma: Et procedit difficultas in duplici sensu, primo naturaliter & de potentia ordinata, secundum quam Deus concurrit cum causis secundis iuxta exigentiam illarum. Secundo supernaturaliter & de potentia absoluta secundum quam operatur præter exigentiam & ordinem illarum, non attentis legibus naturæ, sed attentâ omnipotentia sua, per quam operari potest supra naturam; non autem contra naturas & essentias rerum, propterea non extenditur ad aliquid implicans contradictionem. Decisio huius quæstionis maiori ex parte pendet ex q. 3. vbi de existentia propria materiæ disputauimus. Sit ergo.

33. Prima conclusio, *Impossibile est naturaliter & de potentia ordinaria materiam esse absque aliqua forma substantiali.* Est communis & indubitata apud omnes, & probatur ex naturali ordine agentium tam superiorũ quàm inferiorum: quia agentia naturalia non intendunt per se destructionem formæ præcedentis in materia, sed potius introductionem propriæ alterius vt formæ, ergo quoties destruunt formam præexistentem, introducunt aliam. Et confirmatur, quodcumque agens naturale, quod denudaret materiam primam vsque ad vltimam formam, posset subito introducere aliam, ergo talem necessario introducit: nam agens naturale necessario agit tantum, quantum agere potest, per quod distinguitur ab agente libero, ergo si potest aliam introducere, illam necessario introducit. Et consequenter virtute agentium naturalium & attentâ ipsorum naturâ fieri nequit vt materia existat absque aliquâ forma. Quod argumentum vt bene notat Noster Poncius hic n. 54. semper habet efficaciam: nam vt libris de generat. dicemus, materia prima est immediatum subiectum generationis & ex se disposita ad recipiendam formam substantialem sine vllis accidentibus mediis, propterea nunquam non introducetur noua forma.

Dices, hoc argumento probari materiam, quæ iam creata est, non posse denudari ab omni forma virtute agentis naturalis, non autem conuinci in prima productione non potuisse à Deo produci solum & sine vllo miraculo extitisse sine omni forma: ℞. Hoc vltimum aperte contrariari communi consensui maioris partis Philosophorum,

tum etiam authoritati scripturæ: *Creauit Deus Cœlum & Terram*, vbi Cœlum & terra non significat materiam sine forma, sed formatam forma Cœli & forma terræ; tum denique ex ipsa entitate materiæ, quæ quia incompleta est & ex se vltimate disposita, tanquam per se potentia exigit naturaliter pro quocumque instanti coniungi cum altero complemento, quod est forma.

Sed contra obiicies. Agens separans animam à corpore non est determinatum ad producendam aliam formam substantialem in corpore illo (saltem in nostra sententia negante formam cadaueris introduci) licet corpus illud sit incompletum Physicè & in per se potentia ad aliquam formam, ergo quamuis materia sit incompleta & in per se potentia ad formam substantialem, agens separans vnam formam non debet esse determinatum necessario ad producendam aliam. Respond. neg. conseq. & ratio disparitatis est, quod quando separatur anima à corpore, corpus non reperitur dispositum sufficienter ad vllam aliam formam, propterea agens non potest nec debet esse determinatum ad producendam vllam aliam formam in illo; at vero quãdo separatur omnis forma substantialis à materia, esset tunc optime disposita ad recipiendam aliquam aliam formam. Propterea addidi, *quia incompleta est & ex se vltimate disposita*, atque adeo deberet necessario alia produci.

34. Secunda conclusio, *Possibile est de potentia absoluta & miraculoso modo materiam primam existere sine omni formâ substantiali.* Ita Scotus 2. d. 12. quæst. 2. & omnes Authores qui cum ipso ponunt in materia propriam existentiam, contra Thomistas quos q. 3. impugnauimus. Probatur *primo*, nulla apparet repugnantia in eo quod vnum absolutum distinctum realiter ab alio & prius naturâ ipso conseruetur sine illo per potentiam Dei absolutam; sed materia prima est quoddam absolutum realiter distinctum ab omni forma substantiali & prius illa: ergo poterit per potentiam Dei absolutam conseruari sine ipsa: ma. probabitur solutione argumentorum vel instantiarum in contrarium, & minor certa est apud omnes. *Secundo* probatur, quidquid Deus potest immediate creare, potest immediate conseruare; sed immediate creauit materiam primam & non mediante forma, ergo potest ipsam immediate conseruare sine forma. *Tertio* magis pendent accidentia à subiecto: quia dependent à priori, quam materia à forma, quæ solum pendet à posteriori; sed accidentia conseruantur miraculose sine subiecto in Eucharistia, ergo & materia sine forma potest conseruari.

35. Dices 1. pro Thomistis, materiam primam esse quidem priorem forma substantiali in esse materiæ, non tamen in esse existentis: nam cum recipiat existentiam à forma, præsupponit formam existere, antequam ipsa existat. Respond. argumentum supponere materiam non habere propriam existentiam, quod esse falsum probauimus supra. Item dato quod acciperet existentiam à forma, posset Deus communicare illi aliam existentiam, per quam miraculose existeret: sicut in sententia D. Thom. natura humana Christi Domini existit per existentiam Verbi Diuini. Deinde si materia prima in esse materiæ est prior formâ, inquiro, illud esse materiæ vel est purum nihil, vel quid realiter & extra causas productum? primum non dices, ergo secundum; sed quod taliter habet esse, vere & proprie existit, ergo etiam in esse existentiæ est prior forma.

Dices

Dices 2. etiam ſubſtantiam ſingularem eſſe quid abſolutum diſtinctum realiter à quacumque ſubſiſtentia, quæ etiam eſt quid abſolutum, & tamen conſeruari nequit abſque aliqua ſubſiſtentia. Item materia & forma vnitæ, ſunt priores toto compoſito, quod eſt quid abſolutum, & tamen nequeunt abſque illo conſeruari; ſimiliter & actio quæ prior eſt ſuo effectu, dari nequit ſine illo, ergo maior primi ſyllogiſmi non eſt abſolute vera: ℞. ad primum, omittendo vſque ad Metaphyſicam, quid ſit ſubſiſtentia; Prædictam maiorem eſſe veram, niſi poſterius ſequatur à priori per emanationem, ſine actione aliqua particulari diſtinctâ ac terminatâ ad illud poſterius. Si autem ſubſiſtentia ſit talis, tunc debet neceſſario ſequi per emanationem aliqua ſubſiſtentia à naturâ, niſi ponatur in natura vnio ad aliam ſubſiſtentiam, vt contingit in Incarnatione; at vero forma non ſequitur per emanationem à materia ſiquidem requirit actionem aliquam nouam cauſæ educentis, ergo quamuis ſubſtantia conſeruari nequeat abſque aliqua ſubſiſtentia, bene tamen materia ſine vlla forma. Ad ſecundum dico, quod materia & forma vt vnitæ, non ſunt quid abſolutum, quia dicunt formaliter vt ſic vnionem, quæ eſt reſpectus vt infra dicemus. Item vnionem eſſe cauſalitatem, quâ producitur ipſum totum, & conſequenter eſſe reſpectum actualem ad totum. Et hoc idem dicendum eſt de actione reſpectu effectus. Ex quo apparet ratio diſparitatis pro his & aliis inſtantiis, quæ adducuntur à Thomiſtis.

36. Obiicies 1. Si materia exiſteret ſine forma contineretur ſub genere corporis & non eſſet in aliqua ſpecie infima, quod repugnat, ergo &c. Patet ſequela, quia omnis ſpecies ſumitur à forma. Hoc argumentum, quod valde extollitur à Caietano, videtur etiam probare, materiam primam non habere eſſentiam diſtinctam ab eſſentia formæ: quia illa eſſentia continetur ſub genere corporis, & tamen non eſt in aliqua ſpecie infima hominis vel leonis. Neque video quid ad hoc conducat eam poſſe aut non poſſe ſolam exiſtere. Nihilominus ℞. materiam ſicut eſt inadæquate in genere corporis (corpus enim eſt quoddam compoſitum ex materia & forma) ita etiam eſſe inadæquate in ſpeciebus infimis hominis vel leonis, non per formam Phyſicam, ſed per formam metaphyſicam, per quam conſtituitur in eſſe peculiari diſtincto ab eſſe formæ. Quod ſi ad hoc vltra requireres formam Phyſicam, deberes ipſam ponere in Angelis, quod implicat, ergo &c.

37. Obiicies 2. Deus non poteſt ſupplere defectum cauſæ formalis: non enim poteſt facere album ſine albedine, ſed materia prima pendet à forma in genere cauſæ formalis, ergo defectus illius non poterit à Deo ſuppleri: ℞. conceſſa ma. neg. mi. nam ſi forma comparetur ad totum compoſitum, cuius eſt pars, verum eſt non poſſe à Deo ſuppleri defectum eius: quia nequit facere hominem ſine anima rationali per ſolam materiam. Si autem comparetur forma cum materia, quæ eſt altera pars compoſiti, cum non ſit pars eius, atque adeo neque cauſa intrinſeca reſpectu ipſius, exiſtente materia ſine forma, adhuc non ſuppletur à Deo effectus aliquis formalis. Item retorqueo argumentum contra ipſos: nam ſicut Deus non poteſt ſupplere defectum cauſæ formalis, ita neque defectum cauſæ materialis, atq; adeo ſicut non poteſt facere hominem ſine anima rationali, ita nec ſine materia

prima: ergo sicut ibi intulistis materiam non posse esse sine anima vel alia forma, ita debetis inferre neque animam posse esse sine corpore, cuius falsitas manifeste constat.

Obiicies 3. Et est argumentum Scoti. Quanto aliqua sunt magis vnum sunt minus separabilia; sed materia est magis vnum cum forma, quam passio cum suo subiecto, & tamen passio non potest separari à subiecto etiam de potentia Dei absoluta, ergo neque materia à forma: Respondet Scotus maiorem procedere de vnitate metaphysica, quæ est identitas, quaque passio vnitur cum subiecto in nostra sententia; non vero de vnitate physica, quæ est vnio, quaque materia vnitur cum forma. Vnde in rigore sermonis materia & forma non sunt vnum, sed faciunt vnum, atque adeo minor syllogismi supponit falsum.

38. Ex dictis reiicies modum dicendi, quem immerito tribuit Suatio noster Poncius nimirum quod licet materia habeat existentiam distinctam à forma dependet tamen connaturaliter ita ab ipsa tanquam à communicante sibi existentiam; vt licet absolute & simpliciter possit de potentia absoluta conseruari absque omni forma substantiali; Tamen hoc non possit fieri, quin Deus concursu particulari suppleat defectum influxus formæ. Quare si solum haberet talem influxum ad conseruationem materiæ qualem habet de facto, & destrueret formam, desineret necessario materia. Reiicies (inquam) hac vnica ratione: quia materia præsupponitur formæ tanquam causa materialis, ex cuius potentia educitur & à cuius reali influxu pendet, ergo materia non potest dependere ab vllo influxu reali formæ, antecedens supponitur etiam ab aduersariis vt certum, & consequentia probatur: quia non datur mutua causalitas inter causas realiter influentes: vt disp. sequenti à numero 87. ex professo probabimus, ergo &c.

39. Aduerte vlterius pro complemento Quæstionis ipsam solum processisse de forma substantiali, de qua præcise oportet nos habere controuersiam in præsenti: nam de accidentali absoluta v. g. calore, frigiditate &c. pertinet ad libros de generatione vbi disputabimus: An subiectentur immediate in materia prima? De accidentali vero relatiua pertinet ad Metaphysicum. Breuiter tamen dico, ipsam non posse esse sine relatione ad Deum vt creantem: quia hæc relatio est idem realiter cum ipsa & cum omni creatura; esset autem sine relatione vbicationis & durationis, si crearetur à Deo extra vniuersum (vt possibile est creare) non vero si crearetur intra vniuersum: quia tunc esset in loco definitiue, sicut Angelus sed de hoc postea.

QVÆSTIO VII.

Vtrum materia prima appetat omnes formas?

40. Nota duplicem esse appetitum, *elicitum* scilicet & *innatum*, seu vt alij dicunt *intentionalem* & *naturalem*, Elicitus est quidam appetitus sequens cognitionem, quo aliquis nititur in prosequutioné vel fugam alicuius obiecti delectabilis vel tristabilis, & talis vocatur appetitus animalis (& iste proprie dicitur appetitus) & est duplex: nam quidam sequitur cognitionem intellectiuam & vocatur appetitus intellectiuus seu rationalis, qualis est voluntas: alter sequitur cognitionem sensitiuam & vocatur appetitus sensitiuus, qui

reperitur

reperitur in brutis. Appetitus vero innatus seu naturalis est quædam inclinatio seu propensio indita ab authore naturæ, qua vnaquæque res absque vlla cognitione in bonum sibi conueniens est propensa: Et hoc modo inclinatur graue in locum deorsum, & ignis in locum sursum. Quæstio non procedit de priori appetitu: est enim satis per se manifestum, cum materia prima sit expers omnis cognitionis. Dubitatur ergo an habeat appetitum innatum ad omnes formas, & qualiter?

41. Sit prima Conclusio, *Materia prima appetit naturaliter quamcumque formam substantialem.* Est communis & probatur quia quælibet forma substantialis naturaliter perficit materiam & cum ea facit vnum per se compositum substantiale, ergo naturaliter appetit quamlibet: vnum quodque enim appetit naturaliter bonum sibi proportionatum atque conueniens; sed quælibet forma est bonum proportionatum atque conueniens materiæ, quia materia per quamlibet formã est perfectibilis substantialiter, ergo &c.

Dices 1. Si materia prima appetit quamlibet formam, ergo appetit quam habet; sed hoc non est dicendum: nihil enim appetit quod possidet, ergo &c. ℞. conced. sequel. neg. mi. & dist. probationem: nihil appetit quod possidet appetitu elicito omitto, appetitu innato, neg. Imo appetitu elicito complacentiæ potest appeti res possessa sicut appetitu desiderij res nondum possessa.

Dices 2. Si materia appetit appetitu naturali formam nondum possessam, ergo stat violenter sub forma possessa, & consequenter non appetit ipsam naturaliter: ℞. ex Scoto 1. d. 1. quæst. 1. in fine, materiam non appetere determinate formas nondum habitas tanquam oppositas possessis, ita quod ab istis abhorreat, & inclinetur determinate & præcise in illas, sed potius indifferenter in hanc vel illam: nam per quamcumque perficitur, propterea non stat violenter sub forma habita: *Quia solum dicitur quies violenta* (inquit Scotus) *quando quiescens determinate inclinatur ad oppositum*: verbi gratia, Graue stat violenter in loco sursum, quia determinate inclinatur in locum deorsum.

42. Obiicies 1. si materia appetit formam absentem, sequitur, quod appetat destructionem formæ possessæ; sed hoc est falsum: quia etiam possessam appetit, vt dictum est, ergo &c. probatur sequela, quando appetitur finis, etiam appetitur medium necessarium ad illum finem; sed destructio formæ habitæ est medium necessarium ad habendam formam non habitam, ergo &c. ℞. neg. sequelam, & dist. mai. probationis, si medium sit simpliciter necessarium, concedo, si non sit, nego. Vnde cum destructio formæ habitæ non sit medium simpliciter necessarium ad acquisitionem formæ non habitæ: posset enim forma non habita acquiri, quamvis non præfuisset forma habita; hinc est destructionem illam esse medium requisitum solum secundum quid & ex hypothesi quod præcedat alia forma.

Quod si dicas, saltem carentia formæ habitæ est medium simpliciter requisitum ad habendam formam non habitam, ergo debet appetere carentiam hanc, & consequenter non potest appetere formam sibi oppositã, alias appeteret formam & carentiam eius simul: ℞. aliter dist. ma. illam probationis. Qui appetit finem, appetit medium necessarium ad illum si finis nequeat haberi, nisi medium illud necessarium appetatur concedo, si

si possit haberi quamuis non appetatur nego: Vnd e concessa mi. nego conseq. nam bene posset materia acquirere formam non habitam, licet non appetat destructionem aut carentiam formæ habitæ. Et in rei veritate hæc connexio seu concomitantia appetitionis medij & finis solum contingit in appetitu elicito præsertim efficaci, non in innato. Quare posset etiam in hoc sensu reddi disparitas.

43. Inquires, *Quid dicat de formali iste appetitus materiæ; Et an sit quid distinctum realiter ab ipsa?* ℞. hunc appetitum formaliter sumptum esse respectum quemdam transcendentalem identificatum realiter materiæ; Nec obstat terminari ad formas nondum productas & ad formas iam deperditas, vnde sequeretur dari relationem realem existentem terminatam ad rem solum possibilem & nondum existentem, imo impossibilem naturaliter existere, quod est falsum. Non (inquam) obstat: quia huiusmodi relatio non est actualis, sed aptitudinalis, ad quam sufficit possibilitas existentiæ sui termini, siue per naturale, siue per supernaturale agens ponatur. Solum ergo dicit de formali respectum aptitudinalem id est aptitudinem ad habendam formam quamcumque indifferenter: per quamlibet enim est perfectibilis.

44. Inquires 2. *An materia dicat vnum numero appetitum ad omnes formas, An vero tot appetitus, quot sunt formæ?* ℞. loquendo de appetitu formaliter sumpto (nam fundamentalem, certum est esse vnicum, est enim ipsa entitas materiæ, quæ fundat talem respectum) probabilius mihi videri, esse vnicum ad omnes formas: nam cum sit respectus transcendentalis (vt dixi) vnus sufficit: alias crescerent in infinitum, quoniam sunt infinitæ formæ possibiles, ad quarum quamlibet materia dicit respectum transcendentalem.

Nec obstat, si Obiicies 1. locum Scoti 1. disp. 1.q. 1. in fine, vbi ait: *Quod non quæcumque forma satiat appetitum materiæ totaliter extensiue: tot enim sunt appetitus materiæ ad formas, quot sunt formæ receptibiles in materia, nulla igitur vna forma potest per se satiare omnes appetitus materiæ ad formas, sed vna satiat perfectissime: scilicet forma perfectissima; illa tamen non satiat omnes appetitus materiæ, nisi in illa vna forma omnes formæ includerentur* 2. Relationes multiplicari multiplicatis terminis, ergo cum plures sint formæ appetibiles à materiâ, plures erunt appetitus formales qui sunt respectus ad ipsas terminati: ℞. ex his solum conuinci probabilitatem alterius partis. Nihilominus ℞. pro probabiliori parte & explico Scotum, intelligendo ipsum de appetitu proximo, quatenus inuoluit etiam dispositiones actuales, non vero de appetitu qui est respectus identificatus realiter materiæ. Certum autem est, quod tot habeat dispositiones diuersas de facto quot recipit formas diuersas, respectu quarum præcise opus est multiplicare hos appetitus in materia. Quare licet ad formam distinctam numero ab habitâ materiâ habeat appetitum: est enim perfectibilis per ipsam æqualiter ac per habitam, tamen non diuersum; sed solum respectu formæ diuersæ etiam in specie. Ad rationem dico, antecedens esse verum de relationibus prædicamentalibus, non de transcendentalibus & aptitudinalibus, qualis est iste appetitus. Et ratio est quia relationes prædicamentales pendent essentialiter ab existentia suorum terminorum, non vero transcendentales, quæ identificantur cum suis fundamentis.

45. Ex

45. Ex prædicta authoritate Scoti obiter colliges minus bene intellexisse Doctorem nostrum Poncium hic n.114. asserentem : quod si materia haberet formam vnam includentem perfectiones omnium aliarum formarum, adhuc appeteret alias formas imperfectiores ; nec satisfacit dicendo , quod non opponuntur satietas & appetitus innatus, ex eo quod satietas materiæ consistit in completione, quam dat forma informans , appetitus autem consistit in perfectibilitate seu complebilitate per formam , completio autem & complebilitas compatiuntur adeo , vt nihil compleatur, quod non sit complebile ; non (inquam) satisfacit quia complebilitas per quam hic explicatur appetitus materiæ , dicit & connotat necessario carentiam formæ , quæ appetitur ; hæc autem non stat cum omnimoda satietate habita per possessionem illius formæ perfectissimæ includentis perfectiones omnium aliarum formarum , ergo neque ad mentem Scoti neque ad veritatem ipsam respondet hæc solutio :

46. Secunda conclusio. *Materia prima non appetit æqualiter omnes formas , sed magis appetit perfectiores.* Colligitur ex Scoto 4. dist. 49. q. 10. & dist. 50. q. 5. Tenet eam Poncius hic, qui & alios citat. Probatur, quia appetitus materiæ nihil aliud est quam perfectibilitas eius ; sed est magis perfectibilis per perfectiorem formam, ergo magis appetit illam.

Obiicies , appetitus materiæ est eius potentia passiua naturalis , quæ indifferens est & quantum est ex se non magis determinatur ad vnam formam quam ad aliam : alias vt supra dicebamus ex Scoto violenter esset sub forma perfectiori: Et confirmatur ex eo quod, appetere magis maius bonum est proprium appetentium cognitiuorum, qualis non est materia prima, ergo, &c. ℞. Esse indifferentem quantum ad hoc, quod per omnes possit perfici, & quod ex se non magis posset habere vnam, quam alteram ; non vero vt non magis appetat vnam quam alteram. Ad probationem dico, quod licet sit magis determinata ad vnam quam ad alteram, quatenus magis appetit vnam quam alteram , non tamen inde sequeretur esse in statu violento sub his formis, quas minus appetit : quia ad hoc necesse esset, quod appeteret formas perfectiores determinate tanquam oppositas imperfectioribus, à quibus abhorreret, quod non ita est: siquidem etiam ipsas appetit, licet minus. Ad confirmationem dico , quod appetere magis maius bonum appetitu elicito est quidem appetentium cognitiuorum , non vero appetitu innato , cui etiam suo modo competit magis & minus appetere, idest inclinare.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum materia prima sit in potentia naturali ad omnes formas ?

47. NOtandum , aliud esse materiam habere potentiam præcise , aliud potentiam naturalem : nam potentia præcise solum dicit capacitatem ; & potentia naturalis addit rationem appetitus innati. Patet exemplo in aqua v.g. quæ habet potentiam & capacitatem ad recipiendum calorem, non tamen potentiam naturalem , quia determinate appetit frigiditatẽ appetitu innato. Diuiditur autem potentia receptiua (sumendo ipsam in ordine ad formam , quam recipit) in naturalem, violentam, & neutram. Sic Scotus q.1. prologi. num. 20. Tunc dicitur naturalis , quando forma , quam recipit est

iuxta

iuxta suam naturalem inclinationem; erit violenta, si forma est contra naturalem inclinationem, & erit denique neutra, si comparetur ad formam, respectu cuius nec renitentiam habet nec inclinationem.

Si autem comparetur potentia ad agens introducens formam, vel est naturalis, quando scilicet agens inducit formam iuxta leges naturæ, vel supernaturalis, quando scilicet miraculose & præter leges naturæ inducit formam. Ad istam potentiam supernaturalem reducitur potentia, quam vocant Thomistæ obedientialem: dicunt enim esse subiectionem illam, quam habet creatura nutui creatoris, vt ex ipsa faciat, quidquid voluerit. Si ergo agens præter leges naturæ & miraculose inducit formam, materia respectu ipsius agentis habet potentiam obedientialem seu supernaturalem; respectu autem formæ, si est iuxta suam naturalem inclinationem, erit in potentia naturali; si contra inclinationem, in potentia violenta; si denique neque iuxta, neque contra inclinationem, erit in potentia neutra: v. g. Deus se solo inducit in aquam nunc calorem, postea frigiditatem, tunc aqua in ordine ad agens erit in potentia obedientiali, in ordine ad frigiditatem in potentia naturali, & in ordine ad calorem in potentia violenta. De potentia autem neutra in ordine ad formam adduci possunt plurima exempla: vt de potentia cæli ad motum circularem, & de elementis simplicibus in ordine ad colores, quæ quia neque inclinationem neque renitentiam dicunt ad istas formas, propterea sunt in potentia neutra in ordine ad ipsas. His præmissis.

48. Sit conclusio. *Materia prima est in potentia naturali ad omnes formas substantiales siue possessas, siue possidendas, siue iam deperditas.* Colligitur ex Scoto variis in locis, & quoad posteriorem partem est contra aliquos authores: Arriagam hic disp. 2. sect. 4. & alios. Probatur quia potentia naturalis materiæ est eius appetitus innatus ad quamcumque formam tanquam sui perfectiuum; sed iste appetitus (vt diximus q. præced.) est idem realiter cum materia, atque adeo inseparabilis ab ipsa, ergo siue forma sit possessa siue possidenda, siue etiam iam deperdita, semper materia habebit potentiam naturalem ad ipsam.

Obiicies 1. Materia prima non plus appetit formam huius ignis, quam illius, ergo saltem ad formas, quæ sunt eiusdem perfectionis, erit in potentia neutra: ℞. conceff. anteced. neg. conseq. quia potentia neutra dicit carentiam violentiæ & naturalitatis tanquam membrum omnino diuisum ab vtraque: vt patet ex notabili supra. Quare cum materia habeat inclinationem naturalem ad quamcumque formam ignis, ad nullam est in potentia neutra.

49. Obiicies 2. Forma semel corrupta non est naturaliter producibilis, ergo materia prima non est in potentia naturali ad formas iam corruptas: ℞. conceff. anteced. neg. conseq. quia materia habet potentiam naturalem ad quamcumque formam substantialiter perfectiuam ipsius, siue sit amissa siue non, siue producibilis per agens naturale siue supernaturale. Quod confirmatur exemplo animæ rationalis, quæ etiamsi à solo Deo produci possit, est tamen in materia potentia naturalis ad ipsam. Deinde hoc constat ratione: nam inter quæ est vnio naturalis debet esse potentia naturalis, vt inter se vniantur; sed inter materiam & animam est vnio naturalis, ergo inter illa est potentia

tia naturalis, vt inter se vniantur; sed anima à solo Deo produci potest, ergo quantumuis à Solo Deo produci possit forma semel corrupta, habebit nihilominus materia potentiam naturalem ad ipsam.

Nec obstat si dicas, vnionem formæ iam corruptæ cum materia esse supernaturalem ex parte viæ seu motus, idest quod solum agens supernaturale potest ipsam vnire. Nam contra hoc est maximum inconueniens in bona Philosophia: quia sequeretur, supposito quod solus Deus de nouo produceret formam ignis & introduceret in materiam primam, non esse potentiam naturalem in materia ad talem formam: patet sequela, nam talis vnio ex parte motus & vnientis esset supernaturalis; sed quis dicet materiam primam non habere potentiam & appetitum naturalem ad formam ignis de nouo producendam siue à solo Deo, siue ab alio igne? Nullus profecto, ergo cum forma corrupta ex parte termini sit naturalis: continetur siquidem in virtute agentis naturalis, licet ex parte motus idest suæ reproductionis sit supernaturalis, erit tamen in materia potentia naturalis ad ipsam: & confirmatur vlterius: quia corrupta forma manet priuatio illius in materia, ergo manet aptitudo, atque adeo potentia naturalis ad ipsam: patet consequentia: nam priuatio est carentia formæ in subiecto apto, ergo si habet priuationem, habet aptitudinem & potentiam naturalem.

50. Est tamen aduertendum pro exacta huius rei notitia, potentiam vt in plurimum sumi provt dicit seu connotat carentiam actus seu formæ, ad quam dicitur potentia: Sic non solet dici quod Pontifex sit in potentia vt sit Pontifex, sed quod actu sit Pontifex, & in hoc sensu materia non diceretur esse in potentia ad formam, quam habet; sumitur etiam potentia pro ipsa entitate absoluta, quæ absente forma dicit seu includit talem carentiam. Et in hoc sensu materia potentiam habet ad formam habitam. Quare cum assumitur à contrariis quod sequeretur, materiam esse in potentia & in actu simul, distinctione prædicta responderi potest; vel etiam neg. absolute sequelam: nam sicut non deperditur potentia causæ efficientis adueniente actu ipsius; verbi gratia potentia intellectiua adueniente intellectione, & calefactiua adueniente calore, sic nec debet perdi potentia susceptiua, adueniente formâ susceptâ.

QVÆSTIO IX.

Quid sit priuatio, & quo pacto habeat rationem principij, vt à materia & forma distinguitur.

PRobauimus supra quæst. 1. priuationem esse principium generationis, seu entis naturalis in fieri, & quia prior est ordine naturæ quam forma substantialis, ideo postquam de materia egimus immediate de priuatione, antequam de formâ tractabimus.

51. Sit prima conclusio. *Priuatio est carentia formæ in subiecto apto nato ad habendam talem formam.* Ita Aristotel. & communiter Philosophi. Ponitur ly *carentia formæ* loco generis, in quo conuenit priuatio cum negatione, ly *in subiecto apto* ponitur loco differentiæ, per quod differt ab ipsa negatione, quæ est carentia formæ in subiecto non apto. Tripliciter autem

potest aliquod subiectum dici priuatum aliquâ formâ. *Primo* secundum rationem genericam præcise v.g. Talpa dicitur habere priuationem visus non secundum rationem specificam vt talpa est, sed secundum rationem genericam, in quantum est animal. *Secundo* potest dici priuatum bene secundum rationem specificam, sed non pro omni duratione temporis: v.g. catulus dicitur priuatus visu secundum rationem specificam, sed ante nonum diem non dicitur priuatus: quia prò illo tempore est ineptus ad visum. *Vltimo*, sumitur priuatio proprie & stricte pro carentia formæ in subiecto apto nato ad habendam talem formam secundum speciem suam & secundum tempus à natura statutum: vt carentia visus in homine & frigiditatis in aqua.

Dices, ergo materia prima quæ est sub forma ligni non habet proprie priuationem formæ ignis, patet sequela, quia non pro quocumque tempore potest eam recipere: non enim pro tempore pro quo habet formam ligni. ℞. aptitudinem proximam, quæ requiritur ex parte subiecti ad propriam & strictam priuationem, non tolli per aliquod impedimentum extrinsecum, sed solum attendi penes capacitatem subiecti, quod quantum est ex se pro quocumque instãti potest recipere formam: ex hoc potest fieri satis argumẽto.

52. Secunda conclusio, *Priuatio congrue appellari potest ens reale priuatiuum seu negatiuum.* Ita colligo ex Scoto 1. d. 23. num. 5. nam cum ens reale congrue & communiter sumatur pro ente quod habet esse extra animam contradistinctũ enti rationis, quod habet esse in anima, idest quod habet esse & causatur in rebus à solo intellectu: Priuatio quæ in suo esse, quod est priuare seu negare aliquid de subiecto, nullatenus dependet à negatione aliqua intellectus, proprie, & merito appellari potest ens reale priuatiuum.

Nec placet sententia aliquorum Scotistarum, qui asserunt priuationem esse ens rationis: dicunt enim, omne quod nequit habere veram & realem existentiam, seu cui repugnat verum esse reale siue fiat ab intellectu, siue sit ab illo independens, esse ens rationis. Hic namque modus ampliandi ens rationis nimis voluntarius videtur, & contra ipsum est etylomogia ipsa nominis *ens rationis*, quod nihil aliud significat quã ens factum à ratione, sed de hoc latius in Metaphysica, vbi de essentia entis rationis.

53. Tertia conclusio, *Priuatio distinguitur realiter negatiue: idest non est idem cum materia & forma.* Hæc conclusio sufficienter manet probata sup. quæst. 1. vbi inter principia rei naturalis annumerauimus priuationem tanquam principium diuersum à materia & forma, probatur tamen. Illa distinguuntur seu non sunt idem realiter, quorum vnum potest separari ab altero; sed priuatio est separabilis à materia & forma, ergo, probatur mi. quoad materiam quia adueniente forma perit priuatio eius, & manet materia sine tali priuatione, ergo priuatio separatur à materia: patet etiam minor quoad formam: quia priuatio & forma, cuius est Priuatio opponuntur immediate, propterea non solum non sunt inseparabilia, sed neque vniri possunt simul in vno subiecto.

54. Quarta conclusio, *Priuatio exercet munus principij generationis naturalis, non quando actu inest materia sed quando desinit inesse materia.* Probatur quia in instanti generationis iam est ipsa forma, ergo cum ex oppositione immediata quam inter se habent forma & priuatio, nequeant esse simul, in illo instanti generationis non potest inesse

inesse priuatio. Vnde principiat non quando est, sed quando non est: Est enim principium *à quo* cuius est principiare per desitionem sui.

55. Inquires, qualiter *Priuatio debeat præcedere formam in generatione substantiali*? ℞. quod debeat præcedere tempore iuxta dicta superius q. 1. num. 6. Nec ob hoc productio compositi constantis materia, in qua non præcederet tempore materia cum priuatione, sed solum natura formam, non esset generatio: quia vt in libris de generat. quæst. 1. dicemus, Ad generationem non est essentialiter requisita ratio mutationis, in qua subiectum vere transit de non esse tale ad esse tale; atque adeo nec quod priuatio sit in omni generatione dabili principium, sed in illis solum quæ via naturali contingunt.

Dubitabis. Vtrum Priuatio percipiatur sensu? ℞. negatiue: quia per sensum solum percipiuntur entia positiua. Quod si vmbra & tenebræ videantur percipi per visum, non est quia vere percipiantur, sed quia intellectus colligit, ex eo quod potentia recte disposita nihil videt, ibi esse carentiam lucis. Et sicut auditus non audit carentiam soni, sed intellectus infert, non esse sonum: quia nihil audit, ita visus non percipit tenebras seu carentiam lucis.

QVÆSTIO X.

An sit & quid sit forma substantialis?

NOtandum varias esse acceptiones formæ: diuiditur *primo* in metaphysicam, quæ est differentia essentialis cuiuscumque speciei, & in physicam. Quæ rursus diuiditur in artificialem, & est illa quæ producitur per artem, vt forma cathedræ, & in naturalem, quæ iterum subdiuiditur in accidentalem & substantialem, & substantialis iterum subdiuiditur in assistentem, quæ est illa, quæ per extrinsecam assistentiam mouet aliquod corpus: vt sunt intelligentiæ motrices orbium cœlestium: & in informantem, quæ actuat materiam & simul cum illa componit corpus & totum substantiale. Et de hac forma physica substantiali informante procedit Quæstio; quia hæc solum est quæ sortitur rationem principij entis naturalis. Quæ adhuc est duplex, alia est naturaliter separabilis à materia: vt forma hominis scilicet anima rationalis, alia naturaliter inseparabilis, eo quod destructo composito, ipsa desinit esse, & habet quatuor gradus: in primo & omnium imperfectissimo collocantur formæ elementorum; in secundo formæ mixtorum, in tertio formæ plantarum, & in quarto formæ animalium.

56. Prima conclusio. *Datur in rebus forma substantialis.* Hæc est veritas communiter recepta cum Aristot. hic contra quosdam veteres Philosophos, probatur: quia aqua v.g. quantumvis calefiat, relicta tamen suæ naturæ recuperat pristinam frigiditatem, ergo manet in ipsa aliquod principium illius frigiditatis; sed hoc non est materia: quia hæc non exigit frigus potius quàm calorem, ergo est forma substantialis aquæ. Deinde omnes operationes entis naturalis vel radicantur in aliquo principio, quod eo ipso erit forma substantialis; vel sunt inter se disparatæ & hoc est falsum: videmus enim in equo v.g. post mortem deficere omnes operationes, motum, vitam &c. Item in igne exstincto deficere illuminationē, calefactionem, exsiccationem &c. ergo omnes illæ operationes connexæ erant

 inter-

inter se & radicatæ in aliquo principio primo & substantiali. Hinc intelliges quare ferrum quantumuis candens, si separetur ab igne, recuperat priora accidentia, quod non contingit in papyro aut stupa accensis: quia ferrum non amisit formam substantialem. Plura alia adduci possent in confirmationem huius veritatis, quæ vide apud nostrum Poncium hic disp. 33. quæst. 1.

57. Secunda conclusio, *Forma substantialis est actus substantialis vnum per se compositum physicum cum materia constituens.* Hanc definitionem tradunt interpretes Aristotelis ad explicationem alterius quam tradit ipse Aristot. 2. Physicor. cap. 2. Explicatur & probatur eius sufficientia. Dicitur *actus* ad excludendum materiam, per ly *substantialis* excluduntur accidentia seu formæ accidentales. Denique dicitur *vnum per se compositum cum materia constituens* propter intelligentias & formas substantiales assistentes, quæ nequeunt cum materia vnum per se constituere.

Dices, vel forma substantialis ita est actus vt careat omni potentialitate, vel ita vt constet ex actu & potentia: Non primum alias esset actus purus & consequenter Deus: Neque secundum alias non esset simplicior quam totum, quod hac sola compositione intrinsece constat, ergo non potest habere rationem actus: ℞. formam substantialem esse actum simplicem, non tamen actum purum quia etsi non componatur ex actu & potentia Physicis, ordinatur tamen ad componendum totum Physicum ex prædicto actu & potentia constans; at vero actus purus nec componi potest ex aliis, nec componere per modum actus & informantis, imo neque ordinari ex natura sua ad talem compositionem. Et Nota, formam substantialem non esse ita simplicem, quod excludat omnem omnino compositionem: Componitur enim forma substantialis materialis ex partibus integrantibus iuxta diuersitatem partium materiæ, in qua recipitur.

QVÆSTIO XI.

Vtrum formæ educantur de potentia materiæ.

58. IN hac quæstione explicandus est modus, quo formæ dicuntur fieri ex materia. De qua re magna fuit inter antiquos Philosophos dissensio, aliquibus dicentibus, formas omnes actu præexistere in materia & in ea latere, solumque per generationem apparere, non vero de nouo produci; aliis vero asserentibus nullo modo præexistere in materia, sed solum in virtute agentis cuiusdam superioris, dicique nihilominus fieri ex materia, eo quod illud agens superius, in cuius virtute actiua continebantur, non illas inducebat in materiam, quousque materia ab agentibus particularibus & inferioribus disponebatur & adaptabatur ad illarum introductionem. Sed quidquid sit de interpretatione & improbabilitate harum opinionum, vera sententia quæ à nobis tenenda est, quia & Aristotelis & omnium interpretum eius Scoti 2. dist. 18. D. Thom. 1. p. q. 45. art. 8. & omnium aliorum tenet formas præexistere virtualiter in materia, dicique in generationibus entium naturalium formas fieri ex materia, quia de eius potentia educuntur, excepta anima rationali, quæ non educitur de potentia materiæ, sed à solo Deo creatur, & consequenter neque dicitur fieri ex materia, sed creari in materia. Quid autem sit formas educi de

de potentia materiæ ? In controuersia est apud Peripateticos Philosophos. Pro cuius explicatione,

59. Nota *primò*, formas materiales (de quibus hic disputamus) dependere à materia in fieri, esse, & conseruari, per quas dependentias differt earum productio à productione animæ rationalis & aliarũ, quas potest Deus creare. Quare cum se habeant exclusiue *educi formã de potentia materiæ, & formam creari*, si differentiam inter hos modos producendi formas assignauerimus, vtique tota ratio eductionis formæ de materia manebit explicata. In vno ergo instanti temporis, in quo fit generatio, assignare possumus duo instantia seu signa naturæ, in primo forma fit & habet esse, in secundo recipitur & vnitur materiæ: id est in primo signo agens naturale quasi ex visceribus materiæ extra adducit formam (hoc enim sonat educere) in secundo forma quasi inducitur idest recipitur in materia. Et per dependentiam explicatam in illo priori signo differunt inter se productio formæ per eductionem, & productio formæ per creationem. Hanc doctrinam colligo ex Scoto 4. dist. 1. q. 1. vbi docet, quod forma, quæ creatur, producitur prius natura, quàm vniatur, & consequenter quod non dependeat ab vnione ad subiectum, ergo intendit formam, quæ non creatur, non posse produci prius quàm vniatur, & consequenter eam dependere in suo fieri à materia. Eandem doctrinam habet 2. d. 17. q. 1. & 1. d. 17. q. 2. n. 34. vbi ex eo negat, actum charitatis creari: quia præsupponitur ad ipsum aliquod receptiuum scilicet voluntas; quod debet intelligi de præsuppositione receptiui non solum quoad recipi formæ sed etiam quoad eius fieri: alias habitus charitatis non crearetur: supponit enim subiectum ad sui receptionem; nam in voluntate & non extra illam producit Deus habitum charitatis. Idem posset dici de anima rationali: nam in copore & non extra corpus creatur à Deo. Pro quo,

Nota *secundo* in instanti generationis hominis in quo habet esse per animam rationalem, duas actiones posse considerari, prima est qua Deus se solo producit animam rationalem, secunda qua producitur vnio & anima vnitur cum materia disposita (de quibus actionibus sermo erit in lib. de generat.) Et illa prima actio ideo dicitur creatio: quia materia sic disposita non continebat in suis visceribus animam rationalem, nec Deus quasi extra illam adducit animam: quod idem est ac dicere quia anima rationalis non dependet in suo fieri à materia: posset enim Deus eadem numero actione creare animam extra omne corpus, quã creat in illo. Vnde illa forma dicitur educi de potentia materiæ, quæ continetur in eius potentia passiua, ex qua agens naturale intendens aliquam generationem extrahit & educit formam, ipsam inducendo & vniendo materiæ, ad hoc vt resultet totum compositum generatum.

60. Sit ergo nostra conclusio, *omnes formæ materiales productæ secundum cõmunem cursum naturæ educuntur de potentia materiæ.* Probatur, quia omnes huiusmodi formæ pendent à materia in fieri, esse, & conseruari, ergo omnes illæ educuntur de potentia materiæ; patet consequentia ex dictis, & antecedens probatur: quia tales formæ continentur in potentia passiua materiæ, ergo dependent ab ipsa in fieri & conseruari. Et nota in hac conclusione non comprehendi animam rationalem: quia licet producatur secundum communem cursum naturæ, non est tamen forma materialis, sed

ſpiritualis. Item neque quamcumque aliam formam etiam materialem, ſi producatur à Deo (vt poſſibile eſt produci) extra omnem materiam: quia iſta non eſſet productio iuxta communem curſum naturæ, ſed miraculoſe & præter naturam.

61. Inquires *primo*, *vtrum prædicta concluſio intelligenda ſit non ſolum de formis compoſitorum ſeu entium naturalium, quæ modo fiunt, ſed etiam de formis entium naturalium, quæ facta ſunt à Deo in principio creationis?* ℞. formas cœlorum & elementorum, cæterorumque corporum quæ producta ſunt à Deo in principio creationis verè & proprie eductas fuiſſe de potentia materiæ, atque adeo non debere dici proprie creatas. Probatur aſſertum. Ad eductionem vnius formæ de materia duo ſolum requiruntur, *primum* quod forma præceſſerit in potentia materiæ ſaltem pro aliquo priori naturæ, *ſecundum* quod ab ipſa dependeat in eſſe & cõſeruari: ſed vtrumque reperitur in formis cœlorum, ergo &c. Hoc ſecundum patet: quia nullus dubitat prædictas formas non poſſe naturaliter exiſtere, nec ſuas operationes exercere ſine materia. Item quod præceſſerint pro aliquo priori naturæ in potentia materiæ probatur: quia omnis cauſa eſt prior prioritate naturæ ſuo effectu; ſed materia eſt cauſa materialis formarum cœlorum & elementorum: pendent enim in ſuo eſſe & conſeruari in hoc genere ab illa, ergo eſt prior prioritate naturæ ipſis formis, & conſequenter vere & proprie eductæ fuerunt de potentia materiæ.

Nec obſtat ſi obiicies verba Scripturæ Geneſ. 1. *Creauit Deus cœlum & terram*, quæ verificari nequeunt, ſi formæ cœlorum & terræ eſſent eductæ de potentia materiæ: Nam hoc nomen *creatio* multiplicem habet acceptionem: nam poteſt ſumi in latiori ſignificatione pro quacumque productione noui eſſe, ſiue illa ex nihilo ſiue ex aliquo præſuppoſito ſubiecto fiat, cuius acceptionis meminit Auguſtinus lib. de fide & ſymbolo cap. 4. Et in hoc ſenſu debet intelligi ſcriptura, cum docet hominem eſſe creatum: conſtat enim ex limo terræ eſſe productum, atque adeo non proprie creatum. Etiam ſumitur creatio ſtricte & in rigore pro eo quod factum eſt ex nihilo, vbi particula *ex nihilo* excludit cauſam materialem: quia quod creatur, producitur, nullo præſuppoſito ſubiecto ad ipſius productionem; in quo ſenſu Theologi dicunt, Angelos & animam rationalem eſſe creata, & inquirunt, vtrum gratia & fides creentur? Hoc ſuppoſito ℞. verba ſcripturæ debere intelligi in latiori ſignificatione, in qua etiam intelligitur illud Geneſ. *Creauit Deus cete grandia* & illud Ierem. 31. *Creauit Deus nouum ſuper terram.*

Inſtabis pro purioribus Thomiſtis contrariam partem ſuſtinentibus: Ad hoc vt aliqua forma educatur de potentia materiæ, debet materia præcedere in potentia ad formam; materiæ cœlorum & elementorum non præceſſerunt in potentia ad ſuas formas: nam in eodem inſtanti ſimul creata ſunt, imo vnica tantum interceſſit ibi actio immediate & per ſe terminata ad totum & concomitanter ad partes illius, quæ ideo dicitur creatio totius & & concreatio partium materiæ ſcilicet, & formæ: ergo formæ cœlorum & elementorum non poſſunt dici educi de potentia materiæ. ℞. diſt. ma. debet materia præcedere in potentia ad formam prioritate temporis vel naturæ concedo. ma. prioritate temporis ſemper, nego. ma. Quare cum in vno inſtanti temporis dentur plura inſtantia

ſeu

ſeu ſigna naturæ, pro aliquo priori fuit materia, pro aliquo poſteriori forma quod ſufficit ad veram eductionem. Illud autem quod additur, de vnica tantum actione, eſt omnino falſum: nam in illa prima rerum productione interceſſit duplex actio, vna per quam producta eſt materia, quæ dicitur proprie creatio, quia eſt productio ex nihilo; & alia per quam educta eſt forma de potentia materiæ & conſequenter factum eſt totum. Quæ etſi ab aliquibus non appelletur in rigore generatio, ſaltem non eſt creatio vt iam probauimus. Ex quo ſufficienter manet probatum noſtrum aſſertum de eductione formarum cœlorum & elementorum ex potentia materiæ.

62. Inquires *ſecundo quid dicendum ſit de formis accidentalibus, vtrum educantur de potentia ſui ſubjecti?* Pro reſponſione aduerte, tria eſſe genera accidentium: nam quædam ſunt naturalia, illa ſcilicet quæ à naturali agente fiunt: vt albedo, frigus &c. quædam ſupernaturalia, quæ ſolum à Deo vt agente ſupernaturali infunduntur: vt gratia, fides, ſpes &c. Quædam denique ſunt artificialia, & hæc ſunt quæ per artem inducuntur: vt forma cathedræ vel ſtatuæ. His ſuppoſitis.

Si loquamur de formis accidentalibus naturalibus, *dico ipſas educi de potentia ſui ſubiecti.* Et ratio eſt manifeſta: quia omnia accidentia naturalia præcedunt in potentia paſſiua ſuorum ſubiectorum, & inſuper pendent ab illis in genere cauſæ materialis in ſuo eſſe & conſeruari, ergo &c. Nec obſtat ſi dicas, calorem qui recipitur in aqua, non poſſe educi de eius potentia: quia eſt forma ipſi repugnans. Hoc (inquam) non obſtat: nam ad hoc vt formæ educantur de potentia materiæ, nõ requiritur ipſas contineri in potẽtia naturali, ſed ſufficit, ſi contineantur in potẽtia paſſiua, ſiue illa ſit naturalis ſiue neutra, ſiue violẽta: Propterea ſolum dixi, debere contineri *in potentia paſſiua.* *De formis artificialibus, dico ipſas non educi primo & per ſe, ſed coeduci:* non ſecus ac dicuntur coeduci de potentia materiæ vel ſubiecti paſſiones vel relationes, quæ conſequuntur ad formam, quæ educuntur de potentia materiæ. Et ſimiliter concreari paſſiones vel relationes, quæ conſequuntur ad formam, quæ creatur, Probatur, quia in ſatis probabili opinione, forma artificialis eſt quidam modus quantitatis, qui non producitur primo & per ſe, ſed reſultat ex varia inciſione aut compoſitione quantitatis, ſicut paſſiones reſultant ex productione eſſentiæ & relationes ex poſitione terminorum; de formis ſupernaturalibus pertinet ad Theologiam, de quibus ſuo loco.

63. Inquires *tertio vtrum dependentia formæ ſubſtantialis à materia tanta ſit, vt nec de potentia Dei abſoluta poſſit conſeruari ſine illa?* ℞. negatiue: tum quia nulla apparet contradictio in huiuſmodi conſeruatione. Tum etiam quia accidentia, quæ non minus dependent à ſubiecto, quam forma materialis à materia, poſſunt miraculoſe ſine illo conſeruari, vt patet de facto in Euchariſtia, ergo &c.

QVÆSTIO XII.

An plures formæ ſubſtantiales poſſint ſimul eamdem numero materiam informare?

64. Non quærimus in præſenti de formis ſubſtantialibus ſubordinatis, quarum vna eſt veluti diſpoſitio ad alteram: vt forma corporis, quæ in viuentibus ſubordinatur animæ de quibus in lib. de generat. ſed

sed de formis substantialibus disparatis & non subordinatis, quæ nullum ordinem habent inter se: vt forma aquæ & forma terræ, forma ligni & forma lapidis, quas non posse esse simul naturaliter & de potentia ordinaria satis manifeste constat ex successiua corruptione vnius formæ ad aduentum alterius. Si enim naturaliter essent compossibiles, nulla esset ratio o b qu m vna expelleret aliam. Item quia quælibet forma tribuit materiæ esse completum in determinata specie & indiuiduo; sed esse simul in duplici specie & indiuiduo naturaliter repugnat, non solum quia sufficienter actuatur materia per vnam formam, & ideo superflueret alia, nec solum quia diuersæ formæ postulant diuersas dispositiones & magna ex parte repugnantes; sed etiam quia natura determinauit quamlibet portionem materiæ ad cõstituendum vnum tantum indiuiduum, quod per vnicam formam fit in determinata specie. Vnde secundum ordinem naturæ repugnat plures formas simul recipi in eadem numero materia. Difficultas ergo & controuersia nostra solum procedit de potentia Dei absoluta, Pro qua.

65. Sit nostra conclusio: *Implicat contradictionem duas formas substantiales informare vnicam materiam, atque adeo impossibilis est talis simultas formarum etiam de potentia Dei absoluta.* Habet Scotus 4. d. 10. q. 2. n. 4. vbi pro maiori cuiusdam argumenti ponit istam propositionem: *Impossibile est eamdem materiam esse simul sub duabus formis substantialibus*, & n. 22. soluit argumẽtum supposità maiori tanquam omnino indubitabili. Nec satisfacit Poncius hic n.62. dicens, Scotum non proponere hanc doctrinam tanquam assertionem propriam, sed loqui præcise tanquam arguentem, quem non oportet tenere semper omnes propositiones, quas proponit in argumentis. Non (inquam) satisfacit: quia cum hæc propositio sit assumptum sui argumenti, facilius esset Scoto negare assumptum, quam vlterius progredi. Signum ergo est ipsum supponere & tenere illam propositionem tanquam certam. Idem habet 2. d. 2. q. 7. n. 4 & 4. d. 11.q.3.n.19. & 20. Et saltem in hoc loco quarti loquitur de potentia absoluta (quidquid dicat idem Poncius) vt legenti textum & decursum quæstionis manifeste constabit. Eandem sententiam tenet D. Thom.1. p q 76.art. 3. quem sequuntur Vasq. Lorca & alij plures citati à Complutensibus hic d.4.sect.6.Et ex Scotistis Aretinus, Fuente & alij. Est contra Suarez, Hurtadum, Arriagam, quos ex Scotistis sequuntur Mastrius & Poncius cum aliis recentioribus.

66. Probatur *primo*, vnica causa nequit habere simul duos effectus suæ potentiæ adæquatos etiam de potentia Dei absoluta, ergo neque vnica materia potest simul sustentare duas formas substantiales, probatur consequentia, effectus adæquatus vni portioni materiæ est sustentare vnam formam & cum ea constituere vnum compositum, ergo neque de potentia absoluta potest duas simul recipere. Respondet Poncius n. 51. hunc non esse effectum adæquatum materiæ sic, vt non possit alios effectus habere, imo naturaliter (inquit) vltra sustentationem vnius formæ substantialis completæ & constitutionem compositi ad illam sequentis, habet alios effectus nempe sustentationem accidentium in ipsa receptorum.

Sed contra, quia manifeste constat quam voluntarie negatur illum esse effectum adæquatum materiæ, ex eo quod ad hoc nulla probatio apponitur.

Illud

Illud enim de sustentatione accidentium non est ad rem: quia hæc comprehenditur sub sustentatione formæ substantialis cuiuslibet: non enim dicimus esse effectum adæquatum materiæ sustentare vnam formam substantialem nude sumptam, sed cum suis accidentibus ad ipsam consequutis & necessario ad eius conseruationem requisitis. Igitur de duabus formis substantialibus sic sumptis procedit nostrum argumentum, quod semper manet in sua vi, nisi alia solutio assignetur.

67. Probatur *secundo*, quia sequeretur quod idem effectus proueniret simul à duabus causis totalibus & adæquatis; sed hoc est impossibile & implicatorium, ergo & quod vnica materia informetur à duabus formis substantialibus, probatur sequela, quælibet forma esset proportionata illi materiæ & vt causa adæquata & totalis ipsam totam informaret: alias quælibet informaret suam partem materiæ, & hoc est destruere quæstionem, ergo idem effectus scilicet informare vnicam materiam proueniret simul à duabus formis tanquam à duabus causis totalibus & adæquatis, cuius implicationem probabimus disp. seq.

Huic argumento adhibet Poncius n. 58. eamdem voluntariam solutionem, quam præcedenti, dicens: quod dato quod materia dependeat à forma (quod quantum ad actuari ad constitutionem totius non potest negari ab vllo) adhuc non pendet ita necessario adæquate quin ab alia possit simul dependere. quare hoc argumentum sicut præcedens manet in sua vi: præsertim instando in paritate naturæ ad duas subsistentias & materiæ ad duas formas, quæ semper tenet cum debita & explicata proportione: vide quæ dicemus in Metap. disp. 9. n. 16.

68. Probatur *tertio*, duæ formæ substantiales sunt naturaliter incompossibiles in vna materia, ergo vt supernaturaliter compatiantur, debet tolli ab ipsis ratio talis incompossibilitatis: Patet instantia duorum corporum existentium simul in vno loco, à quibus aufertur ratio incompossibilitatis naturalis, videlicet impenetrabilitas; sed impossibile est auferre à duabus formis rationem suæ incompossibilitatis in vnica materia, ergo impossibile est quod simul compatiantur, probatur mi. formæ sunt incompossibiles per suas proprias entitates, ergo vel destruitur vna ex ipsis, vel non simul compatientur, in vnica materiâ, atque adeo impossibile est etiam de potentia Dei absoluta duas formas esse simul in vna materia.

69. Obiicies. Duo corpora possunt esse simul de potentia Dei absoluta in eodem loco, ergo & duæ formæ substantiales possunt esse simul in vnica materia: Patet consequentia à paritate rationis: non enim est Deus minoris virtutis in ordine ad vnum, quam in ordine ad aliud: Respond. concess. anteced. neg. conseq. rationem disparitatis assignat Scotus 4. d. 49. quæstione 16. numero 5. nam inter duo corpora ad essendum in vno loco solum est repugnantia virtualis; at vero inter duas formas ad coexistendum in vnica materia est repugnantia formalis. Pro cuius solutionis intelligentia. Aduerte, repugnantiam virtualem esse illam quæ reperitur inter duas res, quæ solum opponuntur in suis effectibus: id est quia posito effectu vnius non potest altera ponere suum effectum; repugnantia autem formalis reperitur inter duo, quæ opponuntur secundum suas entitates, & non in effectibus solum: v. g. calor & frigus. Hoc

ſuppoſito dico, quod duo corpora in exiſtendo ſimul in vno loco ſolum opponuntur virtualiter, quia ſcilicet vnum vel alterum replebit locum, propterea poteſt D us impedire effectum vnius, id eſt facere quod vnum non repleat, & ſic exiſtent ſimul in vno loco; at vero duæ formæ videlicet forma lapidis & forma ignis opponuntur formaliter id eſt ſecundum ſuas entitates, propterea non exiſtent ſimul in vna materia, vel Deus deſtruet entitatem vnius, ex quo tollitur ſenſus quæſtionis.

70. Inquires: *An vna forma poſsit ſimul duas materias informare:* ℞. negatiue, ſic Scotus 4. d. 11. q. 3. n. 20. & 3. d. 1. q. 2. n. 4. Pro qua reſolutione poſſunt formari, mutatis termi nis, duæ priores rationes adductæ pro noſtra concluſione. Plura alia vide apud Suarez diſp. 15. Metaph. ſect. 10. qui licet in concluſione ſit oppoſitus nobis, in hac tamen reſolutione conſentit.

QVÆSTIO XIII.

Quid & quotuplex ſit vnio, quâ materia & forma vniuntur inter ſe?

71. HActenus de principiis generationis rei naturalis nempe de materia, priuatione & forma diſputauimus. Verum quia corpus naturale non ex materia & forma vtcumque, ſed ex materia & forma vnitis conſtituitur, ideo nunc quærimus, quid ſit iſta vnio, quâ materia & forma vniuntur ad conſtitutionem totius? Et nota quæſtionem ſupponere, dari veram vnionem inter materiam & formam, & eſſe quid realiter diſtinctum ab ipſis contra aliquos: videlicet nominales & Caiet. quos ſequutus eſt Ioan. à S. Th. q. 6. art. 3. quorum ſententia fuit, vnionem non eſſe entitatem diſtinctam ab vtroque extremo, ſed eſſe formam in materia provt in materia tanquam actus in ſua potentia. Contra quos ſic probo ſuppoſitum quæſt. Primo

Impoſſibile eſt aliquod prædicatum reale de nouo competere alicui ſine aliqua mutatione reali in ipſo; ſed materiæ & formæ competit aliquod prædicatum reale: nam forma dicitur vniri materiæ realiter, eamque informare, & materia dicitur informata realiter per formam, eique vniri, ergo debet eſſe aliqua mutatio, realis in ipſis, à qua habent illud prædicatum nouum; ſed illa mutatio non eſſet, niſi intercederet aliquod reale nouum inter materiam & formam diſtinctum realiter ab ipſis, ergo tale quid intercedit. *Secundo* quia materia & forma poſſunt exiſtere in rerum natura, & non vnitæ inter ſe, ergo hoc quod eſt eſſe vnitas, eſt aliquid diſtinctum ab ipſis realiter: patet conſequentia, quia quod eſt idem realiter cum alio, impoſſibile eſt ab ipſo ſeparari: aliàs idem ſepararetur à ſe ipſo, ergo, &c.

Nec ſatisfacit, ſi dicas, vnionem materiæ & formæ non diſtingui à materia provt in forma, & à forma provt in materia. Nam contra eſt quod ly *provt in materia* aliquid eſt diſtinctum ab ipſa forma & materia ſecundum ſe: nam vtraque poteſt eſſe in rerum natura & quælibet non *provt in alia*, ergo vnio quæ conſiſtit in illo modo eſſendi *provt in materia* erit diſtincta ab ipſa materia & forma: His ſuppoſitis.

72. Sit noſtra concluſio, *Materia & forma non vniuntur inter ſe aliquo modo ſubſtantiali abſoluto; ſed vniuntur per relationes transmutantis ad tranſmutatum & tranſmutati ad tranſmutans, quas dicunt inter ſe, dum ab agente*

agente naturali vel à quocumque alio coniunguntur ad constitutionem totius. (Has relationes diximus in Logica Vtente c. 3. sect. 5. n. 18. pertinere ad prædicamenta actionis & passionis.) Ita Scotus 3. d. 1. q. 1. dum loquitur de vnione naturæ humanæ Christi Domini ad Verbum Diuinum, quæ facta est per Incarnationem, & 4. d. 12. q. 1. Scotum sequuntur omnes eius discipuli contra Thomistas omnes & recentiores communiter ponentes talem vnionem esse modum substantialem absolutum, de quo erit nobis cum ipsis controuersia in Metaph. vbi de sex vltimis prædicamentis. Probatur, sicut esse simile est relatiuum & totum esse illius consistit in referri ad aliud, ita esse vnitum est relatiuum & consistit in referri ad aliud, ergo sicut implicat quod aliquid sit simile per entitatem absolutam, ita implicat quod sit vnitum per entitatem aut modum absolutum: Et confirmatur quia absolutum est ad se, respectiuum est ad aliud, ergo impossibile est quod modus absolutus tribuat materiæ & formæ esse formaliter vnitas.

Respondebis pro aduersariis, hunc modum non esse omnino absolutum, sed includere essentialiter respectum transcendentalem, ac propterea non esse taliter ad se, quin dicat etiam ordinem & habitudinem ad aliud. Sed contra quia (vt suo loco ex professo probabimus) implicat quod aliquid absolutum includat essentialiter aliquem respectum siue prædicamentalem siue transcendentalem. Deinde quia ex hoc tollerentur omnes relationes prædicamentales: posset enim dici quod omnis relatio rei absolutæ ad absolutam esset modus absolutus siue substantialis siue accidentalis, cui annecteretur respectus transcendentalis, gratia cuius intelligi non posset absque ordine & habitudine ad aliud; Hoc autem est contra Aristotelem & communem modum sentiendi, de quo in Metaph.

73. Confirmatur conclusio, quia ex communi axiomate non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate; sed ad hoc vt materia & forma substantialiter vniantur, sufficit quod in actuali generatione forma per suum effectum formalem, qui non est distinctus à suo esse. (Nam vt ait Scotus 9. Metaph. quæst. 6. n. 2. forma perficiendo materiam nihil aliud à se causat in materia: quia ipsamet forma est perfectio propria materiæ) transmutet materiam; & quod materia per suum effectum formalem, qui etiam est indistinctus à suo esse, sustentet formas, & sic quælibet in suo genere causent tertiam entitatem, quæ est totum compositum ex ipsis resultans, ergo præter materiam & formam, quæ sunt extrema, quæ vniuntur, & relationes transmutantis ad transmutatum & transmutati ad transmutans, quas dicunt ad inuicem, nihil aliud requiritur ad vnionem substantialem earum, vnde vnio formaliter consistit in prædictis relationibus. Ex quo etiam fit satis vtrique titulo quæstionis. Est igitur vnio duplex, vna ex parte materiæ, altera ex parte formæ.

His addi potest, non esse facile in opposita sententiâ determinare, an requirantur duo modi, vnus quo vniatur materia & alius quo vniatur forma, an vero sufficiat vnus pro vtraque; & si vnus pro vtraque, vbi debeat subiectari, an in materia, an in forma? Non enim videtur maior ratio vnius quam alterius.

74. Obiicies 1. Ex vnione materiæ & formæ resultat vnum per se substantiale, ergo impossibile est quod vnio per quam coniunguntur, sit aliqua relatio: patet consequentia; quia relatio est accidens & illa quæ vniun-

tur medio accidenti, non possunt facere vnum per se substantiale. Respond. concess. anteced. neg. conseq. ad eius probationem dico: quod licet vnio in se sit accidens, tamen à partibus, quas vnit, & à toto, quod ex iisdem resultat denominatur substantialis, sicut vnio, quâ natura humana Christi Domini vnitur cum Verbo Diuino, dicitur personalis. Deinde illud accidens, quod mediat inter materiam & formam, non impedit immediatum contactum (vt ita loquar) vtriusque, propterea non impedit, quod sit vnum per se & substantiale totum compositum, quod resultat ex tali vnione.

Obiicies 2. Ad copulandas duas partes integrales Quantitatis ponendum est aliquod absolutum accidentale, ergo similiter ad copulandam materiam & formam poni debet aliquid absolutum substantiale. Resp. omittendo pro nunc antecedens; neg. con. seq. Et do disparitatem: quia partes integrales quantitatis ita copulantur, vt sint extra se inuicem absque vllo omnino contactu immediato, imo nullo modo se inuicem tangunt, nisi quatenus tangunt aliquod tertium, nempe punctum continnatiuum ipsarum; at vero materia & forma ita copulantur, vt non possint esse extra se inuicem manente vnione, quare nullum absolutum debet poni inter illas.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum compositum naturale distinguatur realiter à suis partibus.

75. SVppono *primo* non esse controuersiam de toto per aggregationem: vt est cumulus lapidum; nec de toto composito per accidens: vt est Homo albus: quia de his totis omnes fatentur, nihil aliud esse quam partes eorum aggregatas vel vnitas. Et licet compositum per accidens dicat aliquid præter partes, non tamen præter partes vnitas. Nec conuenienter adducitur in contrarium Scotus 3. d. 2. q. 2. n. 7. vbi dicit: *Quod vnum per accidens est magis vnum, quàm vnum aggregatione, & minus vnum, quam totum vnum per se, & tamen vnum totum per accidens non est suæ partes: quia secundum Philosophum. 7. Metaph. In hoc homo albus est vnum aliquid: quia albedo inest homini*: Hîc enim solum innuit doctor, vnum per accidens esse magis vnum, quàm totum per aggregationem: quia partes illius sunt vnitæ, propterea dixit: *non est suæ partes* idest non dicit partes præcise, sed partes & vnionem, quia partes vnitas; non tamen dicit aliquid præter partes vnitas: *quia est minus vnum quam totum vnum per se.* Quare solum procedit quæstio de toto composito, quod est vnum per se.

76. Suppono *secundo*, non inquiri de distinctione totius per se à suis partibus singillatim sumptis: nam manifestum est, totum realiter differre à qualibet parte, sicut includens ab incluso: alias, vt docet Aristot. cap. 1. huius libri, sequeretur vnam partem esse idem realiter cum alia: etenim *quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se.* Et ratio à priori est: quia totum aliquam rem includit distinctam à singulis partibus sigillatim sumptis: homo enim comparatus ad animam includit corpus, quod est quid distinctum ab animâ, & comparatus ad corpus includit animam, quæ est quid distinctum à corpore, ergo inter totũ & partes sic sumptas certũ est dari distinctionem. Item neque est dubium de distinctione totius à partibus simul sumptis

ptis & non vnitis: quia in hoc sensu non solum totum per se, sed etiam totum per accidens distinguitur realiter à partibus tanquam includens & inclusum: quia vtrumque in hoc sensu dicit vnionem quam non dicunt partes simul sumptæ. Est ergo dubium de distinctione totius compositi per se à suis partibus simul sumptis & vnitis. Pro quo.

77. Sit nostra conclusio, *Compositum substantiale, quod est vnum per se ex materia & forma constitutum, distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis & vnitis.* Hoc est: totum per se essentiale physicum non consistit in collectione & vnione suarum partium, sed in tertia quadam entitate ex collectione & vnione suarum partium resultante, quæ quidem tertia entitas quid distinctum realiter est à suis partibus simul sumptis & vnitis. Est expressa sententia Scoti loco supra citato, quem sequuntur omnes eius discipuli, vno Brizeño excepto, eamdem tenet Auicenna, Heruæus, Capreolus, Caietanus, Ferrara, Iauellus, Conimbricenses sup. cap. 2. huius libri, q. 1. art. 3. Vasq. 3. disp. 19. cap. 2. Et fauet Angelicus præceptor. 3. dist. 2. q. 1. art. 3. quæstiuncula 3. ad 3. & 4. d. 16. q. 1. art. 1. quæstiuncula 3. ad 2. Est contra Suarez disp. 36. Metaph. sect. 3. & plures alios, quos citant & sequuntur Arriaga & Complutenses hic.

78. Probari solet hæc sententia ex quibusdam loquutionibus Aristot. in quibus videtur asserere, totum hoc esse tertiam entitatem ex vnione partium resultantem distinctam realiter ab ipsis: Nam 5. Metaph. cap. 14. text. 19. dicit, *sex non esse bis tria, sed semel sex.* Et lib. 7. cap. 17. text. vltimo affirmat, syllabam *Ba.* non esse *B*, & *a*, sed tertium aliud. Et 2. de anima tex. 2. & lib. 7. Metaph. tex. 7. & lib. 12. c. 2. tex. 14. diuidit substantiam in materiam, formam & compositum, asseritque esse tres substantias. Sed duabus prioribus authoritatibus non est multum innitendum: nam prima non est ad rem: ibi enim loquitur Aristot. de numeris non materialiter, sed formaliter sumptis. Et quod intendit non est, totum distingui à suis partibus, sed senarium formaliter sumptum, qua ratione idem est ac discretio sex vnitatum, non coalescere ex duabus ternariis formaliter sumptis, idest ex duabus discretionibus trium vnitatum, sed esse discretionem sex vnitatum, quæ est discretio omnino specie distincta, & nullo modo includens discretiones trium vnitatum, quas pro formali dicunt duo ternarij. Ad secundam etiam facile respondere possent aduersarij, intelligi de partibus absque vnione: sic enim verum est syllabam *Ba* non esse *B*, & *a*: nam præter ipsas dicit vnionem.

69. Sed tertia authoritas efficax est in contrarios; Nec efficaciam eius eneruant, dicentes, Aristotelem numerasse totum per se physicum & essentiale vt membrum distinctum à materia & forma, eo quod totum istud præter materiam & formam includit vnionem, quæ quid distinctum est ab ipsis non solum diuisim, sed coniunctim sumptis: Nam Aristoteles non solum enumerauit materiam formam & compositum vt membra distincta, sed etiam addit esse tres substantias distinctas. Quod vltimum non potest verificari de toto, ratione vnionis, sed ratione tertiæ entitatis substantialis, quæ ex vnione materiæ & formæ resultet. Quod quidem non solum est verum in nostra sententia ponente vnionem esse relationem & accidens, sed etiam in contraria sententia ponen-

te vnionem, non esse substantiam, sed modum substantialem.

80. Probatur conclusio rationibus desumptis ex Scoto. Prima est, quia si totum per se physicum essentiale non esset quædam tertia entitas seu natura ex vnione materiæ & formæ resultans, sed potius consisteret in ipsa materia & forma vnitis, sequeretur (contra omnium Philosophorum placitum) nihil discriminis esse inter totum per se & totum per accidens patet sequela: quia sicut totum per accidens tale dicitur, quia simpliciter est plura & solum secundum quid vnum, scilicet ratione vnionis istorum plurium; ita in opposita sententia necessario fatendum, est totum per se simpliciter esse plura scilicet materiam & formam, & solum secundum quid vnum.

Probatur secundo ratione etiam desumpta ex Scoto. Causa realis siue intrinseca siue extrinseca sit, distinguitur realiter à suo effectu (alias idem posset realiter, se ipsum causare, & à se ipso in suo esse intrinseco realiter dependere, quod vt absurdum & omnium Philosophorum consensui oppositum reiicit Augustinus 1. de Trinitate cap. 1.) sed partes essentiales totius per se physici (materia scilicet & forma) vt vnitæ sunt causæ reales intrinsecæ prædicti totius: cum ipsum realiter intrinsece constituant & componant & non aliter quam vnitæ, ergo prædictæ partes vt vnitæ realiter distinguuntur à prædicto toto.

Dices pro opposita sententia, duobus modis posse intelligi partes essentiales vt vnitas causare realiter totum per se physicum, *primo* collectiue sumptas, *secundo* sumptas diuisiue, si sumantur collectiue, tunc dicunt, partes essentiales vt vnitas non esse causam totius, neque illud intrinsecæ componere: At si sumantur diuisiue, esse causam totius, illudque intrinsece componere affirmant; vnde non sequitur partes simul sumptas & vnitas distingui realiter à toto, sed solum vnamquamque partem adhuc vt vnitam à toto realiter distingui. Porro cum hic intercedant duæ causalitates vna materialis quæ solum competit materiæ, & alia formalis quæ solum competit formæ manifeste constat, rationem causæ tribuendam esse partibus vnitis diuisiue sumptis.

Sed contra solutionem istam sic argumentor: Quamvis verum sit, quamlibet partẽ vt vnitam esse causam totius illudque componere diuersis ac vnicuique propriis causalitatibus, tamen quis non videat vnamquamque partẽ diuisiue & quasi seorsim consideratam non esse causam totius totalem & adæquatam, sed solum partialem & indæquatam. Causa enim totalis & adæquata totius ambæ partes sunt non solum vnitæ, sed simul sumptæ. Igitur concludit argumentum & ratio prædicta ex Scoto distinctionem realem inter totum & suas partes non solum diuisiue & seorsim, sed etiam collectiue & simul sumptas consideratas.

82. Vlterius hanc prædictam rationem eneruare conatus est Ioannes Martinius Complutensis, dicens: enunciationem istam: *Omnes partes simul sumptæ & vnitæ causant & componunt totum* duplicem habere sensum, vnus est distributus & alter copulatus. *Primus* est cum attributum *causant* taliter accommodatur omnibus causis, quod dispertitur singulis. *Secundus* est, cum collectioni solum attribuitur, non singulis collectis: exemplificat in his enunciationibus: *omnes ciues sunt ciuitas*, *omnes ciues sunt fortes*, in quarum

quarum prima attributum ciuitas non singulis ciuibus seorsim ac distributim impartitur, sed collectioni tantum; in secunda vero attributum *fortes* non tam ciuium collectioni, quàm singulis collectis singillatim ac dispersim applicatur. Hoc prænotato respondet, quod si in prædicta enunciatione *omnes partes* copulatim & non distributim supponantur, enunciatio est falsa: nam omnes partes vnitæ copulatim sumptæ non causant seu componunt totum sed potius sunt ipsum totum seu compositum, at si *omnes partes* distribute supponantur, enunciatio est vera; sed sic non significatur ratio causæ inter collectionem partium vnitarum & totum, sed inter singulas partes communi vnione componentes, & totum compositum; & consequenter neque arguitur distinctio realis inter totum & partes vnitas simul sumptas, sed inter totum & quamlibet partem ex vnitis seorsim & disiunctim sumptis.

Sed contra hanc solutionem sic argumentor. In prædicta enunciatione *omnes partes simul sumptæ & vnitæ, &c.* attributum *causant seu componunt* dupliciter potest sumi. *Primo* pro causalitate partiali & inadæquata. *secundo* pro causalitate totali & adæquata, si primo modo sumatur, certum est, ad veritatem prædictæ enunciationis requiri vt *omnes partes* non copulatim, sed potius distributim supponãtur: siquidem hoc quod est causare partialiter & inadæquate non collectioni partium sed potius singulis partibus collectis seorsim & diuisiue conuenire potest; At si sumatur secundo modo, falsum est, ad veritatem prædictæ enunciationis requiri quod *omnes partes* distributim & non copulatim supponantur, sed potius requiritur oppositum: siquidem hoc quod est causare seu componere totum vt causã totalẽ & adæquatã non singulis partibus seorsim & diuisiue accommodari potest, sed potius collectioni omnium partium vnitarum. Igitur concludit ratio Scoti distinctionem realem inter totum & omnes illius partes vnitas nõ solum distributim, sed etiam copulatim sumptas: quippe vt sic solum sunt causa totalis & adæquata.

83. Aliam solutionem excogitauit Hurtado & Mendoza disp. 6. Physicor. sect. 1. §. 8. asserens in causis intrinsecis non dari causam totalem, sicut datur in extrinsecis. Et assignat rationem discriminis §. 7. dicens, quod causæ extrinsecæ non causant effectum communicando se illi formaliter & includendo se in illo, sicut causant causæ initrinsecæ, quæ ideo causæ essentiales effectus denominantur: Sed contra est. Quia cum omnis causa partialis dicatur relatiue non solum ad aliam compartialem, sed etiam ad causam totalem, quæ ex collectione vtriusque partialis coalescit, ita implicatorium erit dari in aliquo genere causandi (siue intrinsece siue extrinsece) causas partiales sine causa totali, quæ ex collectione partialium coalescat, ac est implicatorium dari vnum relatiuum sine termino suæ relationis, aut ergo neget Hurtado materiã & formã vnitas seorsim sumptas cauas partiales intrinsecas entis naturalis, aut si hoc concedat, non renuat fateri, materiam & formam vnitas simul sumptas esse causam intrinsecam, totalem, & adæquatam. Illa autem ratio discriminis quam assignat inter causas intrinsecas & extrinsecas non probat intentum scilicet ex collectione causarum partialium intrinsecarum non resultare vnam totalem & adæquatam causam intrinsecam, sed solum probat, effectum causarum intrinsecarum, etsi

etsi distinguatur realiter ab eis tam diuisim quam copulatim sumptis, sed non vt omnino condistinctum, sicut distinguitur effectus causarum extrinsecarum. De quo postea n. 86.

84. Tertia ratio desumpta ex Scoto pro nostra conclusione est. Quia mutatio substantialis est per se vna, ergo terminus per se illius debet esse aliqua substantia per se vna; sed hæc substantia non est materia (cum hæc generationi supponatur & immunis sit ortu & interitu) neque etiam potest esse forma (vt constat ex Aristot. 6. Metaphysicæ text. 26. & 27. Et insuper quia etiamsi forma præsupponeretur producta per aliam actionem: vt contingit in generatione hominis, & resurrectione, actio per quam vniretur materiæ & resultaret totum, non minus esset generatio substantialis, ac quando per eandem actionem producitur forma & vnitur materiæ.) Et multo minus potest esse vnio: nam in sententia contraria non est substantia sed modus substantialis; In nostra autem vnio est relatio prædicamentalis extrinsecus adveniens. Nec denique potest esse materia & forma vnitæ: nam vt sic non sunt vnum per se, sed per accidens: Cum sint plura simpliciter, & solum secundum quid vnum. Erit ergo quædam tertia entitas seu natura ex materia & forma coalescens (ipsum scilicet compositum) ab omnibus supradictis realiter distincta.

85. Obiicies contra nostram sententiam *primo* authoritatem Aristotelis 2. de anima cap. 1. text. 9. *Quemadmodum pupilla & visus est oculus, ita anima & corpus est animal.* Item D. August. 7. de Trinitate cap. 4. *Homo nihil aliud est quam anima & corpus:* Et D. Athanas. in symbolo: *Sicut anima & caro, vnus est homo &c.* Respond. has loquutiones esse veras in sensu non identitatem sed causam indicante: Idem enim valet apud Aristotelem: *Quemadmodum pupilla &c.* ac dicere quemadmodum ex pupilla & visu componitur oculus, ita ex anima & corpore componitur animal. Et similiter dictum August. æquiualet huic, nihil aliud includit vt partem essentialem quam animam & corpus, & idem est de dicto Athanasij.

86. Obiicies *secundo* ratione sic: Si totum essentiale Physicum distingueretur realiter à suis partibus simul sumptis & vnitis, vel distinguitur vt omnino condistinctum vel vt includens & inclusum. Non *primum*: nam dato quod vnio partium non sit de essentia illius, saltem negari non potest partes ad illius essentiam spectare: cum ex eis intrinsece & essentialiter coalescat: esset enim manifesta in terminis implicatio distinguere aliquid omnino & secundum se totum ab his, ex quibus essentialiter coalescit; Neque etiam dici potest *secundum*: quia si distingueretur tanquam includens ab incluso, hoc esset, quia aliquam entitatem realem diceret, quam non dicerent partes eius simul sumptæ & vnitæ; sed nulla entitas excogitabilis est, quam dicat totum super partes eius simul sumptas & vnitas, ergo dicendum est, nullo modo distingui ab ipsis. Minor huius syllogismi variis modis probatur ab aduersariis: *primo* quia positis partibus & earum vnione in rerum natura & secluso quocumque alio sufficienter ponitur totum. Quod confirmatur à simili de toto per accidens: vt est *album* v. g. quod præter partes & vnionem ipsarum nihil aliud includit, ergo

idem

idem fatendum erit de toto per se essentiali. *Secundo* quia hæc entitas resultans vel esset modus vel res; non modus quia in toto composito nullus modus excogitari potest præter vnionem, qui per se conferat ad constitutionem illius. Et multo minus dici potest quod sit res: nam vel esset accidens vel substantia, non accidens: quia (vt supponimus) spectat ad intrinsecam & essentialem constitutionem compositi substantialis, quod repugnat accidenti; Neque etiam substantia: quia præter materiam, formam & ipsum compositum nullam aliam substantiam agnouit Aristoteles.

Tertio probatur eadem minor ex inconuenientibus; quæ ex positione talis tertiæ entitatis realis sequerentur. *Primum* est quod totum Physicum essentiale non esset vnum per se, sed potius vnum per accidens, sequela patet: nam quod aduenit enti in actu non potest facere cum illo vnum per se (vt est commune proloquium) sed hæc entitas realis aduenit enti in actu: nam adueniret materiæ non vtcumque sed vt vnitæ formæ substantiali, quâ ratione est ens in actu, ergo totum quod ex materia & forma vnitis & ex ista entitate reali superaddita resultaret, non posset esse vnum per se, sed potius per accidens. *Secundum* inconueniens est quod in quolibet composito Physico essentiali esset duplex compositio essentialis, altera ex vnione materiæ & formæ & altera ex materia & forma vnitis & illa tertia entitate reali, quam præter materiam & formam vnitas includit totum per se essentiale. Imo esset compositio essentialis in infinitum: nam quâ ratione resultat tertia entitas ex vnione materiæ & formæ, eadem deberet resultare alia tertia entitas ex materia & forma vnitis & illa tertia entitate priori & sic in infinitum. *Tertium* inconueniens est, quod totum per se essentiale Physicum posset per potentiam Dei existere sine suis partibus simul sumptis & vnitis: sequela patet quia omne absolutum (quale in omnium sententia est totum per se essentiale Physicum) potest absque implicatione esse sine quocumque alio, à quo distinguitur realiter.

℞. totum non distingui à partibus vt omnino cōdistinctum, sed vt includens ab incluso. Ad probationem quâ hoc impugnatur conced.ma. & neg.mi. nam entitas quæ excogitatur præter partes est ipsummet totum essentiale, quæ est quædam tertia entitas, etsi intrinsece includens partes, distincta tamen à partibus adhuc vnitis & simul sumptis.

87. Ad cuius clariorem intelligentiam aduertendum est, cum dicimus totum distingui realiter à partibus simul sumptis & vnitis, non debere intelligi, hanc distinctionem conuenire toti per aliquam sui partem: quia implicationem inuoluit totum distingui realiter à partibus per ipsasmet partes, quas intrinsece includit. Neque etiam debemus intelligere, hanc distinctionem realem conuenire toti ratione alicuius formæ realis superuenientis partibus simul sumptis & vnitis, quæ sit distincta ab ipso toto & in ipso includatur tanquam aliquid ipsius. Nam (vt bene aduertit Scotus supra num. 9.) illa tertia entitas quam totum dicit præter partes vnitas, non est aliqua forma, quæ superueniat partibus vnitis ipsas quasi informans & actuans, ad hoc vt ex ipsa & partibus vnitis resultet totum: alias in homine præter animam intellectiuam esset alia forma perfectior constituens eum in esse hominis, quod est absur-

 dum.

dum. Neque etiam est aliqua forma requisita ad hoc vt ex materia & forma, quæ est altera pars compositi, resultet vnum per se, eo quod ex materia & forma, quæ est altera pars compositi non fieret vnum per se, nisi per aliquam aliam formam vnientem illas partes: nam (præter processum in infinitum, qui ex ista positione sequeretur: quippe necessario foret assignanda alia formaper quam istam secunda forma vniretur & sic in infinitum) manifestum est vltra formam, quæ perficit materiam, & dicitur forma partialis, non esse necessarium ad hoc vt resultet vnum per se ex materia & forma, ponere aliam formam per quam vniantur: siquidem materia & forma partialis se habent vt per se potentia & per se actus, quæ sunt requisita ab Aristot. 8. Metaph. tex. 15. ad resultantiam vnius per se. Sed hæc tertia entitas est ipsa entitas totius, quæ ex vnione partium resultat, & dici potest forma totius, eò quod in ipsa tota essentia & quidditas totius consistit.

Debemus ergo intelligere, hanc distinctionem realem conuenire toti ex suamet entitate: quia scilicet consistit totum in quadam entitate reali, quæ per se est vnum quid; partes vero simul sumptæ & vnitæ non sunt per se vnum quid, sed potius simpliciter sunt plura licet partialia. Et in quantum vnitæ sunt quasi in via & actuali fluxu, ad hoc vt ex ipsis vnum quid per se conflatur & constituatur scilicet ipsum totum.

Ex hoc prænotato liquido patet, quàm friuolæ sint & quam in æquiuoco laborent rationes, quibus vtuntur aduersarij ad probandum, non esse excogitabilem entitatem aliquam realem, quam dicere possit totum præter eius partes simul sumptas & vnitas. Vnde in forma ℞. ad *primum*, falsum esse positis in rerum natura partibus atque earum vnione & secluso quocumque alio, poni totum: nam vlterius requiritur, quod ponatur quædam tertia entitas, quæ ex vnione partium resultat & conflatur: nam in hac consistit ipsum totum formaliter: in vnione enim partium seu in partibus vnitis solum consistit quasi causaliter. Ad confirmationem nego paritatem, & merito quidem: nam cum non eodem pacto totum per accidens & totum per se ex partibus coalescant (hoc enim coalescit ex suis partibus vt vnum quid simpliciter; illud vero vt simpliciter plura) quàm apte ex hac posteriori compositione infertur, totum per accidens nihil aliud esse, quàm partes eius vnitas, ita inepte ex compositione priori idem de toto per se inferetur.

88. Ad *secundum* ℞. quod prædicta inuestigatio recte procederet, ex suppositione quod nos affirmaremus, totum per se distingui à partibus non se ipso & per suammet entitatem, sed per aliquàm entitatem distinctam ab ipso toto & quæ in ipso includeretur tanquam aliquid ipsius; tamen cum affirmemus distingui à partibus vnitis suamet entitate, impertinenter inuestigatur quid sit hæc entitas, an modus? an res? an accidens? an substantia? nam dicimus esse ipsummet totum, quod manifestum est esse substantiam compositam, & completam & vnum ex tribus membris, in quæ Aristoteles omnem substantiam distribuit.

Ad primum ex inconuenientibus, quæ in tertia ratione adducuntur, negamus sequelam, & ad probationem eius concess. ma. neg. mi. nam materia per vnionem ad formam ante resultantiam tertiæ entitatis non præintelligitur ens in actu completo & perfecto: cum ens in actu completum & perfectum solum sit, totum seu tertia illa entitas, quæ ex vnione materiæ & formæ resultat; sed præintelligitur quasi in

in via & tendentia ad ens in actu completo & perfecto.

Ad secundum inconueniens neg. sequel. ad probat. dico, procedere ex praua intelligentia sententiæ Scoti. Imaginantur enim aduersarij, qui hac & similibus vtuntur probationibus, entitatem illam realem, per quam nos dicimus totum distingui realiter à suis partibus, non esse ipsum totum, sed quamdam formam superuenientem partibus vnitis, ipsas informantem & vnientem, distinctam realiter ab ipso toto & in ipso inclusam tanquam aliquid ipsius. Qua falsa imaginatione supposita, optime inferunt quod in quolibet composito esset duplex compositio essentialis, imo esset compositio essentialis in infinitum. Quod idem prior ipsis intulerat Scotus, vt supra notauimus. Si autem aduersarij hanc falsam imaginationem deponerent, & aduerterent in sententia nostra entitatem istam realem, per quam totum distinguitur realiter à suis partibus, non esse distinctam à toto, sed esse ipsummet totum, quod ex vnione partium resultat, perciperent quàm inaniter hac & similibus obiectionibus laborent: cum luce clarius appareat, entitatem realem, quæ ex vnione partium essentialium resultat, non facere compositionem cum ipsis partibus vnitis, sed potius esse ipsum compositum, quod ex vnione partium resultat.

89. Ad tertium inconueniens neg. etiam sequelam & ad probation. ℞. ex Scoto 2.d.1.q.4.n.21. & 22. & d.12. quæst.2. num.3. Ad hoc vt sine implicatione vnum possit existere sine alio, non sufficere, quod sit absolutum & realiter ab eo distinctum, sed etiam requiri quod sit prius natura alio: nam si sit natura posterius idest essentialiter ab illo dependens, non poterit absque implicatione existere sine illo, vt patet in creatura, quæ etiamsi sit quid absolutum & realiter distintum à Deo, nihilominus implicat existere sine Deo, eo quod sit natura posterior Deo ab eoque essentialiter dependens; constat autem totum non esse prius natura suis partibus, sed potius posterius ab ipsisque essentialiter dependens; ergo &c.

Dices, ergo saltem sequeretur ex distinctione reali totius à suis partibus, posse absque implicatione partes simul sumptas & vnitas existere sine toto: siquidem partes simul sumptæ & vnitæ non solum sunt quid absolutum realiter distinctum à toto, sed etiam prius natura illo. ℞. neg. sequelam: nam cum vnione materiæ & formæ (quales sunt receptio & informatio) sint causalitates vel saltem conditiones per se & essentialiter requisitæ ad esse istarum causalitatum, quibus mediis totum actualiter causatur & conflatur ex materia & forma, ita implicabit esse vnitas materiam & formam & non resultare totum, ac implicat esse causam realem actualiter causantem & producentem effectum, & non poni in rerum natura effectum per eam causatum & productum. Vnde optime annotauit Scotus in priori loco ex citatis, quod omne absolutum realiter distinctum & prius natura alio potest absque implicatione existere sine illo, esse verum & intelligendum quantum est ex natura sua intrinseca: nam si accidat quod sit necessaria & ineuitabilis causa illius (vt accidit materiæ & formæ respectu totius, quando ab extrinseco efficienti actualiter vniuntur vel conseruantur vnitæ) non poterit existere sine alio, non obstante quod sit quid absolutum distinctum realiter

liter & prius naturâ illo : Cuius exemplum posuit in relationibus rationis , quæ insunt essentiæ diuinæ per actum intellectus Diuini , sine quibus non potest esse Diuina essentia , non obstante quod sit quid absolutum distinctum ab his relationibus & prius naturâ illis , eo quod accidit habere intellectum , qui est causa necessaria & ineuitabilis istarum relationum. Et etiam posuit exemplum in Cœlo , cui ex Aristot. 8. Physic. & 9. & 12. Metaph. repugnat esse sine motu , non obstante quod sit quid absolutum realiter distinctum & prius natura , motu , eo quod accedit habere intelligentiam , à qua (ex mente Aristotel.) necessario & ineuitabiliter mouetur.

90. Obiicies *tertio*. Ratio potissima nostræ conclusionis est : quod partes simul sumptæ & vnitæ non sunt vnum simpliciter , sed potius sunt plura simpliciter & vnum secundum quid. Totum autem per se Physicum essentiale est quid vnum simpliciter ; sed sic est quod partes simul sumptæ & vnitæ re vera vnum simpliciter sunt , ergo non est cur ab eis vt sit totum realiter distinguamus. Probatur assumptum : nam ideo homo verb. gr. vnum simpliciter est : quia constat ex per se potentia & per se actu (vt docet Aristotel. 2. de anima text. 7. & 8. Metaph. tex. 15.) sed illa collectio partium essentialium vnitarum seclusa quacumque alia tertia entitate coalescit ex per se potentia & ex per se actu , ergo est vnum simpliciter. Respond. conces. ma. neg. mi. Ad probat. dico hominem non ideo dumtaxat dici vnum simpliciter : quia constat ex per se potentia & ex per se actu , sed quia ex per se potentia & ex per se actu, quibus constat , resultat vnum quid simpliciter : quo pacto non se habent materia & forma vt præcise vnitæ , si absque resultantia tertiæ entitatis considerentur ; neque Aristot. docuit per se potentiam & per se actum esse vnum quid per se & simpliciter , sed ex per se potentia & ex per se actu vnum quid per se & simpliciter resultare.

91. Est autem aduertendum pro completa notitia quæstionis , nostrum Philippum Fabrum Theorem. 21. & 3. disput. 9. longe aliter quàm nos sententiam Scoti , quam amplexi sumus , explicuisse : distinguit enim inter partes vnitas antequam transeant per generationem in tertiam entitatem totius ; & postquam per generationem transactæ & conuersæ sunt in tertiam entitatem totius. Et in priori sensu docet totum distingui à partibus ; in posteriori vero affirmat non distingui , sed potius partes vt sic esse ipsummet totum in quod transactæ & conuersæ sunt. Sed Author iste fugiens difficultatem minorem incidit in maiorem , propterea audiendus non est. Nam præter quam quod supponit , partes essentiales scilicet materiam & formam non esse actu & formaliter : nam affirmat per generationem amittere proprias entitates & transire seu conuerti in tertiam entitatem totius , quod plusquam absurdum est : tum quia iam productio totius non esset generatio , sed potius conuersio seu transsubstantiatio materiæ & formæ in totum essentiale Physicum ; tum etiam quia alias non esset compositum , nec vere dici posset constans ex materia & forma : siquidem ad hoc vt aliquid dicatur vere compositum & constans partibus , per se requisitum est, quod partes actu & formaliter sint ipso. Præter hoc (inquam) etiam iudico falsum eius vltimum assertum (scilicet partes vt sunt

in

in toto transacta iam generatione non distingui realiter ab illo, sed esse ipsum totum formaliter) nam ex hac positione sequeretur, non posse corrumpi totum, quin ad eius corruptionem etiam corrumperentur partes: nam impossibile est quod aliquid corrumpatur, & quod id, quod est idem realiter cum illo sine corruptione maneat. Hæc autem sequela non solum est contra Scotum, qui ideo probat (inter alias rationes) totum distingui realiter à partibus: quia contingere potest quod corrumpatur totum, partibus incorruptis manentibus. Et exemplum ponit in corruptione hominis; sed etiam ex ipsa sequeretur, quod in corruptione hominis vel non manerent anima & corpus, sicut neque manet ipsa entitas hominis; vel quod si manerent, hoc esset per nouam creationem animæ & nouam generationem hominis, quæ omnia absurda sunt. Plura vide apud Poncium hîc.

Quid de toto integrali?

91. Inquires: *An totum integrale distinguatur etiam realiter à suis partibus?* Respond. quod siue sit totum integrale homogeneum: quod constat partibus integralibus homogeneis, idest similibus & eiusdem rationis: verb. gr. materia prima, forma ignis, &c. Siue sit totum integrale heterogeneum, quod constat partibus dissimilibus: verb. gr. auris, manus, caput, &c. quæ constant ex pelle, carne, neruis, &c. Dico cum nostro Poncio, & pluribus ex Scotistis, nullum istorum esse aliud, idest aliam tertiam entitatem à suis partibus, & probatur: vt ex partibus componentibus aliquod totum resultet alia tertia entitas, requiritur necessario, quod tales partes habeant se per modum actus & potentiæ; sed partes integrales non se habent huiusmodi, ergo, &c. ma. est certa & manet probata tota hac quæstione: mi. etiam probatur, quia non est maior ratio cur vna pars actuet aliam, quam è contra. Nec sufficit, si dicas cum nostro Merinero, partes integrales se habere per modum potentiæ ad indiuisibilia continuatiua, quibus vniuntur, hæcque per modum actus ad partes quas continuant & vniunt. Non (inquam) sufficit: quia habitudo actus & potentiæ requisita directe ad resultantiam totius *per se* non est quæ intercedit inter partes & vnionem, sed quæ inter partem & partem, quæ mediante vnione exerceant suas causalitates, altera per modum actus se habens, altera per modum potentiæ, quæ habitudo in partibus integralibus non adest propter rationem assignatam.

DISPVTATIO II.

In secundum Librum Physicorum Aristotelis.

EGIT Aristoteles in primo libro de principiis entis naturalis seu mobilis; Nunc in secundo libro agit de principiis & causis motus ipsius entis naturalis. Et postquam in primo cap. distinxit entia naturalia ab artificialibus, eo quod naturalia habeant in se principium motus & quietis; artificialia vero minime, in quantum talia sunt, subdit definitionem naturæ dicens: ***Natura est principium & causa motus & quietis eius, in quo***

est primo & per se & non secundum accidens. De cuius definitionis bonitate & sufficientia erit primum quæsitum.

QVÆSTIO I.

Vtrum definitio naturæ sit bene tradita ab Aristotele?

1. PRæmittendum est ante solutionem quæstionis, quid nomine *naturæ* posito in hac definitione loco definiti intelligatur ab Aristotele. Pro quo notandum hoc nomen *natura* plura significare. *Primò* accipitur pro mente Diuina rerum omnium Opifice & Parente, & sic natura idem est quod Deus: vt docuit D. Augustin. 15. de Trinitate cap. 1. *Secundò* accipitur pro cuiuscumque rei quidditate & essentia, in quo sensu accipitur natura, cum à Theologis dicitur: In tribus Diuinis personis vnicam esse naturam, & Verbum Diuinum assumpsisse naturam humanam & non personam. Quamquam si proprie loquamur, hoc est discrimen inter essentiam, quidditatem & naturam, quod essentia importat ordinem ad esse rei cuius est, quidditas ad definitionem, quæ quid res sit explicat; natura autem ad operationem. *Tertiò* accipitur natura pro ordine rerum naturalium, quâ ratione id quod præter rerum ordinem contingit, dicimus contingere præter naturam. *Quartò* sumitur pro viuentium generatione, quæ communiter natiuitas appellari solet, & hæc est prima & germana hujus nominis significatio: nam natura dicta est à nascendo. Quia tamen generatio ab interno principio oritur, ideo deriuatum est nomen *natura* (& hæc est *quinta* acceptio) ad significandum internum principium, à quo vnaquæque res habet, vt moueatur vel quiescat naturaliter, & in hac quinta acceptione dicimus cum communi sententia sumi ab Aristot. nomen *natura* positum loco definiti in præfata definitione. Hoc supposito,

2. Sit nostra conclusio: *Prædicta definitio naturæ tradita ab Aristot. optima est & exacta.* Ita docent omnes communiter & probatur: quia per ipsam non solum explicatur, quid sit natura provt in præsenti sumitur, sed etiam distinguitur à quocumque alio, quæ sunt conditiones ad bonam definitionem requisitæ. Quæ omnia videri possunt si per singulas particulas discurramus. *Principium* ponitur loco generis, per *causam* excluduntur priuationes à ratione naturæ, quæ etiamsi sint principia generationis naturalis, non tamen sunt causæ: cum nullum habeant influxum. In particula *motus & quietis* sumitur motus in lata significatione: scilicet pro quacumque mutatione Physica naturali siue in tempore fiat siue in instanti. Et per ipsam excluduntur à ratione naturæ omnes formæ artificiales, quæ etsi causæ possint esse, sed non motus & quietis Physicæ & naturalis. Per ly *eius in quo est* excluduntur causæ extrinsecæ, vt ignis respectu calefactionis aquæ. Per ly *primo & per se* denotatur naturam non esse qualecumque principium seu causam motus & quietis, sed primam & quæ non ratione alterius inest. Vnde per hanc particulam excluduntur à ratione naturæ aliquæ qualitates: vt sunt grauitas in lapide & leuitas in igne, quæ etsi sint principium motus & quietis eorum, in in quibus sunt, non sunt principium primum: cum dentur alia priora scilicet materia & forma. Denique per ly

&

& non secundum accidens excluduntur à ratione naturæ aliqua, quæ etsi sint principium & causa motus & quietis eius in quo sunt & etiam primo; sunt tamen in illo per accidens, vt est ars medendi, qua v.g. Hippocrates sibi ipsi sanitatem præstabat; & etiam impulsus impressus proiectis, qui licet primo idest non ratione alterius prioris intrinseci competat ipsis, hoc tamen est per accidens.

3. Sed Contra hanc definitionem poterit aliquis obiicere *primo* sic: Quies est priuatio motus, ac per consequens erit nihil: Sed quod est nihil non habet causam, ergo male ponitur in definitione naturæ, quod sit causa quietis. Item motus & quies opponuntur, sed implicat quod idem sit principium primo & per se oppositorum, ergo falso dicitur quod natura sit principium motus & quietis: ℞ argumentum si quid valet, solum procedere contra eos, qui vt videbimus q. seq. existimant naturam debere esse principium actiuum motus & quietis, non autem contra nos, qui, vt ibi probabimus, verius existimamus naturam constitui in ratione talis per principium passiuum, non vero per rationem principij actiui. Nihilominus vt in aliorum opinione argumento fiat satis: Aduerte, quietem posse sumi dupliciter, *primo* pro priuatione motus; & hoc pacto verum est non dari principium per se actiuum seu causam illius. Et similiter verum est opponi motui: cum vnum sit habitus & aliud priuatio, ac per consequens non posse motum & quietem primo & per se procedere ab eodem principio actiuo. Alio modo sumitur quies, pro permanentia in aliquo loco naturali, aut pro permanentia sub forma per motum acquisita. Et in hoc sensu quies est quid positiuum, & consequenter dari potest ad illam primo & per se principium sicut & datur motus. Nec opponitur sic ipsi motui, sed potius est finis illius, atque adeo habebit idem principium primo & per se quod habet motus. Ex hoc dico, quod in præfata definitione quies sumitur non primo, sed secundo modo.

Obiicies 2. Natura est quid substantiale & absolutum: siquidem teste Aristotele solum conuenit ratio naturæ materiæ & formæ, ergo male definitur per rationem principij & causæ; quia ratio principij & causæ quid accidentale est & respectiuum: ℞ (& est doctrina generalis pro quacumque entitate absoluta definita per ordinem ad suos effectus) concess. Anteced. Ad cōseq. dico principium & causam in præfata definitione non sumi formaliter pro relatione ad principiatum vel effectum, sed sumi radicaliter seu fundamentaliter pro rebus, quæ à prædictis relationibus principium & causa denominantur, quæ quid substantiale & absolutum sunt: cum sint ipsa materia & forma.

4. Obiicies. 3. Cœli sunt corpora naturalia: habent enim in se naturam videlicet materiam & formam vt communiter supponitur, sed continuo mouentur & nunquam quiescunt, ergo &c. Item totus terræ globus etiam est ens naturale & tamen nunquam loco mouetur, ergo falso dicitur in definitione quod natura est principium motus & quietis: ℞. naturam in omnibus vbicumque est, esse principium motus & quietis. Et quāuis de facto quiescat globus terræ & non moueatur motu locali, habet tamen principium vnde moueri possit, si poneretur extra suum locum. Nec opus est quod omne illud actu moueatur quod habet in se principium motus.

tus. Et similiter licet semper moueantur Cæli & nunquam de facto quiescant, habent tamen in se principium, quo quiescere possint naturaliter. Nec ex hoc sequitur quod de facto moueantur motu violento: cum præter motum naturalem & violentum detur alius indifferens seu neuter, quo motu de facto mouetur. Deinde quamvis cæli de facto per agens naturale non possint moueri seu mutari ad nouam formam, tamen non inde sequitur, quin si ab agente supernaturali mutarentur (vt de potentia absoluta possunt mutari) motus talis esset materiæ naturalis, atque adeo ipsa principium naturale eius vide quæ diximus disp. præced. quæst. 8. num. 49.

QVÆSTIO II.

Vtrum de ratione naturæ sit esse principium actiuum; an vero passiuum?

DIximus q. præced. naturam esse principium motus; Sed quia duplex est principium motus, aliud actiuum & est illud quod in genere causæ efficiētis influit in motum; aliud passiuum & est illud quod in genere causæ materialis concurrit ad motum ipsum recipiendo. Ideo nunc quærimus: An ad rationem naturæ requiratur quod sit principium passiuum motus & quietis, an vero quod sit principium actiuum? Pro cuius decisione,

5. Notandum *primo* ex Scoto. 4. d. 43. q. 4. n. 2. §. *Intelligendum quod naturale æquiuoce accipitur. Primo* enim sumi potest prout contradistinguitur ad supernaturale, in quo sensu omne quod fit per virtutem agentis naturalis iuxta præfixum ordinem naturæ, dicitur naturale. *Secundo* modo sumitur naturale provt distinguitur contra liberum & idem est quod necessarium, in quo sensu agens quod non potest libere se determinare ad operandum vel non operandum: vt ignis respectu calefactionis, dicitur naturale. *Tertio* modo sumitur naturale provt opponitur violento, & vt sic dicitur *naturale* quod est iuxta inclinationem & propensionem internam, & *natura* id à quo prouenit talis inclinatio seu propensio. Sicut è contra violentum dicitur quod est contra prædictam internam inclinationem seu propensionem, & in hac acceptione dicunt omnes sumi naturale seu naturam ab Aristotele in hoc libro, dum eius definitionem assignat.

Notandum *secundo*, rationem naturæ competere materiæ & formæ, quæ sunt partes constituentes totum compositum naturale, quod inde dicitur naturale, quia habet in se naturam, id est materiam & formam, quæ sunt in ipso principium & causa motus & quietis. Et aduerte quod ens naturale non dicit inclinationem & propensionem naturalem ad recipiendum hunc motum potius quam illum ratione solius materiæ: alias omnes motus essent naturales: siquidem materia ex se inclinationem naturalem dicit, ad omnes formas, & consequenter ad omnes illarum motus, sed hoc prouenit illi principaliter à forma, quæ capacitatem quam habet materia ad omnes motus recipiendos, determinat ad hunc motum in speciali & non ad alium: vt in igne v. g. citius inclinatio ad ferendum sursum non competit ipsi ratione solius materiæ; sed principaliter ratione formæ, quæ sicut princi-

principaliter tribuit speciale esse & determinatum, ita specialem, & determinatam inclinationem ad hoc vt moueatur. His suppositis,

6. Sit nostra conclusio: *Ad rationem naturæ solum requiritur quod sit principium passiuum, imo tantum per rationem principij passiui constituitur non solum materia sed etiam forma in ratione naturæ.* ita Scotus 5. Metaph. ad liter. Aristot. num. 28. & 2. d. 2. q. 10. num. 8. & dist. 18. n. 4. & 4. d. 43. q. 4. n. 2. & 3. contra Thomistas communiter asserentes naturam esse vel principium actiuum vel passiuum. Probatur conclusio *primo* ex Aristotele, qui vbicumque loquitur de inclinatione seu principio isto motus, per quod aliquid constituitur in ratione naturæ semper illud explicat verbis quæ sonant principium vel inclinationem passiuam, non actiuam: nam primo cap. huius libri in definitione naturæ vbi nos legimus *principium & causa* &c. alij legunt iuxta rigorem Græcum: *Natura est principium & causa vt id moueatur & quiescat, in quo primo & per se & non ex accidenti inest.* Item hic text. 71. & 73. ponens discrimen inter mouentia naturalia seu Physica & mouentia non Physica seu non naturalia, illud assignat penes principium passiuum: Inquit enim quod mouentia mota sunt Physicæ considerationis, non vero mouentia non mota, & reddens rationem, subdit: quia mouentia non mota non habent principium motus in se ipsis. Ex quibus verbis sic conficio argumentum: mouens non motum non est ens Physicum seu naturale ex Aristotele, quia non habet principium motus; sed habet principium actiuum, ergo ad rationem naturæ sufficit & solum requiritur ratio principij passiui. Quæ ratio proculdubio est efficax ex authoritate Philosophi: quidquid dicat noster Poncius, qui & eadem vtitur num. 15. in prima responsione ad Mastrium.

Probatur *secundo*: Tunc natura est principium per se & intrinsecum causatiuum motus respectu eius, in quo est, quando motus cuius est causa, est naturalis enti, quod mouetur prout naturale opponitur violento; sed hoc habet quatenus principium passiuum præcise, ergo &c. probatur mi. ille motus seu mutatio est naturalis in qua passum mutatur, sicut aptum natum est mutari, à quocumque agente fiat illa mutatio; sed passum dicitur aptum natum mutari præcise quatenus est principium passiuum, ergo sub ratione talis præcise constituitur in esse naturæ, probatur ma. Si aqua calida mutaretur in frigidam recipiendo frigiditatem ab aliquo agente extrinseco v. g. à niue, tam naturaliter mutaretur ac si ipsa produxisset in se frigiditatem. Et hoc præcise quia recipit formam iuxta suam propensionem naturalem, ergo impertinenter se habet ad rationem naturæ ratio principij actiui, atque adeo per hoc præcise quod sit principium passiuum constituitur in esse naturæ. Plura vide apud nostrum Poncium hic.

7. Sed contra; Obiicies *Primo* Aristoteles hic declarans definitionem naturæ ait, se apposuisse illam particulam *per se & non secundum accidens* ad excludendam artem medendi quâ medicus se ipsum curat: quia hæc non inest medico per se, in quantum sanabilis est, sed solum per accidens. Modo sic conficitur argumentum: ars medendi est principium actiuum motus ad sanitatem, ergo etiam ex mente Aristot. natura erit

principium actiuum sanitatis, cum hoc tamen discrimine, quod natura sit principium per se, medicina vero per accidens: patet consequentia quia si natura ex mente Aristot. esset solum principium passiuum, superfluum esset distinguere ipsam ab arte, quia hæc est principium per accidens & illa per se: siquidem per rationem principij passiui, quæ non conuenit arti esset iam exclusa: ℞. Aristotelem dicendo naturam esse principium *per se* & *non secundum accidens* satis insinuasse debere esse principium passiuum: siquidem omne principium passiuum semper est per se, & intrinsece conueniens subiecto. Quod secus est in principiis actiuis, & ad hanc veritatem probandam adduxisse exemplum de medicina, quæ & est principium actiuum & per accidens conueniens medico in quantum sanabili: sanatur enim idest recipit sanitatem per se in quantum infirmus, in quo sensu habet principium passiuum & per se sanitatis.

Obiicies *secundo* ex Aristot. 8. Physicor. & 1. de partibus animalium, anima est natura, & licet hoc dubitet de mente, tamen de nutriente & sentiente concedit, quod sunt natura; sed anima quæ est forma, est principium actiuum, ergo ex Arist. natura est principium actiuum: ℞. conced. animam & quamcumque aliam formam esse naturam, imo magis naturam quam materiam vt inquit Aristot. hic à tex. 7. vsque ad 15. sed hoc non competit formæ in quantum est principium actiuum motus, sed quatenus est principium passiuum, idest in quantum constituit materiam vel compositum aptũ, imo naturaliter inclinatum ad aliquem motum accipiendum. Quod iam manet explicatum ex notabili 2. & habet Scotus 2. citato.

Obiicies *tertio*, Aristoteles distinguit entia artificialia à naturalibus: quia hæc habent in se principium motus; illa vero non, ergo tribuit entibus naturalibus, quod non habent artificialia; sed artificialia non habent principium sui motus actiuum, ergo illud tribuit Aristoteles entibus naturalibus, & consequenter si per principium actiuum distinguuntur ab artificialibus naturalia, etiam per principium actiuum constituentur in esse talium: quia idem est principium constituendi & distinguendi; ℞. Aristot. solum distinguere naturalia ab artificialibus: quia hæc in quantum talia nullam inclinationem passiuam dicunt ad motus, sicut naturalia (quia potius dicunt resistentiam vt inquit Scotus 2. citato vel saltem neutralitatem.) Et illud est quod non habent artificialia, & quod tribuit in illo discrimine entibus naturalibus Aristoteles.

8 Obiicies *quarto*, Naturale sumitur in præsenti, vt opponitur violento; sed violentum definitur per principium actiuum; ergo etiam naturale debet definiri & constitui per principium actiuum: consequentia est bona, quia oppositorum eadem est ratio, ma. supponitur & mi. probatur ex Aristot. 3. Ethicor. capite 3. vbi sic definit violentum: *Est cuius principium est extra, non conferente vim passo.* Respondet Scotus 4. citato *quod in descriptione violenti ponitur agens tanquam extrinsecum, sed non tanquam per se complens, nec tanquam per se constituens rationem violenti, sed tantummodo completur per illud passo vim non conferente.*

Sed contra: *Vim non conferente* idem sonat ac actiue concurrente, quod probatur ex Scoto 4. d. 29. num. 6. *intellige passo vim idest violentiam non conferente,*

ferente , non negatiue , sed contrarie idest conferente. Respondet Scotus 2. d. 18. supra. *Quod debet exponi non conferente, idest non præbente inclinationem & tendentiam , imo magis contrariam inclinationem ; non autem debet exponi non conferente idest non coagente agenti exteriori.* Vnde hæc inclinatio passi , contra quam dicitur esse violentum , non debet esse actiua & ad eliciendum motum contrarium , sed passiua & ad illum recipiendum. Et hæc sola significatur nomine *impetus* interni ab Aristot. cum 2. physicor. aliis verbis definiuit violentum dicens : *Quando igitur foris quidpiam præter impetum intrinsecum mouerit vel sedauerit, vi id fieri asserimus*: nam ibi nomine impetus nihil aliud intelligitur , quàm pondus & inclinatio naturalis , quam non est necesse esse actiuam. Ad authoritatem Scoti dico , quod debet intelligi contrarie vim conferente: quia passum quod violentatur , non dicit indifferentiam aut neutralitatem sed contrarietatem & resistentiam positiuam ad formam seu motum , in cuius receptione patitur violentiam.

QVÆSTIO III.

Quid & quotuplex sit causa per se ?

NOta multipliciter posse sumi causam, vel nimis ample & vulgariter, quo pacto principium & causa pro eodem sumuntur & in hoc sensu Arist. 2. Metaph. capite 2. priuationem causam appellauit ; vel nimis stricte pro eo solum, quod efficiendo causat, in quo sensu sola causa efficiens habet rationem causæ ; vel denique medio modo secundum quem tantum comprehendit quatuor vulgata genera causarum. Et in hoc sensu (in quo procedit titulus Quæstionis) nullibi definita est ab Aristoteles. Propterea dimissis aliorum definitionibus placet illa , quam tradit Pater Suarez disp. 12. Metaph. quæ sic se habet.

9. Prima conclusio. *Causa est principium per se influens esse in aliud.* Probatur & explicatur , ponitur ly *principium* pro genere & reliquæ particulæ loco differentiæ : nam per particulam *per se influens* excluditur priuatio & omnis causa per accidens , quæ per se non conferunt aut influunt esse in aliud. Et aduerte verbum *influit* non sumi stricte , vt solet attribui specialiter causæ efficienti , sed generalius vt æquiualet verbo dandi vel communicandi esse alteri. Et per hoc sufficienter definitur causa per se in communi intra ambitum rerum naturalium , & quæ lumine naturali cognoscuntur.

10. Quia tamen hic labor philosophicus deseruire debet Theologiæ , tales oportet hic definitiones tradere , quæ non repugnent veritatibus in Theologia communiter receptis. Vnde cum in sententia Theologorum excludatur ratio veræ & propriæ causæ in diuinis à patre respectu filij & ab vtroque respectu Spiritus sancti. Propterea dico Patrem producentem filium & vtrumque Spiritum sanctum ideo non habere rationem causæ , quia primarium esse quod in illis productionibus communicatur, non efficitur, sed idem numero esse diuinum est in tribus personis. Quare per illam particulam *influens esse* excluditur ratio causalitatis à processionibus diuinis : denotatur enim per illam omnem causam, quæ influit esse in aliud per modũ principij per se & extrinseci, dare illud, efficiendo ipsũmet esse: quod communicat , & ideo semper dat esse

distinctum ab esse proprio, quod in se habet, quod secus est in productionibus diuinis.

11. Secunda Conclusio *quatuor sunt tantum genera causarum per se: materialis scilicet formalis, efficiens & finalis* .Ita communiter omnes Peripatetici. Probatur: Compositum naturale & physicum fit per generationem, ergo ex præsupposita materia, alias crearetur. Deinde materia prima est pura potentia subiectiua carens omni actu formali & physico; vnde est pars tantum & principium incompletum compositi, ergo debet dari aliqua pars simul concurrens & hæc est forma substantialis.Item nihil se ipsum producit, ergo compositum naturale fit ab alio, ergo vltra prædictas causas datur alia, quæ est efficiens & producens.Denique omne efficiens agit propter finem, ergo datur etiam causa finalis, & nulla alia desiderari potest ad complementum compositi physici: nam instrumentalis & exemplaris reducuntur ad efficientem, vt postea videbimus.

Rursus diuiditur causa in primam & secundam; illa est Deus, hæc creaturæ. Diuiditur *secundo* in mediatam seu remotam & in proximam seu immediatam, hæc est quæ attingit effectum ratione sui, illa quæ ratione alterius rei à se productæ. *Tertio* diuiditur in vniuocam & æquiuocam, illa est quæ producit sibi similem effectum in specie, vt leo leonem; ista est quæ producit effectum dissimilem in specie: Vt Sol respectu effectuum inferiorum. *Quarto* diuiditur in totalem & partialem, hæc est quæ producit effectum simul cum alia, illa verò se sola. *Quinto* diuiditur in moralem & physicam, hæc est quæ vere & realiter producit effectum, illa vero est quæ solum consulendo, impetrando, imperando &c. *Sexto* diuiditur in instrumentalem & principalem, principalis est quæ virtute propria operatur, instrumentalis vero quæ dependenter à principali operatur, de quibus suo loco. *Septimo* diuiditur in vitalem seu immanenter operantem & in non vitalẽ seu transeunter operantem, illa est quæ in se recipit suum effectum, hæc vero quæ non in se recipit. *Octauo* diuiditur in liberam & necessariam, illa est quæ positis requisitis ad operandum potest operari aut non operari, vt voluntas; Ista vero est quæ omnino determinata est ad operandum positis requisitis: Vt ignis ad calefaciendum, sol ad illuminandum.

12. Inquires *Quid sit causalitas in causa, seu quod idem est, id per quod aliquid constituitur in esse causæ*? Pro Responsione nota, causam considerari posse & in actu primo, & in actu secundo: in actu primo nihil aliud est, quàm ipsa causa in potentia id est potens prorumpere in effectum & operationem; In actu secundo est ipsa causa actualiter influens & operans. Hoc supposito ℞. causalitatem causæ in actu primo seu in potẽtia esse virtutem, quam habet ad causandum & influendum in suum effectum, causalitatem vero causæ in actu secundo & actualiter causantis esse ipsum influxum, quo actualiter influit in suum effectum. Quid autem sit ista virtus causandi & iste influxus actualis in vnaquaque causa, dicemus inferius dum de qualibet in particulari sermo fiat.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

Quid sint causa materialis & formalis?

Aristoteles hic cap. 3. text. 28. sic definiuit causam materialem: *Est principium ex quo aliquid fit cum insit.* & 5. Metaph. c. 2. *causa materialis est ex qua inexistenti aliquid fit.* Ponitur ly principium pro genere, in quo conuenit cum reliquis causis, à quibus sufficienter distinguitur per reliquas particulas: nam per ly *ex quo aliquid fit* non solum differt à causa efficienti & finali (quæ non sunt principia ex quibus, sed efficiens est à quo & finalis cuius gratia seu propter quem aliquid fit) sed etiam differt à causa formali, quæ etsi sit principium ex quo aliquid fit, sed non in ea proprietate in qua hic sumitur particula *ex quo*.

Pro cuius explicatione nota particulam *ex quo aliquid fit* sumi posse late & in toto rigore, late sumpta supponit pro quocumque principio intrinseco intrante in compositionem rei vel requisito intrinsece ad eius generationem: vt in definitione principiorum entis naturalis diximus. *Quæ neque ex se se mutuo neque ex aliis, sed omnia ex ipsis fiunt.* Stricte autem & in rigore sumpta solum significat principium intrinsecum generationis ipsam generationem antecedens & inchoans, & in isto sensu sumitur in hac definitione. Vnde per hanc particulam differt causa materialis à formali: quia ista non est principium generationem antecedens, sed potius terminans & perficiens. Per vltimam particulam *vt insit* siue vt in altera definitione *ex qua inexistenti* differt à priuatione quæ etsi sit principium, ex quo fit generatio ipsam generationem antecedens & quasi inchoans, non tamen ita vt insit, idest non ita vt maneat componendo rem, quæ fit per generationem.

14. *Causa formalis est quæ dat esse rei intrinsece & completiue.* Sic communiter definitur & per illam explicatur alia, quam tradit Aristot. definiens causam formalem in communi 5. Metaph. cap. 2. quod forma *est ratio & quod quid erat rei*: Explicatur & probatur. Ponitur ly *dat esse rei* pro genere, quod commune est cæteris causis. Per ly *intrinsece* differt à causis extrinsecis videlicet finali & efficienti. Per ly *completiue* differt à causa materiali, quæ etsi intrinsece det esse rei, non tamen completiue vt forma, sed solum inchoatiue vt diximus.

15. Ex his definitionibus colliges *primo*, causam materialem latius patere, quàm materiam primam: siquidem sub se comprehendit & materiam primam & materiam secundam, quæ est quoddam compositum substantiale ex materia prima & forma quadam organica corporeitatis, provt in se recipit aliam formam substantialem nempe animam, de quo in lib. de generat. Item comprehendit sub se omne subiectum, quod recipiens in se formam accidentalem vel artificialem simul cum illa componit intrinsece aliquod totum accidentale vel artificiale.

Colliges *secundo*, sub ratione causæ formalis non solum comprehendi formam substantialem, sed etiam formas accidentales, quæ aduenientes subiecto intrinsece componunt & perficiunt esse compositi accidentalis. Nunc vero solum disputabimus de materia prima & forma substantiali tam quoad suos effectus, quam quoad causalitates. Et quidquid dictum fuerit de illis accommodari poterit subiecto & formæ accidentali.

QVÆSTIO V.

Qui sint effectus, & quæ causalitates materiæ & formæ?

OPortet prius explicare qui sint effectus materiæ & formæ ad cognoscendum, quæ & quotuplex sit causalitas tam materialis quam formalis: quia cum istæ causalitates (vt supra diximus de causalitate causarum in communi) nihil aliud sint quàm influxus, quibus materia & forma influunt in suos effectus, vtique prius necessarium erit, cognoscere quot & quos effectus habeant?

16. Sit prima conclusio, *Si per nomen effectus solum intelligatur id quod pendet ab alio tanquam terminus adæquatus & vltimus, effectus materiæ & formæ vnicus est scilicet totum compositum; Si autem intelligatur nomine effectus quidquid pendet ab alio siue sit terminus adæquatus siue non, illius dependentiæ, tunc quatuor sunt effectus materiæ videlicet forma educta, forma recepta, ipsa generatio totius idest totum in fieri, & totum in facto esse. Similiter forma habet pro effectu ipsum influxum materialem materiæ, quo ipsam formam sustentat, & specificationem seu determinationem materiæ ad esse huius vel illius compositi.* Probatur quoad primam partem ex ipsis definitionibus causæ materialis & formalis: nam si materia est ex qua inexistenti aliquid fit, & forma quæ intrinsece complet esse rei, ergo solum compositum est effectus proprius illarum: patet consequentia quia solum compositum est quod proprie dicitur fieri ex materia inexistenti, & quod intrinsece completur per formam. Probatur quoad secundam partem de effectibus materiæ: quia omnes illi enumerati dependent à materia: nam ex ipsa educitur forma & in ipsa recipitur, item ex Aristotele materia est principium non solum entis naturalis, sed etiam generationis eius, idest non solum compositi in facto esse, sed etiam in fieri. Probatur etiam quoad effectus formæ: quia vt postea dicemus causa materialis & formalis quoad causalitatem & influxum sunt sibi inuicem causæ & vna ab alia in diuersis generibus pendet. Neque possibile est quod materia sustentet formam, nisi forma etiam informet materiam, ergo illa sustentatio materiæ circa formam est effectus formæ informantis & actuantis materiam, & consequenter ipsa specificatio vel potius determinatio materiæ erit etiam effectus formæ.

17. Pro explicatione & solutione secundæ partis quæstionis Nota, causalitates, quibus materia & forma constituuntur causæ in actu primo esse in materia potentiam receptiuam formæ, & in forma potentiam informatiuam materiæ, quæ potentiæ vt diximus supra disp. 1. quæst. 7. sunt ipsis realiter identificatæ, & de istis non procedit quæstio, sed de causalitatibus, quibus constituuntur causæ in actu secundo, quas certum est distingui realiter à materia & forma: quia possunt existere sine causalitatibus istis: vt patet in anima separata quæ cum actualiter nón informet corpus nec simul cum illo constituat hominem, expers est actualis causalitatis. Et idem posset dici de materia prima, si per potentiam Dei conseruaretur sine vlla forma.

Aliqui respondent ad propositam quæstionem, causalitates materiæ & formæ esse influxus reales, quibus actu influunt in suos effectus. Et si iterum inquiras ab illis, quid sint isti influxus in causa materiali & formali?

Respondent

Respondent alij quod sicut influxus causæ efficientis nihil aliud est quàm effectus vt fluens ab agenti, ita influxus causæ materialis & formalis nihil aliud est quam effectus vt fluens à materia & forma; Sed isti authores non satis explicant quod inquirimus: quia non dubitamus causalitates materiæ & formæ esse earum influxus in suos effectus, item & istos influxus esse ipsarum effectum vt fluit à materia & forma (hoc enim est commune omnibus causis) sed quod specialiter quærimus est, in quo consistant isti influxus, quibus mediantibus materia & forma producunt suos effectus. Suarez & alij authores, qui, vt supra retulimus disp. 1. q. 13. asserebant vnioné inter materiam & formam esse modum substantialem, consequenter ad hæc dicunt in præsenti causalitates earum esse eumdemmet modum substantialem

18. Secunda conclusio, *Causalitas materiæ nihil aliud est quàm influxus passiuus, quo in se recipit formam, & per ipsum concurrit ad fieri formæ (si materialis est) & tribuit esse composito; Causalitas vero formæ est influxus formalis, quo actuando & informando materiam quæ ipsam recipit cõponit & tribuit esse composito. Hi autem influxus supra entitates materiæ & formæ, quæ intime vniuntur & quas pro materiali connotant, nihil addunt seu dicunt pro formali, quam relationes transmutati ad transmutans ex parte materiæ ad formam, & transmutantis ad transmutatum ex parte formæ ad materiam, quando in generatione ab agente naturali coniunguntur.* Hæc conclusio manifeste sequitur ex his quæ diximus q. 13. citata, vbi demonstrauimus, vnionem materiæ & formæ nihil aliud includere formaliter nisi relationes trãsmutantis, ad transmutatum & transmutati ad transmutans, quæ relationes, vt ibi etiam diximus, pertinent ad prædicamentum actionis & passionis, ergo causalitates materiæ & formæ consistunt formaliter in actione & passione, quas dicunt adinuicem.

Probatur & explicatur amplius, quia illud dicitur causalitas materiæ & formæ quo mediante producunt suos effectus; sed materia per passionem seu receptionem passiuam formæ non solum concurrit ad fieri ipsius formæ (si materialis est) sed etiã tribuit esse composito, quod ex ipsis resultat & similiter forma per transmutationẽ qua format materiam, transmutat illam & tribuit eidẽ cõposito esse, ergo causalitates materiæ & formæ consistunt formaliter in actione & passione, quibus ad inuicem transmutantur.

19. Ex quo colligo non esse opus assignare in materia diuersam numero causalitatẽ respectu compositi & formæ, etiamsi compositum & forma sint effectus materiæ realiter distincti, & vnus prior natura alio. Et ratio est quia eadem numero susceptio passiua formæ dicitur causalitas materiæ respectu formæ, in quantum forma in suo fieri & conseruari pendet ex illa, & causalitas respectu compositi, in quantum per ipsam intime & substantialiter vnitur materia cum forma & consequenter fit compositum. De hoc vide nostrum Poncium fuse satis disputantem.

Sed dices causalitas est ad fieri effectus, imo ipsum fieri effectus; Sed susceptio passiua formæ præsupponit factam formam quæ suscipitur, ergo male dicimus susceptionem passiuam formæ esse causalitatem, qua media influit materia in fieri & esse formæ. ℞. concessa ma. dist. mi. susceptio passiua formæ præsupponit factam formam, si forma non educitur de potentia illius materiæ

materiæ in qua suscipitur. conced. mi. quia vt diximus disp. præced. q. 11. formæ quæ non educuntur de potentia materiæ vt est anima rationalis, prius natura fiunt, quam vniantur & recipiantur in materia, licet simul tempore & vniantur & fiant; at vero si forma educatur de potentia materiæ, in qua suscipitur. neg. mi. quia cum sit eadem actio naturalis, qua formæ educuntur de potentia materiæ, fiunt & vniuntur ipsi materiæ, implicat quod vnio siue susceptio passiua earum præsupponat ipsas factas. Vnde neg. conseq. quia nostrum assertum solum procedit de formis, quæ educuntur de potentia materiæ.

20. Inquires. An possit Deus munus causæ materialis & formalis supplere? ℞. quod siue considerentur istæ causæ in ordine ad compositum, respectu cuius sunt causæ intrinsecæ, siue in ordine ad se inuicem, in quo sensu vtraque est causa extrinseca alteri, neutro modo potest Deus causam materialem aut formalem supplere. Et ratio est quia in vtroque sensu inuoluit imperfectionem, propterea repugnat Deo tales causalitates supplere. Imo in priori sensu esset euidens implicantia: siquidem esset homo v. g. & non constaret suis partibus essentialibus videlicet anima & corpore. Aduerte tamen quod causalitatem materiæ respectu formæ, qua ipsam sustentat, bene posset Deus supplere in alio eminentiori genere causæ videlicet efficientis, quo pacto sustentat accidentia Eucharistica sine subiecto: Imo & causalitatem explicatam per eductionem posset Deus in eodem genere supplere casu quo formam omnino independenter à materia produceret, & præcisam ab illa conseruaret.

QVÆSTIO VI.

Quid sit causa efficiens & quæ eius causalitas?

21. Aristoteles in hoc 2. lib. cap. 2. & 3. sic definiuit causam efficientem: *Est primum principium vnde est mutatio & quies.* Explicatur communiter quod *primum principium* ponatur pro *genere* in quo conuenit cum reliquis causis: omnis enim causa in suo genere est primum principium. Particula *vnde est mutatio* quod idem est ac *à quo est mutatio* ponitur pro differentia à reliquis causis: nam materia prima est ex qua procedit mutatio, forma in quam tendit, & finis est cuius gratia seu propter quem procedit ab agente. Additur *& quies* ad denotandum, quod sicut causa efficiens est principium, vnde est motus, quo per actionem influit in effectum, ita etiam est principium, vnde quies procedit per cessationem ab operatione.

Plures defectus notat noster Poncius, in hac definitione, quæ tamen subintellectis quibusdam particulis, vt ipse etiam ibidem fatetur, sufficienter explicabit naturam definiti. In primis aduertendum est, non definiri per ipsam causam efficientem vt sic & vt sub se comprehendit etiam creatiuam, sed præcise causam efficientem cum dependentia à materia, qualis solum est quæ expectat ad considerationem Physicam, propterea ponitur ly *mutatio* quæ non reperitur in creatione. Deinde per particulam *à quo est mutatio* prout à nobis condistincta est à particulis significantibus influxus aliarum causarum, significatur esse causam realiter existentem & non solum obiectiue in intellectu, qualiter

ter existit causa finalis, cuius talis influxus significatur per ly *propter quem*, aut *cuius gratia*. Significatur etiam quâ talem non facere compositionem cum suo effectu, ad excludendum potentias omnes vitales immanenter operantes, verbi gratia intellectum, qui licet in se recipiat effectum nempe intellectionem, & cum ea compositum accidentale faciat, non tamen quatenus efficiens est. Et per hoc excluduntur materia & forma, quæ sunt causæ componentes suum effectum, quarum tales influxus significantur per ly *ex qua* & per ly *per quam*.

Pro secunda parte Quæstionis, nota non esse dubium de causalitate causæ efficientis in actu primo & in potentia: quia certum est hanc causalitatem esse formam, per quam in actu primo cõstituitur potens operari. Quæ forma an sit ipsamet substantialis per quam efficiens constituitur in suo esse substantiali, an vero sit alia forma accidentalis superaddita dicemus. q. 8. Sed est dubium de causalitate in actu secundo per quam redditur actualiter causans; de qua etiam supponimus vt certum esse aliquid realiter distinctum ab ipsa causa efficiente: Quia potest existere in rerum natura, & tamen non actualiter causare, ergo causalitas per quam constituitur actu causans, est quid distinctum realiter ab ipsa.

22. Sit conclusio: *Causalitas causæ efficientis consistit in actione.* Est communis apud omnes & probatur. Illa est causalitas efficientis, à qua constituitur actu causans seu efficiens; Sed talis constituitur per actionem, ergo. Probatur mi. per illud constituitur actu efficiens, quod est fundamentum proximum relationis, quam dicit causa efficiens ad suum effectum; sed ista ex Aristot. 5. Metaph. fundatur proxime in actione, ergo actio est causalitas causæ efficientis.

23. Sed quia ex Scoto 4. d. 13. q. 1. hoc nomen *actio* æquiuocum est & plura significans, oportet explicare in qua acceptione sumatur in præsenti. *Primo* sumi potest pro operatione seu actione vitali, in quo sensu intellectio & volitio actiones nuncupantur. *Secundo* pro respectu producentis ad productum. *Tertio* pro respectu educentis ad eductum vel inducentis ad inductum. *Quarto* pro respectu transmutantis ad transmutatum. *Quinto* pro re acta, vt importat respectum quem dicit hoc quod est *esse ab alio* in qua acceptione actio idem est quod forma fluens, idest fluxus formæ, seu vt alij dicunt forma in fieri id est forma vt proueniens ab agente ad suum terminum. Qui fluxus siue dependentia formæ, si fit in aliquo præsupposito subiecto, dicitur motus seu mutatio, si vero non fit in subiecto, dicitur Creatio.

Hoc prænotato asserendum est, actionem esse causalitatem causæ efficientis in quinta & vltima acceptione, sumpta scilicet pro re acta vt importat respectum quem dicit *esse ab alio*. Et ratio est quia solum in hac acceptione habet actio quod sit via seu fluxus quo mediante efficiens producit suum effectum: nam in prima acceptione actio potius est terminus influxus, quàm via & influxus. In secũda acceptione est quid consequens effectum & quid resultans ex positione efficientis & effectus. In tertia vel est etiam quid consequens effectum, vel quid reducibile aut identificatum cum actione prout in quarta acceptione, in qua actio non respicit effectum seu formam productam ab

efficiente, sed subiectum in quo fit effectus seu forma producta ab efficiente. Vnde in creatione quæ est productio ex nullo præsupposito subiecto non reperitur actio sumpta in quarta acceptione, & tamen secundum omnes reperitur vera & propria causalitas efficientis seu creantis. Quæ omnia exactius explicabuntur disp. seq. quæst. 2. vbi decidemus, quo pacto actio & passio sint idem motus?

24. Nota vlterius circa actionem provt in tertia acceptione: Et aduerte pro exacta notitia eorum, quæ disp. præced. quæst. 11. diximus de eductione formarum ex potentia materiæ, dari posse respectum inducentis sine respectu educentis: vt patet in anima rationali, quæ inducitur & non educitur; nō posse tamen esse eductionē sine inductione: nihil enim educitur de potentia materiæ aut alterius subiecti, quod non recipiatur in ipsomet. Similiter potest dari respectus transmutantis sine eductione: vt patet in transmutatione corporis, quod est altera pars viuentis per animam rationalem non tamen sine eductione: quia nihil potest transmutari proprie loquendo, hoc est intrinsece per receptionem formæ, quam non habuit ante, quin inducatur illa forma in illud, quod transmutari dicitur.

Et Aduerte me notanter apposuisse illam disjunctiuam scilicet relationes eductionis & inductionis *vel esse quid consequens effectum, vel reduci ad relationes transmutantis & transmutati:* quia sumi possunt pro relationibus, quæ remanent etiam post productum effectum, quo sensu appellauit eas Scotus intrinsecus aduenientes; vel sumi possunt pro relationibus solum durantibus in fieri effectus. Et in hoc sensu actio eductiua identificatur realiter actioni inductiuæ; & actio transmutatiua actioni inductiuæ, in hoc sensu quod illa actio, qua transmutatur aliquod subiectum, debeat necessario esse actio, qua inducatur aliquid in ipsum; & illa actio qua inducitur in subiectum, debeat necessario esse actio, qua transmutatur; Et denique illa actio qua aliquid educitur de subiecto debeat esse & actio, qua inducitur aliquid in ipsum, & consequenter actio, qua transmutatur illud subiectum.

25. Obiicies *primo* contra conclusionem, actio est effectus causæ efficientis, ergo non est causalitas illius, consequentia est certa, quia causalitas est via in effectum, & antecedens probatur, actio egreditur ab agente & procedit ab eo cum dependentia, in quo consistit vera ratio effectus. ℞. actionem provt hic sumitur non esse effectum sic absolute dictum, sed viam & influxum quo mediante efficiens producit ipsummet effectum. Ad probationem antecedentis dico, actionem egredi & procedere cum dependentia ab efficiente, non vt *quod* fit, quod est requisitum ad rationem effectus, sed vt *quo* aliquid fit, quod est proprium non effectus, sed causalitatis, seu causationis effectus.

26. Obiicies *secundo* causalitas debet esse in re quæ formaliter denominatur causans, sed actio non est in re quæ denominatur causans: cum sit iuxta explicationem datam in ipsa re acta seu effecta, ergo actio non est causalitas causæ efficientis probatur ma. quia cum causalitas sit actus à quo formaliter denominatur causa causans, necessario requiritur quod in ipsa sit formaliter: ℞. neg. ma. ad probationem eius dico. Ad hoc vt aliquid denominetur formaliter causans causalitate, non esse necessarium quod causalitas sit in illo, sed quod sit ab illo, præsertim efficienti, quæ est causa *à qua*: Et ratio est

est quia causalitas efficientis non denominat formaliter causans illud in quo est, sed illud à quo est.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Deus concurrat cum causis secundis ad earum effectus; & quomodo?

27 SVpponit Titulus Quæstionis, dari aliquam causam, primam, quæ à nulla alia producatur, & à qua omnes accipiant esse. Quod inde euidenter suadet Scotus: quia cum nihil possit se ipsum producere, nec duæ causæ mutuo se inuicem quoad primum esse, causare possint, necessario deueniendum est ad aliquam, quæ improducta sit & origo reliquarum. Et ista est Deus Opt. Max.

Supponit secundo, non omnia Deum efficere se solo ad præsentiam causarum secundarum, vt quidam dixerunt, sed etiam causas secundas aliquid agere propria virtute actiua, quod & fides docet & ex principiis & experientiis naturalibus euidenter ostenditur, quibus suppositis, sit prima conclusio,

28. Prima conclusio, *omnes causæ secundæ quantumcumque perfectæ & in actu primo constitutæ ad operandum per virtutem in ipsis permanentem indigent concursu & auxilio Dei, quo earum operationes siue actus proprie & per se à Deo fiant, quare cum omnibus immediate concurrit & influit in earum operationes.* Hæc est communis sententia omnium Philosophorum & Theologorum, quã subtiliter illustrat Scotus 2. d. 37. Et est nota lumine naturæ & vt talem ipsam tradiderunt grauissimi Philosophi Aristot. 7. Physicor. p. 1. & 8. c. 5. Et Plato apud Damascenum c. 1. suæ Philosophiæ adeo certam iudicauit, vt propterea causas secundas appellauerit instrumenta primæ. Est contra Durandum 2. d. 1. q. 5. cuius singularem sententiam quidam P. Capucinus fr. Ludouicus à Dola suscitauit his temporibus nouitatis vel singularis ingenij ostendendi gratia: quippe componens de hac præcise materia librum inscriptum: *Disputatio quadripartita de modo coniunctionis concursuum Dei & creaturæ &c.*

Probatur *Primo* ratione deducta ex Scoto. Si Deus non concurreret cum omnibus causis secundis tam liberis quàm naturalibus concursu immediato ad earum effectus, sequeretur quod non esset omniscius, nec esset omnipotens; sed hoc non est dicendum, ergo &c. Probatur sequela, nisi Deus sic concurreret, non posset eas determinare ad earum effectus, nec operationes earum impedire; sed nisi hoc posset nõ esset omniscius, nec omnipotens, ergo tale hoc sequeretur, mi. est certa quoad vtramque partem: quia in primis non posset cognoscere, quis numero calor, verbi gratia ex infinitis producibilibus ab isto igne, esset hic & nunc producendus, nisi determinaret ignem ad hunc numero calorem producendum præ aliis; item nec posset cognoscere quid voluntas esset operatura an amorem vel odium; nec etiam similiter esse omnipotens propter eamdem rationem: ma. probatur & patet in igne Babylonico, vbi non est assignabilis ratio ob quam impeditus fuerit à sua operatione præter defectum seu substractionem diuini concursus: omnia enim requisita ex parte actus primi erant apposita, ergo ex concursu immediato cum causis secundis habet Deus, quòd ipsas determinet, & ipsas possit impedire ab earum operationibus.

29. Quod si dicas posse Deum impedire tales effectus per productionem contrarij effectus, aut destructionem passi, aut causæ efficientis; vel etiam per hoc solum, quod nolit effectum produci, ita quod Deo solum permittente, creaturæ tanquam causæ adæquatæ producerent suos effectus, & eo solum nolente, non possent producere. ℞. ad *primum* negari non debere, quod sit quid arguens maximam perfectionem in Deo, posse ipsum directe absque productione contrarij & absque destructione vllius alterius creaturæ tales effectus impedire. Ad *secundum* dico, quod vel illa permissio Diuina consistit in volitione aliqua positiua Dei quâ vult vt effectus producatur à causa secunda vel consistit in suspensione omnis actus. Si primum habemus intentum: quia nullum alium concursum immediatum requirimus præter huiusmodi volitionem efficacem, quâ posita ponitur infallibiliter effectus & qua non posita non ponitur. Si secundum dicatur, est omnino falsum: quia nulla negatio potest esse principium Physicum aut conditio Physica requisita ad aliquem effectum, nisi talis negatio tollat aliquod impedimentum Physicum effectus; sed illa permissio Diuina consistens in negatione non est negatio vllius impedimenti Physici effectus necessario: quia suppono quod posset impedire effectum absque impedimento aliquo Physico, sed præcise per suam nolitionem, non ergo consistit permissio Diuina in mera negatione, sed potius in volitione positiua, quæ est prior pars dilemmatis, ex quo habetur intentum.

30. Probatur *secundo* conclusio. Entitas noua effectus producti à causa secunda est entitas per participationem non solum in facto esse, sed etiam in fieri, ergo habet esse à causa prima actu concurrente tam pro instanti quo fit, quàm pro tempore, quo est, antecedens est certum & consequentia tenet: quia non alia ratione concedit Durandus causas secundas dependere à Deo in conseruatione sui esse, nisi quia tale esse est participatum; sed non minus causæ secundæ sunt entia per participationem in operando, quàm in essendo, ergo ipsa actualis operatio dependet à concursu Diuino.

31. Dices pro Durando cum nostro Poncio hic num. 53. non ideo rem in conseruari pendere immediate à Deo, quia est ens participatum solummodo, sed quia vlterius supponitur non esse aliam causam, à qua immediate proueniat: nam si esset talis causa, Durandus negaret, eam esse à Deo immediate; in fieri autem adest alia causa, à qua immediate fit, vnde non est eadem ratio de fieri & conseruari. Sed contra quia sicut secundum Durandum saluatur quod causa actualiter operans sit ens per participationem, etiamsi se sola independenter à concursu immediato Dei operetur, per hoc præcise quod virtutem, quâ operatur non à se, sed ab alio nempe à Deo habuerit; ita saluari posset quod ipsamet causa in esse quieto & in suo conseruari sit ens per participationem, etiamsi à Deo vel ab vlla alia causa non dependeat immediate, per hoc præcise quod esse quod habet non à se, sed ab alio nempe à Deo vel ab alia causa habuerit, ergo sicut ob rationem entis participati concedit Durandus immediatam dependentiam ab alio in conseruari rei, ita in eius operari debet concedere, atque adeo sicut creatura ob præcisam rationem entis participati necessario dependet ab alio, nempe à Deo in suo conseruari, ita ob

ob eandem præcisam rationem dependebit etiam in suo operari. Vnde effectus omnis productus à causa secunda dependet etiam à concursu actuali Dei ob rationem assignatam, nimirum quia ipsamet causa secunda in suo operari & producere dependet ab actuali concursu Dei. An autem iste immediatus concursus Dei sit solum immediatus immediatione virtutis, an etiam suppositi? Videbimus postea. Itaque in qualibet causa creata est considerabilis triplex respectus dependentiæ ad causam primam, primus dependentiæ in esse, qui est respectus transcendentalis creaturæ ad creatorem, secundus ad Deum conseruantem in sua virtute operatiua in actu primo, tertius quo dependet in ratione actu causantis. Similiter in effectu considerabiles sunt alij tres respectus, primus dependentiæ á Deo in fieri, secundus in esse perfecto, tertius in conseruari, ita vt in omni statu terminet actionem causæ primæ.

Obiicies 1. Duæ causæ eiusdem generis solum requiruntur ad vnum & eumdem effectum, eo quod vna sola non habeat virtutem sufficientem ad illum producendum & ideo indiget consortio alterius, vel vt eleuetur, vt contingit in instrumentis, vel vt adiuuetur, vt in causis partialibus; sed causæ secundæ habent sufficientem virtutem ad producendos effectus sibi proportionatos: aliàs non dicerentur sicut dicuntur causæ principales totales, sed instrumentales vel partiales, ergo non indigent concursu Dei, ac per consequens ipsæ solæ influent in suos effectus per virtutes acceptas à Deo in prima creatione, quas modo in ipsis conseruat. Resp. dist. ma. nam duobus modis potest virtus causæ esse sufficiens ad producendum effectum, primo eo quod sit non solum adæquata illi vel exuperans, sed etiam non dependeat in sua operatione ab alio; secundo eo quod sit adæquata, siue dependeat in sua operatione ab alio siue non. In secundo sensu causæ dicuntur habere virtutem sufficientem ad effectus sibi proportionatos, in quo distinguuntur à causis instrumentalibus & partialibus, quæ adhuc in hoc sensu non habent virtutem sufficientem; at vero in primo sensu nulla causa secunda habet virtutem sufficientem: quia non dependere in sua operatione ab alio est proprium solius Dei, propterea ad supplendam hanc insufficientiam concurrit Deus cum illis.

32. Obiicies 2. Quia sequeretur Deum concurrere etiam immediate ad ad actus peccaminosos, & consequenter eum esse causam peccati. Contra Concil. Trident. sess. 6. can. 6. *Si quis dixerit mala opera ita vt bona Deum operari, non permissiue solum, sed etiam proprie & per se, ita vt sit proprium opus eius non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.* ℞. *Primò* hoc argumentum soluendum esse etiam ipsi Durando: nam in eius sententia saltem debet esse causa mediata peccati, sicut & est actus boni, ergo tam est causa vnius, quam alterius ergo sicut non obstante concursu mediato ad vtrumque dici posset simpliciter causa actus boni & non mali, ita etiam non obstante concursu immediato. ℞. *Secundo* distinguendo primam sequelam, sequeretur concurrere per modum causæ vniuersalis, sine cuius, concursu causa secunda non eliceret talem actum, concedo sequelam, alio modo, nego, & dist. etiam secundam sequelam, sequeretur esse causam Physicam vniuersalem peccati concedo, causam Physicam particularem aut causam moralem, cui deberet imputari culpabiliter, quod committitur peccatum nego

Vnde quia Deus non concurrit nisi per modum causæ vniuersalis ad peccatum, & quia ipsemet dissuadet & prohibet ne committatur, nec auxilia dat in ordine ad commissionem ipsius, propterea non debet attribui ipsi quod committatur peccatum, sed causæ secundæ, quæ non obstante prohibitione & sine vlla obligatione causæ vniuersalis ipsum committit. Quia vero non solum per modum causæ vniuersalis concurrit ad actus bonos, sed etiam inuitat ad eos, ordinando & præcipiendo illos, dandoque auxilia particularia, quæ non deberet præstare, quatenus causa vniuersalis est, propterea est causa non solum vniuersalis sed particularis actuum bonorum & ipsi acceptum referri debet, quod exerceantur.

Dices, ex hoc non penitus excusari Deum, quominus sit causa moralis peccati & ipsi commissio illius attribuatur. Probatur quia saltem potest impedire peccatum, ne committatur, substrahendo scilicet suum concursum generalem, sine quo committi non potest. Probatur assumptum: quia homo potens impedire commode peccatum alterius, deberet illud impedire, & maxime si esset superior ipsius, quemadmodum Deus est omnium creaturarum, & si non impediret censeretur causa moralis peccati sic, vt commissio ipsius deberet ipsi tribui, si non impediret, ergo similiter Deus. ℞. neg. paritatem: quia Deus licet posset impedire, deberet tamen ex ratione causæ vniuersalis præstare concursum, & non teneretur se gerere vt causam particularem; Homo autem non haberet obligationem causæ vniuersalis, & præterea habet præceptum charitatis, ex quo tenetur, si potest commode, impedire damnum proximi, ergo quamuis Deus præstet concursum immediatum ad actum peccaminosum, quia tamen illum præstat ex obligatione causæ vniuersalis, non debet commissio peccati ipsi tribui culpabiliter, sic scilicet, vt deberet dici malefacere præstando talem concursum, quamuis homo præstando talem concursum deberet dici male facere. Sed de hoc fusius & ex professo in Theologia tractat. de Peccatis.

Ex dictis habemus, omnes effectus productos à causis secundis non solum produci de facto & pendere ab immediato concursu Dei, sed etiam nec de potentia Dei absoluta produci posse effectum aliquem exigentem concursum causæ secundæ absque concursu immediato Dei; cuius contrarium neque absurdum neque repugnans, censent Hurtadus & Arriaga. Sed nostrum assertum vltra dicta sic efficaciter probatur: nam si posset absque concursu immediato Dei ignis verb. gr. produci ab alio igne sufficienter applicato, ergo Deus non posset nec de potentia absoluta impedire illam productionem: nec enim potest illam immediate impedire, vt supra ostendi, nisi subtrahendo concursum; sed adhuc subtracto concursu illo esset sufficiens principium illius productionis, ergo adhuc sequeretur talis productio, nec posset impediri à Deo.

33. Dixi supra posse hic esse dubium an concursus iste Dei sit immediatus immediatione virtutis tantum an etiam immediatione suppositi? Pro cuius solutione nota, illud concurrere cum alio ad aliquem effectum immediatione virtutis & suppositi, quando non solum attingit illum per virtutem propriam, sed etiam per virtutem propriam in ipsomet existentem & non receptam in alio supposito medio: verbi gratia

quando ignis calefacit aerem sibi contiguum dicitur illum calefacere immediatione virtutis & suppositi; at vero cum calefacit aerem à se remotum licet dicatur illum calefacere immediatione virtutis: quia re vera illum calefacit per calorem, qui est virtus propria ignis; non tamen calefacit immediate immediatione suppositi: quia quando calor attingit aerem remotum, non est in igne, sed in aere, qui mediat inter ignem & aerem remotum. His præmissis,

Sit secunda conclusio, *Deus concurrit immediate cum creaturis ad omnes effectus producendos non solum immediatione virtutis, sed etiam immediatione suppositi.* Est etiam communis contra Ferraram 3. contra gentes. Probatur quando Deus concurrit cum creaturis ad earum effectus vel hoc facit per virtutem creatam vel per virtutem increatam. Si per virtutem creatam: cum hæc nihil aliud sit quam virtus causarum secundarum, sequitur manifeste Deum non concurrere immediate cum causis secundis, sed solum mediate scilicet in quantum dedit illis ab initio virtutem agendi & modo conseruat in ipsis. Quod est incidere in sententiam Durandi supra refutatam: Si vero hoc faciat per virtutem increatam, ergo non solum concurrit per virtutem propriam, sed etiam per virtutem in ipsomet existentem, quod est concurrere immediatione suppositi: patet consequentia: nam virtus increata est virtus solius Dei, & in solo ipso potest esse, ergo &c.

Dubium. I.

34. Inquires *Primo. Quid sit iste concursus Dei & in quo consistat eius ratio?* In hoc puncto puriores Thomistæ affirmant ex mente D. Thomæ concursum Dei esse quamdam qualitatem Physicam (quam ipsi vocant intentionalem, eo quod non sit permanens sed cito transiens) impressam à Deo causis secundis in actu primo, non prius tempore, sed naturâ, quam operari incipiant, à qua, dicunt, ita efficaciter determinari seu prædeterminari & præmoueri causas secundas ad operandum, vt eâ posita in ipsis, implicet non operari. Fundamentum quod habent sunt quædam loquutiones receptæ ab omnibus doctoribus scholasticis, quæ saluari nequeunt nisi ponatur concursus Dei in prædicta qualitate præuiâ & prædeterminante: v. g. *causa secunda non agit nisi mota à prima; causa secunda applicatur ad operandum à prima; causa secunda determinatur ad operandum à prima:* Et aliæ similes. Pro solutione,

35. Sit tertia conclusio, *concursus Dei, quo dicitur concurrere cum causis secundis ad earum effectus, non est qualitas impressa ab ipso Deo causis secundis in actu primo & prius natura quam operari incipiant; sed est ipsamet actio causæ secundæ seu ipse effectus in fieri, provt prouenit à Deo.* Conclusio est expressa doctrina Scoti pluribus in locis præcipue 4. dist. 1. q. 1. num. 34. prope finem & dist. 43. q. 3. n. 11. quem sequuntur plures ex recentioribus Suarez & reliqui Iesuitæ. Probatur quoad primam partem: Quia vel per solam impressionem huius qualitatis dicitur Deus concurrere cum causis secundis; vel præter hoc requiritur aliquis actus seu influxus, quo immediate attingat effectum. Si *Primum* dicas, sequitur, Deum dici concurrere cum creaturis, non quia immediate attingat seu influat in effectum, sed quia tribuit ipsis virtutem & conditionem necessariam, ad hoc vt ipsæ solæ ipsum immediate

immediate attingant, Quod iterum coincidit cum opinione Durandi. Si dicas *Secundum* ergo superflue ponitur ista qualitas impressa: patet sequela: quia cum causæ secundæ habeant in actu primo à sua forma & virtute effectrice omnia requisita ad operandum, nullo alio indigebunt vt actualiter & in actu secundo operentur, quam isto concursu seu influxu Dei, quo simul cum ipsis attingit & producit earum effectus.

36. Et confirmatur quia ista qualitas impressa in actu primo & prædeterminans causam liberam scilicet voluntatem, læderet eius libertatem, ergo non est ponenda; patet sequela: quia de ratione causæ liberæ est, vt positis omnibus requisitis ad operandum in actu primo, non sit determinata ad operandum, sed possit operari vel non operari, ergo &c. Exactior examinatio huius rationis non est huius loci, sed spectat ad Theologiam tractat. de auxiliis, propterea (& quia prohibitum est etiam decretis Apostolicis) non amplius in ea immoror. Quibus vero fundamentis mere Philosophicis fulciri possit nostra conclusio, quantum attinet ad causas & effectus pure naturales vide apud Poncium hic quæstione 5. qui egregie illustrat doctrinam nostram contra Thomistas.

Probatur quoad secundam partem: quia concursus Dei est eius influxus seu actio, quâ immediate attingit effectum; sed actio quâ Deus immediate attingit effectum, non est distincta, sed eadem realiter cum actione creaturæ: est enim materialiter considerata, ipse effectus in fieri, qui à Deo tanquam à causa superiori & à creatura tanquam ab inferiori procedit ergo concursus Dei est ipsamet operatio creaturæ, vt prouenit à Deo. Hæc doctrina consequens est & conformis ad dicta superius quæstione præced. Cuius contrarium tenet Poncius hic consequenter etiam ad sua dicta in prædicamento *Actionis*.

37. Est tamen Aduertendum, concursum Dei & concursum causæ secundæ etiam si sint idem realiter, habere nihilominus aliquam subordinationem inter se, ita vt concursus dei sit aliquo modo prior concursu creaturæ. Et cum in explicanda ista prioritate sit magna controuersia inter Theologos tract. de Auxiliis. Pro nunc breuiter dico *non esse prioritatem realem in quo seu existentiæ, neque aliquam aliam prioritatem naturæ; Sed solum esse prioritatem perfectionis, ita quod concursus Dei est prior concursu creaturæ prioritate perfectionis solummodo* Et probatur quoad primam partem: quia (vt diximus) concursus Dei & concursus creaturæ sunt idem realiter; sed est conditio eorum, quæ sunt idem realiter, quod non possit assignari instans reale, in quo vnum sit & alterum non sit: alias idem esset & non esset, quod est contradictio & implicatio, ergo concursus Dei non est prior concursu creaturæ aliqua prioritate reali seu existentiæ.

Et confirmatur: quia in quocumque sensu sit prior naturâ concursus Dei concursu creaturæ, inquiro, An solus Deus influat in illo priori, an vero etiam causa secunda? Si secundum, ergo nunquam saluatur aliqua prioritas realis naturæ, Si primum, ergo aliquid est in effectu in fieri, quod non dependet à creatura, quod est falsum: Igitur dicendũ est causam primã & secundam simul concurrere omnis simultate reali & naturæ; Primam tamen perfectius

quia

quia independenter. Quæ est secunda pars nostræ assertionis, & sic probatur, quia prima causa in genere efficientis operatur independenter à secunda & sine illa posset operari; sed iste est modus causandi principalior & perfectior, ergo sola prioritate perfectionis operatur prius causa prima, quàm secunda, consequentia ex præmissis sic probatis optime infertur: nam principalitas vel perfectio est vera prioritas ex Aristot. in Categoriis cap. 21. Quod optime explicat Scotus 2. d. 37. n. 15. *causæ diuersæ* (inquit) *in eodem genere causæ subordinatæ licet habeant ordinem secundum perfectius & imperfectius causare, non tamen habent prioritatem naturæ &c.*

38. Dices, ex his quæ dicta sunt non sufficienter saluari loquutiones communiter receptas ab scolasticis: *Causa prima præmouet seu prædeterminat secundam &c.* ℞. in tantum causam primam prædeterminare & præmouere secundas in quantum per subordinationem, quam dicunt ad ipsam, infallibiliter ponent effectum determinatum ab æterno à causa prima. Nec ob hoc iudices causam primam necessitare secundam liberam ad suas operationes: decretum enim diuinum ita se habet quantum ad hoc, etiam si sit ab æterno, ac si concomitanter cum deliberatione causæ secundæ haberetur (cuius etiam exactius examen spectat ad Theologiam supra;) sed esse prædeterminare ipsas, non moraliter, vt dicunt PP. Iesuitæ idest per modum allicientis & suadentis: nam suasio non habet effectum infallibilem, nec Deus ex eo quod aliquid suaderet, præscire certo posset, quid causa secunda esset operatura, sed est prædeterminare ipsas physice, non in genere causæ materialis producendo in ipsis aliquid præuium ad operationem, sed in genere efficientis concurrendo cum ipsis simul natura ad operationem, & prius prioritate perfectionis: Quod si hoc nolis appellare prædeterminare physice, vt fugias modum loquendi Thomistarum; nec debes appellare prædeterminare moraliter: quia hoc solum dicit allectionem seu suasionem. Sed de hoc satis pro Philosopho.

Dubium 2.

39. Inquires *Secundo à qua causa proueniat determinatio effectus quoad speciem & indiuiduum, vtrum à prima vel secunda?* Difficultas procedit ex suppositione) quæ omnino certa est apud omnes) quod effectus creati tam quoad suas rationes specificas, quàm quoad indiuiduales procedant & attingantur à Deo & à creaturis. Quia quando effectus huiusmodi procedunt à pluribus causis subordinatis, solet accidere, vt vni potius, quàm alteri attribuatur quod effectus habeat talem vel talẽ rationem particularem: vt patet in intellectione, quæ licet procedat indiuisibiliter ab intellectu & obiecto quoad speciem & quoad indiuiduum, quod tamen sit talis particularis rationis adscribitur obiecto & non intellectui. Quia (inquam) hoc accidit, inquiritur in præsenti, cuinam per se formaliter attribuendum sit Deo ne? an creaturæ? v. g. igni, quod applicato in debitis circumstantiis potius ignis producatur quam aqua? Et hoc numero indiuiduum ignis potius quam aliud ex infinitis similibus, quæ possent produci? Item etiam in causis liberis, vt cum voluntas cum Deo producit volitionem alicuius obiecti, circa quod posset habere nolitionem, cuinam adscribendum sit, quod producat volitionem, & ex infinitis volitionibus, quas habere posset, cuinam adscribendum sit, quod hanc

numero volitionem habeat potius quàm aliam?

40. Respondeo & dico *Primo*, *determinationem effectus quoad indiuiduum intra talem vel talem speciem in omnibus causis tam liberis quam necessariis in primam causam refundēdam esse.* Est assertio communis & probatur: quia illi causæ absolute illa conditio effectus attribuenda est, in cuius manu positum est in iisdem omnino circumstantiis intrinsecis & extrinsecis præcedentibus concursum actualem, ponere illum vel non ponere etiam concurrentibus eisdem causis, ac velint nolint, nulla facta iis violentia; sed in manu solius Dei est, quod hic numero ignis ex infinitis producatur & non alter, & quod hæc numero volitio producatur à voluntate & non altera, ergo &c. ma. est certa & mi. probatur ex eo quod intra talem speciem causa creata ex se indeterminata est ad quodlibet indiuiduum: cum æque naturaliter quodlibet producat, ergo opus est recurrere ad Deum, in cuius solius manu posita est huiusmodi determinatio.

41. Dico *Secundo*, *determinationem effectus quoad speciem tam in causis liberis quam naturalibus à causa creata prouenire.* Est etiam assertio communis, quæ intelligi debet ex suppositione applicationis & circumstantiarum, in quibus naturaliter sequitur talis effectus in specie, potius quam alius. Et probatur de causis naturalibus: quia ipsæmet ex se sunt sufficienter determinatæ in talibus circumstantiis ad talem effectum: alias effectus ille non esset connaturaliter producendus potius, quam alius ab illa causa, ergo non opus est recurrere ad causam primam pro huiusmodi determinatione. Probatur etiam de causis liberis: quia licet tales causæ scilicet voluntas sit indifferens ad plures species, tamen habet ex se ipsa virtutem sufficientem determinandi se ad quamcumque ex illis scilicet volitionem vel nolitionem sicut causa naturalis habet ex se esse determinata ad vnam tantum speciem in talibus circumstantiis. Et confirmatur *Primo*: quia si Deus velit connaturali modo agere cum causa liberâ, non potest non producere illam speciem, quam ipsa vult, & ideo vult illam speciem in talibus circumstantiis, quia causa secunda libera, quæ se determinat ad illam speciem, vult, sicut ideo vult talē speciem determinatam producere cum causa naturali quia causa naturalis connaturaliter loquendo determinata est ad talem speciem. Confirmatur *Secundo* quia alias determinatio ad actum peccaminosum v. g. odium proximi non esset tribuenda causæ secundæ potius quam primæ, quod non est dicendum. Sed hæc ratio videtur habere instantiam in contrarium in actu bono conducente ad vitam æternam, cuius determinatio etiam quoad speciem tribuenda est Deo tanquam authori gratiæ. Cuius disparitatis ratio spectat ad Theologiam tractat. de Gratia.

Aduertendum tamen resolutionem nostram de determinatione effectus quoad speciem ortam à causa secunda, ad cuius conformitatem determinat se Deus, procedere de potentia ordinaria, & operando iuxta ordinem præscriptum à natura: nam de potentia absoluta bene posset Deus suspendere suum concursum, vel etiam fortè cum tali causa producere alium effectum diuersum in specie.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Causa efficiens substantialis sit productiua alterius substantiæ per principium substantiale, an vero accidentale?

SEnsus Quæstionis est, An causa secunda substantialis habeat in se virtutem, qua producat immediate aliam substantiam, an vero producat ipsam mediantibus accidentibus, ita quod accidentia effectiue attingant ad productionem substantiæ? Et loquor de accidentibus actiuis, vt sunt qualitates: nam quantitates & relationes, cum nullam actiuitatem habeant, nullius rei productionem attingunt. Pro cuius decisione,

42. Suppono, Qualitates præcipue primas, quales sunt calor, frigus, humiditas & siccitas producere alias qualitates sibi similes, & hoc non vtcumque, sed vt causas principales. Et ratio est, quia in actu primo & in esse quieto habent virtutem sufficientem ad illas producendas, quæ est conditio ad causam principalem necessaria & requisita. Imo addo istas qualitates ad productionem similium non adiuuari à substantiis, quibus sunt connaturales: verbi gratia calorem non adiuuari ab igne ad calefaciendum seu producendum alium calorem. Quod patet quia calor separatus ab igne imo & ab omni substantia, vt in sacramento Eucharistiæ esse potest, eodem modo calefacit, ac quando est in igne quod contingere non posset, si adiuuaretur à substantia ignis ad calefaciendum.

Ex his colligo qualitates actiuas quæ sunt in agente verbi gratia calorem qui est in igne producere vt causam principalem in passo verbi gratia in ligno dispositionem præuiam ad introductionem formæ substantialis agentis scilicet ignis. Et ratio est quia ista dispositio præuia nihil aliud est quam calor eiusdem rationis cum illo qui est in igne. Vnde si Quæstio procederet de productione dispositiua, nulla esset controuersia: quia omnes fatentur, accidentia quæ sunt in agente attingere dispositiue ad productionem substantiæ: siquidem producunt vt causæ principales dispositiones necessarias in materia ad introductionem formæ substantialis; sed quia Quæstio procedit, non de productione dispositiua, sed de productione effectiua substantiæ, ideo magna est controuersia inter Doctores.

43. Sit nostra conclusio, *Substantia est immediate productiua substantiæ per propriam formam substantialem*; *Accidentia vero nec virtute propria nec virtute substantiæ, cuius sunt accidentia efficere possunt aliam substantiam.* ita Scotus 1. d. 37. & 4. d. 12. quæst. 3. quem sequuntur omnes Scotistæ & Durandus, Occamus & ex recentioribus Arriaga & plures ex Iesuitis. Contra Thomistas communiter, qui licet asserant substantiales formas esse actiuas & causas principales in productione substantiæ, sustinent tamen eas non agere immediate, sed medijs accidentibus, quibus communicant suam virtutem producendi. Probatur conclusio quoad priorem partem: quia magis proportionata est substantia ignis cum altera substantia ignis, quam calor cum igne, ergo potiori iure ignis immediate producit alium ignem, quam calor.

44. Probatur quoad posteriorem partem ratione Scoti quæ talis est: Omne agens vel est vniuocum & sic est æque perfectū cum effectu, vel est æquiuocum & sic est perfectius; sed accidens neque est æque perfectum cum substantia, neque quid perfectius ipsâ, ergo accidens non potest producere substantiam & habere illam pro effectu. Discursus est optimus, mi. clarissima, & ma. certa, sed quia fortassis posset negari ab aliquo proteruo, multis illam probat Scotus, ex quibus nobis sufficiat hæc ratio.

Si effectus potest esse præstantior sua causa, diuidatur ille effectus in duo, scilicet in id, in quo adæquat causam & in id in quo illam excellit (& in hoc nulla potest esse contradictio) modo inquiram, à quo habet effectus id in quo excellit suam causam? Non habet à se vt manifestum est, neque à causa, quia nemo dat quod non habet formaliter vel virtualiter, ergo à nullo; sed à nullo nihil prouenit, ergo non debet poni in effectu vlla excellentia, in qua excedat suam causam.

Ad hanc rationem quæ efficacissima est & præcipuum nostræ sententiæ fundamentum varie respondent aduersarij. *Primo* dicunt, substantiam & accidens posse dupliciter comparari, primo in entitate & sic dicunt accidens esse imperfectius substantia, secundo in actiuitate & sic dicunt non esse imperfectius substantia. Sed contra, quia virtus agendi in accidentibus vel est ipsamet entitas accidentium, vel saltem necessario sequitur ad illam, eique commensuratur, ergo si accidens est imperfectius substantiâ in entitate, etiam erit imperfectius in virtute agendi siue in actiuitate.

45. Respondent *secundo*, accidentia esse quidem imperfectiora substantiis, propterea non valere producere ipsam virtute propria, bene tamen in virtute substantiæ. Sed contra hanc solutionem optime instat Scotus inquirendo, quæ sit hæc virtus substantiæ, in cuius vi & efficacitate dicitur accidens producere substantiam? Quia vel est quid distinctum ab ipso accidenti vel non? Si non distinguitur, ergo non magis poterit in virtute illius produci substantia, quam in virtute accidentis. Si dicas, distingui, inquiro an sit accidens, an substantia? Si est accidens, idem erit argumentum, si est substantia, in primis falsum est, substantiam recipi in accidenti, deinde absente substantia, à qua emanauit accidens, adhuc manet in ipso virtus eius productiua, quam Thomistæ vocant instrumentalem: vt patet in accidentibus Eucharisticis. Et denique si ista virtus accidentis est substantia, ergo falso asseritur ab ipsis, substantiam non attingere immediate ad productionem substantiæ.

Hinc alij respondent illam propositionem, *accidens in virtute substantiæ producit substantiam*, non esse intelligendam transitiue, quasi aliqua virtus substantiæ esset deriuata à substantia in accidens, sed intransitiue, ita vt sensus sit, quod accidens per suam propriam entitatem, quæ est virtus substantiæ producat immediate substantiam. Sed hoc iam manet impugnatum quia cum entitas accidentis sit imperfectior substantiâ, nequit esse causa adæquata immediate attingens substantiam; vel si posset, esset causa principalis *vt quo* respectu substantiæ genitæ, eo modo quo calor v. g. est causa alterius caloris. Quod difficile admittunt aduersarij.

Nec satisfacit disparitas quam assignant, videlicet quod calor virtute propria producat calorem; & sic respectu

ſpectu illius eſt cauſa principalis; at vero in virtute ſubſtantiæ producit ſubſtantiam, propterea non eſt cauſa principalis eius, ſed potius inſtrumentalis. Sed contra quia ſi producere ſubſtantiam in virtute ſubſtantiæ nihil aliud eſt quàm entitatem accidentis, quæ eſt virtus ſubſtantiæ, producere ſubſtantiam, etiam calor, qui eſt virtus ſubſtantiæ, quando producit alium calorem, producit eum in virtute ſubſtantiæ; & ſic non erit cauſa principalis reſpectu alterius caloris, ſed inſtrumentalis. Vel aſſignetur, quid habet accidens quando operatur virtute ſubſtantiæ, quod non habet quando operatur virtute propria? Si dicas, quod nihil, ergo ſiue operetur virtute propria, ſiue virtute aliena, ſemper reſpectu cuiuſcumque effectus erit vel cauſa principalis vel inſtrumentalis. Si dicas quod habet aliquid quando operatur virtute aliena, quod non habet quando operatur virtute propria, inquiro vt antea, an illud ſit ſubſtantia vel accidens? Et quidquid dicatur iam manet refutatum.

46. Probatur *ſecundo* ab inconuenienti. Quia ſequeretur ex ſententia contraria, non eſſe ſolidum fundamentum in ſententia communi ad refutandam opinionem Durandi de concurſu mediato Dei cum creaturis. Probatur aſſumptum: ſicut in ſententia contraria ſaluatur quod ſubſtantia ſit cauſa principalis reſpectu alterius ſubſtantię, per hoc præciſe quod virtus deriuata ab ipſa nempe accidens producat ſubſtantiam, etiamſi independenter ab ipſa actualiter operetur (ſic enim Philoſophantur contrarij; imo dicunt, quod deſtructa etiam ſubſtantia, à qua emanauit accidens: quia ſecundum ipſos habet ſe tanquam virtus ſeminalis, quæ mortuo etiam generante agit) ergo reſponderi poſſet ad ipſos pro ſententia Durandi, quod bene etiam ſaluatur, Deum eſſe cauſam primam reſpectu omnium creaturarum, per hoc præciſe quod virtus deriuata ab ipſo nempe alia creatura producat effectum, etiamſi independenter ab ipſo actualiter operetur. Qui diſcurſus ad hominem mihi euidens videtur. Deinde ſi per illud ſaluatur, ſubſtantiam eſſe cauſam principalem alterius ſubſtantiæ, ergo etiam quando calor inhærens vel ortus ab igne producit alium calorem, talis ignis erit cauſa principalis illius caloris de nouo producti, quod non concedent aduerſarij: patet ſequela quia non eſt aſſignabilis ab ipſis alia ratio, ob quam ignis non attingens immediate productionem alterius ignis, dicatur cauſa principalis eius, ergo cum hæc etiam adſit in productione caloris ab alio calore, erit etiam ignis cauſa principalis eius.

47. Obiiciunt *primo* authoritates Philoſophi, in quibus videtur tribuere accidentibus prædictam actiuitatem lib. de ſenſ. & ſenſib. cap. 4. ait, quod ignis non agit in quantum ignis, ſed in quantum calidus. Et 1. de generat. cap. 7. dicit, actionem corruptiuam eſſe tantum inter contraria; conſtat autem contrarietatem proprie dictam ſolum eſſe in qualitatibus, ergo. Reſpondet Scotus ad primum 1. Phyſicor. quæſt. 5. ly *in quantum* non debere ſumi reduplicatiue, ſed ſpecificatiue quaſi dicat, ignis agit, ſi eſt calidus. Pro quo eſt notandum in igne eſſe duplicem actionem, vna eſt calefacere, alia ignire ſeu producere ſubſtantiam ignis, prima conuenit igni, non in quantum ignis, ſed in quantum contrarietatem ſubit, ideſt contrariis qualitatibus gaudet & de hoc tantum loquutus eſt Philoſophus, non de ſecunda, quæ conue-

nit igni, in quantum talis est. Et per hoc patet ad secundam authoritatem: ideo enim dixit Aristoteles, actionem corruptiuam solum posse fieri inter contraria: quia in omni generatione substantiali, quæ est simul corruptio, requiritur semper actio qualitatum præuia & dispositiua, quæ semper est inter contraria; sed illa habitâ substantia postea producit substantiam per se & immediate.

48. Obiiciunt *secundo* Complutenses ex D. Thoma sic: In creaturis esse & operari distinguuntur realiter: est enim proprium Dei quod sit sua operatio; sed substantia est principium constituens esse, ergo diuersum est principium operatiuum & hoc est accidens, atque adeo substantia non est per se immediate operatiua ℞. *primo* neg. esse proprium Dei, esse suam operationem: nam actio, qua producit ad extra in communiori sententia & forte veriori Theologorum distinguitur realiter ab ipso: cum sit ipse effectus prout in fieri prouenit & dependet à Deo. ***Secundo*** retorqueo argumentum in ipsos: quia sequeretur quod nec accidens v. g. calor per semetipsum posset producere alium calorem: quandoquidem principium essendi, quod est essentia ipsius, debeat secundum hunc discursum distingui à principio operatiuo ipsius. Igitur neg. ma. loquendo de operatione primaria: hoc est de principio primariæ operationis: Eadem enim realitas quæ est essentia rei, est etiam principium operatiuum seu productiuum actionis primario rei ipsi competentis (licet bene posset dici, quod sit quædam formalitas distincta formaliter ab ipsa essentia, sed de hoc ad Metaphysicam) quod patet in ipsis accidentibus: vt constat ex redargutione nostra.

49. Obiiciunt *tertio* varias experientias, in quibus videtur non negandum, substantias produci immediate effectiue ab accidentibus, eo quod præter accidentia nulla apparet causa, à qua produci possint. v. g. vt cum Sol in visceribus terræ generat aurum, argentum & alia metalla, ad quam productionem cum tam longe distet, nequit concurrere per propriam substantiam, sed solum concurrit per lumen & alias influentias, quæ sunt accidentia. Item verificari potest in animalibus imperfectis v. g. ranis, muscis, &c. quæ à calore Solis producuntur. Et denique virtus seminalis, quæ quoddam accidens est secundum Galenum producit animal, mortuo vel distanti animali, à quo semen fuit decisum. In quibus omnibus experientia docet accidentia effectiue immediate producere substantias.

℞. In nullo euentu substantiam produci ab accidentibus effectiue, sed solum dispositiue. Quod si aliquando facta vltima dispositione ab accidentibus in materia, non fuerit agens inferius potens inducere formam substantialem, supplendus est (ne detur materia sine forma) iste defectus per concursum æquiuocum alterius causæ superioris: vt verb. gr. Sol in productione auri in visceribus terræ, & similiter in productione ignis geniti ex combustione stupæ à radio Solis transmisso per vitrum. Nec obstat distantia Solis, quia vt aliquod agens agat, non est simpliciter necessarium, vt si substantiale sit, per suam substantiam sit intime præsens passo, sed sufficit quod sit intime præsens per suam virtutem, id est quod passum contineatur intra sphæram suæ actiuitatis (vt postea suo loco dicemus;) actiuitas autem formæ substantialis Solis attingit vsque ad viscera terræ. Quod si nulla causa ex superioribus creatis

creatis fuerit sufficiens ad producendã prædictam formam adhuc æquiuoce (inquit Scotus supra) supplendus erit per concursum causæ primæ, quæ sicut decreuit omnes causas vltimo dispositas ad agendum per suum concursum iuuare, ita decreuit per suum concursum supplere defectum illarum, ne contingat aliquid contra naturalem cursum naturæ, quale esset dari materiam sine forma.

Quod si Obiicias. Si semen non habet virtutem sufficientem ad productionem viuentium, sed solum attingit vltimam dispositionem, quâ positâ Deus solus inducit formam viuentis. Sequuntur duo inconuenientia. *Primum* est, vnum viuens non generare aliud: siquidem eius productionem neque per se neque per semen à se decisum effectiue attingit. *Secundum* est, improuidam & defectuosam fuisse naturam, quæ instituit generationes viuentium adeo defectuosas, vt in eis semper sit necessarium ex defectu virtutis agentis recurrere ad causam primam, quæ suo influxu inducat formam viuentis & suppleat defectum eius.

℞. ad primum, ad hoc vt vnum viuens vere & proprie dicatur generare aliud, sufficere quod per semen à se decisum determinate disponat materiam ad introductionem formæ viuentis: aliàs homo non diceretur generare hominem: cum ex sententia communi (quam & ipsi aduersarij sequuntur) per semen à se decisum non attingat adhuc instrumentaliter effectiue introductionem animæ rationalis, sed solum dispositiue. Ex hoc ℞. ad secundum, quòd sicut nullus concedit improuidam & defectuosam naturam in generatione hominum, non tribuendo eis virtutem sufficientem ad introductionem animæ rationalis, ita non debet reputari improuida, eo quod aliis viuentibus non tribuerit virtutem seminalem sufficientem ad productionem similium formarum, quas in se habent. Imo potius in hoc fuit maxime prouida, quia cum formæ viuentium sint multo perfectiores formis inanimatorum, etiã debebant plura requiri ad earum productionem, & nullo meliori modo potuit hanc excellentiam indicare, quàm tribuendo inanimatis virtutem sufficientem ad producendas formas sibi similes effectiue; viuentibus autem conferendo virtutem ad producendam illam solum dispositiue.

Dubium. 1.

50. Inquires *primo, Vtrum substantia sit immediate productiua accidentium*: ℞. cum distinctione: nam accidentium, quæ in ipsa subiectantur, est immediate productiua; accidentia vero quæ producit in passo, non per suam substantiam immediate, sed mediis suis accidentibus producit; posset tamen in alio subiecto producere immediate ea accidentia, quæ in se producit. Primum patet quia aqua calida v. g. sibi relicta reducit se in pristinam frigiditatem quam frigiditatem impossibile est naturaliter produci ab exiguo frigore, quod habet, ergo ab ipsa substantia aquæ producitur. Secundum probatur: quia accidentia passi sunt similia accidentibus substantiæ operantis & ipsi vndique proportionata, ergo non est necesse produci immediate ab ipsa substantia, sed ab accidentibus illius: Calor v. g. productus in ligno non fit immediate ab igne; sed à calore ignis, & ratio est clara: quia huiusmodi accidentia in quocumque subiecto existant, producunt alia sibi similia eodem modo: nam calor siue in ferro siue in aqua, siue in alio subiecto existat, producit eodem modo calorem? sed tunc non iuuatur à substantia ferri aut aquæ

quæ non est productiua caloris, ergo etiamsi sit igne se solo producit calorem.

Posset tamen ignis v. g. si carens miraculose calore applicaretur alicui passo, illud calefacere (quæ est tertia pars nostræ assertionis.) Et probatur, quia calor productus in alio subiecto non est perfectior quam productus in ipso igne. Item modus operandi transeunter non est perfectior modo operandi immanenter; sed in se ipso potest producere caloré immediate, ergo etiá in altero passo, si ei applicaretur. Nec obstat si dicas, nunquam accidere, substantiam producere eiusmodi accidentia in alio subiecto sine consortio accidentis, ergo quia nequit sine illo. ℞. facile neg. conseq. Et ratio est quia cum ignis sit minus distans à se ipso quam ab alio passo, prius in se producit calorem, quam in alio nisi illum habeat in se. Id autem non oritur ex necessitate consortij caloris ad illum producendum in alio subiecto. Vnde si sine calore applicaretur passo, impediretur que in se illum producere, sine dubio illum producere posset immediate in passo, sicut poterat in se.

51. Inquires *secundo vtrum accidentia materialia separata possint agere sicut coniuncta?* ℞. cum distinctione: nam si separentur à substantia & Quantitate, nihil omnino agent, quia carent modo extensionis ad actionem requisito: nam inquit Scotus loco citato n. 39. *Nihil habet modum conuenienté ad agendum in materiam quantam, nisi ipsum sit quantũ.* Si autem solũ separentur à substantia, ita quod subiectentur in quantitate, agét eodem prorsus modo ac quando sunt in substantia: vt experimur in accidentibus Eucharisticis. Et rationem reddit Scotus ibidem. num. 17. quia forma accidentalis scilicet Qualitas, etiam separata à substantia, dummodo sit in quantitate, est principium totale & formale agendi per se in suo ordine; non enim constituitur principium per se actiuum ex coniunctione ad substantiam, ergo &c.

QVÆSTIO IX.

Quæ sit causa instrumentalis & in quo à principali dinstinguatur

52. NOtandum, quod agere principaliter dupliciter intelligi potest, vno modo independenter ab aliquo superiori agente, quod modo solus Deus agit, quia à nullo dependet. Et in hoc sensu nulla creatura potest dici causa principalis: quia omnes agũt dependenter à Deo, vt iam diximus. Alio modo dicitur agere principaliter idest per formam intrinsecam propriam agentis, licet in agendo dependeat à superiori agente. Hinc est quod si instrumentum seu causa instrumentalis opponatur causæ principali primo modo sumptæ; tunc dicitur instrumentum quod operatur dependenter ab altero agente, quamuis operetur virtute propria sibi intrinseca. Et in hoc sensu appellauit Galenus omnes causas naturales instrumenta Dei. Si autem sumitur instrumentum vt opponitur causæ principali secundo modo sumptæ, tunc id dicitur instrumentum proprie quod non habet in se formam actiuam intrinsecam in suo ordine causandi, & ideo agit quia actualiter mouetur ab aliquo: vt instrumentum artificis v.g. serra. Et hoc est proprie instrumentum seu causa instrumentalis : nam multa alia quæ solent appellari instrumenta;

menta: vt quando ſumitur pro cauſa diſponente ſubiectum ad receptionem formæ: Sicut 2. de anima calor naturalis dicitur inſtrumentum animæ. Tunc omnia iſta non ſunt proprie inſtrumenta: quia cum habeant propriam virtutem per quam agunt, dicuntur proprie actiua & cauſæ principales reſpectu ſui producti. Vnde Scotus 4.d.1. q.5.num. 14. dicit quod hoc nomen *inſtrumentum* proprie dicitur de inſtrumento artis. Cuius ratio eſt: nam illud dicitur proprie inſtrumentum, quod magis contra diſtinguitur ad cauſam principalem (quia in hoc ſenſu ſumimus hic inſtrumentum;) ſed inſtrumenta artis magis contradiſtinguitur à cauſis principalibus, ergo patet. mi. quia reliqua inſtrumenta ſunt actiua; at vero inſtrumenta artis vel non ſunt actiua, vt iam probo; vel ſaltem habent actiuitatem minus notam & magis dubiam. Pro quo.

53. Sit concluſio: *Inſtrumenta artis (quæ proprie ſunt inſtrumenta) ſunt illa quæ nullam habent virtutem aut actiuitatem reſpectu principalis effectus neque ex ſe, neque receptam ab agente principali in actuali motione.* Ita Scotus ſupra & d. 6. quæſtione 5. cum ſuis & pluribus ex recentioribus, contra D. Thom. & fideliores Thomiſtas. Probatur quoad primam partem: quia hoc intereſt inter cauſam principalem & inſtrumentalem proprie dictam de quâ hic, quod principalis etiam quando non operatur, habet formam, quæ eſt ratio agendi, & ratione cuius dicitur conſtituta in actu primo ad operationem. Inſtrumentalis autem caret huiuſmodi forma, & niſi actu aſſumatur, nihil poteſt efficere, ergo cauſa inſtrumentalis propria v. g. inſtrumentum artificis nullam habet ex ſe cauſalitatem. Probatur. mi. ex Scoto ſupra: quia Serra v. g. nihil habet, quod poſſit eſſe principium effectiuum reſpectu ſciſſionis ligni: quia in primis non quantitas quæ nullo modo eſt actiua; Nec figura, quæ neque eſt forma actiua: alias non de quarta, ſed de ſecunda ſpecie qualitatis eſſet; Neque grauitas: quia hæc ſolum eſt principium motus deorſum; ſerra autem non ſcindit, quia deorſum mouetur, alias ſi ſurſum moueretur non ſcinderet, quod eſt falſum; Nec denique eſt durities: quia durities ex Philoſopho capite de qualitate non eſt actiua, ſed reſiſtiua. Vnde ſi Deus conſeruaret aliquod quantum molle in quantitate & figura ſerræ, & tunc illud quantum moueretur per medium ligni, æque ſcinderet ac ſerra: nam licet quò magis aliquod corpus fuerit durum, eo plus reſiſtet, non tamen ob hoc erit maioris actiuitatis, ergo nihil inuenitur in inſtrumento artis, quod poſſit eſſe virtus agendi.

Probatur quoad ſecundam partem: quia ſi in ſerra v. g. imprimeretur ab artifice aliqua qualitas actiua, ſequeretur, quod ſerra tali qualitate affecta eſſet principalis cauſa ſciſſionis, non inſtrumentalis. Probatur ſequela: quia illa eſt cauſa principalis alicuius effectus, quæ habet in ſe ſubiectatam virtutem principalem & ſufficientem ad productionem eius; ſed talis eſſet ſerra cum iſta qualitate: poſſet enim deſinente principali agente producere effectum, vt quæſtione præced. dicebamus de accidentibus attingentibus effectiue productionem ſubſtantiæ per virtutem receptam à ſubſtantia agente, ergo &c. Nec refert ſi dicas, quod virtus illa ſit quid tranſiens & dependens actualiter in eſſe & conſeruari à cauſa alia: quia hoc non tollit quin ſit cauſa principalis inſtrumentum habens illam. Quod patet in ſpecie

visibili, quæ est virtus, quâ oculus producit visionem, & licet dependeat in esse & conseruari ab obiecto, à quo immittitur & sit quid transiens, si transeat obiectum, tamen hoc non obstante oculus non dicitur causa instrumentalis visionis; sed principalis (licet partialis,) ergo quod transeat vel non, nihil facit ad rem.

Præfatam doctrinam habet Scotus 4. d. 1. quæstione 1. num. 26. diuidens instrumentum in actiuum & non actiuum & posito de mente eius quod instrumentum artis non sit actiuum, dicit: *Actiuum necesse est habere formam aliquam intrinsecam vel in esse quieto ante omnem motionem alterius agentis, vel in fieri quando totaliter mouetur à superiori agente.* Ecce quo modo secundum Scotum instrumentum artis quod non est actiuum, nec habet actiuitatem ex se videlicet in esse quieto, neque receptam à principali agente in actuali motione, quod idem est ac habere actiuitatem in fieri. Igitur recipiunt instrumenta artificialia à principali agente quemdam effectum præuium ad effectum principalem: v. g. serra recipit motum ab artifice, qui est effectus prior scissione, ad quam ordinatur: prius enim vt in plurimum requiritur serram moueri, vel fixam detineri (quod idem est quantum ad rem) vt partes ligni expellantur formaliter à partibus serræ & effectiue ab artifice (vt inquit Scotus supra quæstione 5. num. 9.) & per prædictum motum constituitur formalissime instrumentum in ratione causæ instrumentalis actualis absque alia actione distincta ab ea, quæ egreditur à principali agente.

54. Argues pro Thomistis, Pro diuersitate actionum varia & diuersa instrumenta requiruntur; non enim faber cum malleo scindit, neque cum serra obtundit, ergo si cuilibet instrumento determinata operatio correspondet, signum est vnumquodque habere suam propriam efficientiam in effectu peculiari sibi correspondente: ℞. argumentum si conuincit conuincere etiam figuram esse actiuam: nam ad diuersas operationes diuersæ figuræ requiruntur, malleus ad tunsionem, & serra ad scissionem Dico ergo quod per receptionem actualis motionis agentis principalis in instrumento modificatur ab ipso instrumento actio ipsius principalis agentis: non enim potest agens vti quolibet instrumento ad quemlibet effectum; sed idem motus in diuerso instrumento receptus est præuius ad diuersas actiones: v. g. vtens calamo cum eodem motu scribit, & vtens cultello scindit. Hæc autem modificatio instrumenti in eo præcise consistit, quod effectus præuius necessario requisitus ad principalem cum tali modificatione, petit recipi in hoc instrumento & non in alio. Quare non est existimandum hunc effectum priorem concurrere actiue ad principalem, aut actionem, quâ producitur principalis oriri ab instrumento: nam ille effectus præuius tantum se habet dispositiue. Audi Scotum supra quæstione 5. num. 8. *Sed tamen instrumentum isto modo dictum* (videlicet artis) *est motum susceptiuum effectus prioris ordinati ad effectum posteriorem, ita quod receptum in eo habet ordinem ad terminum principalem, sicut effectus propinquior causæ ad effectum remotiorem, non autem habet ordinem causalitatis proprie dictæ. Et de tali posset concedi, quod instrumentum non habet actionem propriam respectu effectus: quia nec habet aliquam virtutem nec in esse quieto neque in fieri, & ideo simpliciter non est actiuum.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO X.

Quid sit causa exemplaris & ad quodgenus causæ reducatur?

SVppono dari in rebus exemplar, quod tam certum iudicat D. Augustinus 1. Retract. cap. 3. vt qui ideam seu exemplar neget, fateri teneatur, Deum irrationabiliter fecisse, quæ fecit. Et demonstrari potest facile in humanis artificibus: isti enim mente concipiunt formam rei per artem efficiendæ, quæ exemplar appellari solet. Verum non semper residet in mente exemplar: aliud namque est externum, quale est imago vel scriptura oculis obiecta quæ imitanda proponitur: de quo intelligi potest illud Exodi 25. *Inspice & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Aliud est internum quod animo seu mente formatur quale est conceptus formalis vel obiectiuus rei faciendæ. His præmissis.

55. Sit prima conclusio, *Exemplar est forma mente concepta, quam imitatur effectus ex intentione agentis determinantis sibi finem.* Ita D. Thom. q. 2. de veritate. Vel clarius dices. *Est forma quædam in mente artificis, ad quam ipse artifex respiciens operatur ad extra proportionando illi suum effectum.* Ex hac definitione, quæ ex se satis clara est, colligitur in agentibus non intellectualibus non dari proprie exemplar, sed solum per metaphoram: nam licet habeant vim efficiendi effectus & formas similes suis naturalibus formis, non tamen possunt sua intentione dirigere suas actiones, vt suos effectus ad imitationem talium formarum efficiant: quia ex sola naturali actione, & non ex aliqua directione efficiunt formam sibi similem. Vnde si casu accidat, vnam rem fieri similem alteri, neque tunc datur exemplar; sicut neque etiam datur in actionibus simiarum, in quibus videntur penitus imitari actiones humanas: quia vltra quod posset dici, requiri comparationem inter exemplar & opus, quæ nequit fieri à simiis, illa imitatio est imperfecta, nec sufficiens ad veram rationem exemplariter agentis. De quo tamen posset esse quæstio de nomine.

Verùm quia in mente exemplar & est formaliter & est obiectiue, disputari solet & est controuersia: Vtrum ratio exemplaris consistat in conceptu formali nempe in cognitione, quam de re facienda habet agens intellectuale; an vero in conceptu obiectiuo, hoc est in obiecto talis cognitionis, quatenus obiectum talis cognitionis est? Pro cuius solutione sit.

56. Secunda Conclusio: *Idea seu exemplar est conceptus obiectiuus rei faciendæ, non vero conceptus formalis ipsius.* Ita Scotus 1. d. 35. quem sequuntur discipuli & alij plures: vt Arriaga hic, qui quantum ad agens creatum citat etiam pro ea Molinam & Vasquez. Et contra Thomistas communiter & Suarez disp. 25. Metaph. sect. 1. Probatur conclusio, *Primo* authoritate Aristot. 7. Metaph. tex. 26. asserentis, sanitatem corporis procedere à sanitate quæ est in mente, quod improprie satis verificari potest de cognitione sanitatis: nemo enim vnquam vocauit cognitionem sanitatis sanitatem, ergo verificari debet de sanitate quæ est in mente. Probatur *Secundo* ratione: Illud est exemplar quod intuetur agens, dum operatur; sed agens dum operatur, solum intuetur conceptum obiectiuum rei faciendæ, non vero con-

ceptum formalem ipsius: nullus enim experitur se habere cognitionem reflexam, dum operatur, per quam respiciat cognitionem formalem rei faciendæ, quod tamen esset necessarium, si operaretur intuendo suam cognitionem formalem, ergo non respicit illam, sed solum conceptum obiectiuum. Nec obstat si dicas cum Suarez intercedere quidem cognitionem reflexam, quæ tamen non aduertitur: Quia hoc gratis & absque necessitate asseritur, nec vim nostræ rationis deductæ ex experientia infringit.

Obiicies. Si exemplar esset conceptus obiectiuus rei faciendæ, vel esset ipsum obiectum seu res, quæ postea fit, vel esset aliquod aliud obiectum; non primum, alias idem esset causa sui ipsius; neque secundum, quia artifex sæpe non habet aliud obiectum quam illam ipsam rem, quam vult facere, ergo exemplar nequit esse conceptus obiectiuus: ℞. exemplar esse illud obiectum, quod per cognitionem formalem cognoscitur, siue illud sit res ipsa, quæ facienda est, siue aliud ad cuius imitationem, res, quæ facienda sit, efficitur. Vnde concess. ma. neg. mi. pro vtraque parte: quia quandoque est aliud à re facienda, quandoque est ipsa eadem res, quæ fit, quatenus obiectiue sunt in intellectu; Nec implicat quod idem sit causa sui ipsius secundum diuersum statum, ita scilicet vt quatenus sit in intentione sit causa exemplaris sui ipsius, quatenus est in executione: etenim causa exemplaris non influit physice in effectum, sed solum metaphorice & intentionaliter eo modo quo causa finalis.

57. Inquires *Quæ sit causalitas causæ exemplaris?* ℞. non esse solum opus exterius artificiosum: quia hoc potest esse sine exemplaris causalitate: vt si efficeretur casu; deinde neque est sola cognitio exemplaris: quia hæc potuit esse, quin opus artificiosum fieret; est ergo opus ipsum exterius coniunctum cum cognitione & directione exemplaris ac volitione faciendi ad imitationem illius. Quod magis constabit inferius explicando causalitatem finis.

58. Tertia Conclusio; *Causa exemplaris reducitur ad genus causæ efficientis.* Ita Scotus 1. d. 36. num. 5. vbi ait: *Præterea quod attribuat alium effectum* (Refert & impugnat opinionem Henrici) *causæ exemplari & alium causæ efficienti, non videtur probabile: quia causa exemplaris non est nisi quoddam efficiens: efficiens enim diuiditur in efficiens per intellectum siue propositum & efficiens per naturam secundum Philosophum secundo Physicor. Sicut igitur naturaliter producens non est alia causa ab efficiente, ita neque exemplaris neque exemplariter producens, & ita idem est effectum & exemplariter productum.* Ex quibus verbis sic conficio argumentum: Sicut agens naturale completur in ratione principij agendi per formam, ita agens intellectuale siue artificiale completur in ratione principij agendi in suo ordine per ideam seu exemplar, ergo sicut forma à qua procedit motus pertinet ad genus causæ efficientis: vt patet in forma ignis, à qua habet ignem efficere, ita etiam pertinebit idea seu exemplar ad idem genus causæ efficientis, probatur antecedens: nam sicut agens naturale per formam continet similitudinem effectus & determinatur ad illum, ita agens intellectuale seu artificiale per exemplar habet in se similitudinem & quodammodo determinatur ad illum saltem quoad specificationem.

Et confirmatur ex Aristot. qui agens

de causis, inquit: *Policletum* esse causam per accidens statuæ statuarium vero esse causam per se illius: quia nimirum dicit formaliter artem, quæ est principium per se statuæ. Ex hoc sic argumentor: quod constituit aliquid in genere alicuius causæ, reducitur ad idem genus causæ; sed exemplar constituit artificem in genere causæ efficientis sic vel sic artificialis, ergo reduci debet ad genus causæ efficientis, probatur mi. quia cum ars sit forma vniuersalis & indeterminata constituens agens in esse causæ vniuersalis vt sic, requiritur vlterius exemplar vt sit principium determinans artem ad hunc vel illum effectum, ergo cum principium vniuersale & particulare ad idem genus causæ spectent, & ars sit principium efficiendi (in quo omnes conueniunt) ita exemplar erit principium effectiuum specificans & determinans actionem.

Neque ex hoc sequitur exemplar exercere munus causæ formalis respectu effectus ab artifice producti, respectu cuius intelligi debet nostra Conclusio. Posset tamen dici exercere talem causalitatem respectu ipsius artificis, quem suo modo informat & constituit in ratione agentis artificiose, & in hoc sensu exemplar dicitur forma, quatenus determinat agens ad producendum talem effectum in specie: sicut species intelligibilis verbi gratia lapidis determinat intellectum ad intelligendum lapidem absque eo quod sit causa formalis siue intrinseca, siue extrinseca respectu cognitionis lapidis quæ est effectus, ad quem determinat intellectum, imo potius est efficiens.

QVÆSTIO XI.

Quid & quotuplex sit causa finalis?

NOta voluntatem vt plurimum, quidquid amat, vel amare propter se vel propter aliud: idest vel sistere in illo obiecto vel illud ordinare ad aliud. Id in quo sistit, dicitur finis, quod vero ordinat ad aliud, dicitur medium. Item posse idem obiectum esse simul & medium & finem: v. g. cum quis amat potum quia delectabilis, sub qua ratione est finis, & quia vtilis ad sanitatem, sub qua ratione est medium: Et ratio est quia in eodem obiecto possunt coincidere & bonitas honesta aut delectabilis, quæ constituit finem, & bonitas vtilis quæ constituit mediũ.

59. *Finis* ex Aristot. hic c. 3. tex. 31. sic communiter describitur: *Est cuius gratia aliquid fit vel appetitur seu propter quem aliquid fit vel appetitur* v. g. sanitas est finis propter quem ægrotus potionem amaram sumit. Definitio est bona quia omni & soli conuenit, nec in ea aliquid deficit aut superfluit. Propterea non est circa eam vlla difficultas.

Diuiditur *finis* in finem *qui*, vel vt communius dicitur in finem *cuius*, & in finem *cui*. Finis *cuius* est propter quem consequendum aliquid fit: vt sanitas in prædicto exemplo. Finis *cui* est finis *qui* seu *cuius* procuratur v. g. Homo cui sanitatem procurat medicus. Rursus diuiditur finis in finem *Qui* & in finem *Quo*. Finis *Qui* est res quæ desideratur vt sanitas, finis *Quo* est operatio vel quasi operatio, qua mediante res illa coniungitur nobis: v. g. ipsa consequutio sanitatis. Finis *Qui* vocatur obiectiuus & finis *Quo* formalis, & ex vtroque integratur vnus finis

adæquatus & integer: nam sanitas non est bona nobis sine possessione, nec possessio sine sanitate: quare finis *quo* non est mera conditio, sed pars obiecti & finis adæquati.

Deinde diuiditur finis in finem *operis* & in finem *operantis*. Finis *operis* dicitur ad quem operatio ex natura sua ordinatur: v.g. finis medicinæ est sanitas, finis *operantis* est quem quis pro suo libito præfigit suæ operationi v. g. medicus curans propter pecunias. Posset autem contingere vt idem esset finis operis & operantis, quando scilicet operans intenderet illum eumdem finem, ad quem opus ex natura sua ordinatur. Denique diuiditur finis in vltimum & non vltimum, vltimus est qui in alium non refertur, non vltimus qui in alium est referibilis: v. g. desidero potionem amaram propter sanitatem, sanitatem propter studia, & studia propter prædicationem, & denique prædicationem propter Deum, Deus est finis vltimus, reliqua sunt fines non vltimi seu intermedij.

Dubium. 1.

60. Inquires *primo*; *Vtrum finis qui & finis cui sint duo fines?* Pro responsione suppono hos fines esse subordinatos & connexos in causando: nam voluntas amore efficaci (& est ille qui quantum ex se inflectit voluntatem ad ponendum media necessaria ad consequutionem finis) non amat vnum finem, quin simul & alium amet. Et obserua notanter dixisse *amore efficaci* quia amore simplicis complacentiæ & inefficaci (qualis est ille qui non respicit existentiam obiecti, nec inflectit voluntatem ad executionem mediorum, quibus finem consequatur) potest voluntas in vno ex his finibus complacere, quin complaceat in alio. Ratio connexionis vtriusque amoris est; quia vt ait Scotus 2. d. 6. q. 2. n. 3. amor simplicis complacentiæ erga finem *cui* est causa & radix amoris efficacis erga finem *Qui*: quia ex eo quod mihi complacet Petrus desidero illi salutem. Hoc supposito,

℞. esse verè duos fines: quia non solù esse Petri, quod est materiale finis *cui*, sed etiam bonitas Petri, quæ est formale eiusdem finis *cui* distinguitur à bonitate sanitatis v. g. quæ est finis *Qui*. Quod patet quia finis *cui* specificat actum amoris amicitiæ, & finis *Qui* actum amoris concupiscentiæ, Qui ex Scoto supra sunt actus inter se realiter distincti. Verum licet sint duo fines, ex vtroque tamen vnus finis adæquatus coalescit: vt habet Scotus ibidem: quia quod medicus v. g. intendit est hominem sanare, cum tamen homo per se consideratus & non per sanitatem perfectibilis, non sit finis adæquatus curationis, & similiter sanitas nisi consideretur vt aliquid bonum hominis non desideratur neque est finis, ergo ex vtroque vnus adæquatus finis componitur.

Dubium. 2.

61. Inquires *secundo*: *Vtrum in mediis detur aliqua bonitas distincta à bonitate finis; an vero media præcise dicantur bona per denominationem extrinsecam à bonitate finis?* ℞. vtilitatem seu conducentiam ad finem esse intrinsecã ipsis medijs, neque illis prouenire à fine, sed à sua propria entitate: Cuius ratio est, quia vtilitas est quasi virtus causatiua eius effectus seu finis; quæ vt diximus de omni causa est ipsa entitas causæ vt potens causare effectum. Quod autem hæc vtilitas seu conducentia, quæ reperitur in medijs dicatur bona, prouenit ex eo quod finis sit bonus; nam vtilitas seu conducentia ad malum finem non potest dici bona nisi lato modo, vnde quod vtilitas medij dicatur

tur bona vel mala prouenit ex eo quod finis sit bonus vel malus. Et in hoc sensu intelligendi sunt, qui dicunt bonitatem vtilem prouenire medijs per extrinsecam denominationem à fine: nam si intelligatur de vtilitate non solum in quantum bona, sed de illa absolute & simpliciter, omnino falsum est.

QVÆSTIO XII.

Vtrum apprehensio finis sit ratio formalis mouendi voluntatem vel solum conditio?

SVppono entitatem finis mouere voluntatem? Et cum ad talem motionem debeat præcedere cognitio iuxta illud vulgare. *Nil volitum quin præcognitum*, hinc oritur difficultas, An talis cognitio intret etiam rationem formalem mouendi voluntatem, vel tantum sit conditio, vt entitas finis moueat?

62. Sit nostra conclusio: *Apprehensio solum est conditio, vt finis secundum esse reale moueat.* Sic Scotistæ omnes cum Doctore cõtra Soncinam, Medinam, & alios Thomistas. Probatur *Primo*, Illa est formalis ratio finalizandi, quam appetimus & propter quam applicamus media; sed entitatem finis appetimus & solum propter illam applicamus media, ergo sola illa est ratio finalizandi, nec apprehensio est vllo modo motiua. Probatur mi. quia infirmus non appetit cognitionem sanitatis, sed ipsam sanitatem, ergo cognitio non est ratio mouendi. Nec refert si dicas, sæpe nos appetere apprehensionem rei: v. g. quando appetimus scire, ergo apprehensio mouet. Non obstat quia in hoc casu apprehensio habet rationem rei & obiecti, & nostra conclusio solum intelligitur quando obiectum est distinctum à cognitione & cognitio solum deseruit ad ostensionem obiecti, & tunc dicimus esse solum cognitionem sine qua non.

Probatur *Secundo* quia voluntas est potentia cæca, & requirit illustrationẽ, quam tribuit cognitio; sed illuminatio obiecti nunquam est ratio motiua, sed solum conditio vt obiectum moueat ergo cognitio non mouet, sed solum est conditio ad mouendum. Et confirmatur quia appetitus solum quiescit in entitate finis, ergo cognitio non est quod desideratur, sed tantum est conditio ad desiderium.

63. Obiicies *Primo.* Ratio formalis specificans actus voluntatis est obiectum motuum eius; sed diuersa cognitio specificat actus voluntatis, ergo cognitio habet rationem motui voluntatis. Probatur mi. Diuersa cognitio circa idem obiectum facit actus voluntatis distinctos in specie: vt patet in amore Dei in via, qui sequitur cognitionem fidei, & in amore Dei in patria, qui sequitur visionem claram eiusdem: qui amores distinguuntur specie, vt probabiliter tenent multi Scotistæ cum Doctore 4. d. 49. q. 5. & 2. d. 26. sed hæc distinctio prouenit ex distincta cognitione, ergo cognitio intrat rationem motiuam & specificantem actus voluntatis. Resp. *Primò* neg. ma. absolute sumptam: quia ex Scoto 1. d. 3. q. 3. & alibi sæpe actus non specificantur ab obiectis præcise, sed etiam ex modo tendendi. Tendit autem diuerso modo potentia, quoties in obiecto fuerit diuersa conditio seu applicatio: vt contingit in exemplo adducto, ergo &c. Et est doctrina Aristot. qui licet sæpe dicat, motus distingui specie à termino *ad quem*, tamen 2. Physicor. text. 33. &

& 2. de Cœlo cap. 2. distinguit specie motum rectum & motum obliquum circa eumdem terminum *ad quem*, qui solum possunt distingui ex diuerso modo tendendi. Et ratio pro nostra solutione potest esse: quia obiectum solum causaliter, non formaliter specificat actum, & vna causa præcipue æquiuoca, vt est obiectum multoties producit effectus diuersos specie penes diuersam applicationem: vt Sol qui producit aurum, argentum &c.

℞. *Secundo* concess. ma. dist. mi. diuersa cognitio vtcumque neg. mi. diuersa cognitio ex qua habet proponi obiectum sub diuersa ratione obiectiua. conced. mi. talis autem diuersitas est cognitionum viæ & patriæ circa Deum: nam in via non proponitur per vllam cognitionem siue fidei siue scientiæ nisi secundũ conceptum confusum habitum per species emendicatas à creaturis mediante discursu; In patria vero proponitur intuitiue secundum se atque rationem suam propriam. Vnde non est mirum, quod amores ipsius pro vtroque statu sint distinctæ speciei; Tunc autem non oritur diuersitas ex cognitione, sed ex diuersa ratione obiectiua, quæ ad positionem talium diuersarum cognitionum apparet in obiecto, & in hoc sensu distinguendæ sunt omnes propositiones argumenti, ex quibus sic explicatis non infertur cognitionem intrare rationem motiuam voluntatis, sed præcise esse conditionem ad mouendum.

Obiicies *Secundo*, voluntas sæpe appetit res, quæ nullum verum esse habent sed solum apprehensum: v. g. quando appetit impossibile vt possibile & conueniens, ergo tunc apprehensio est ratio formalis mouendi voluntatem: ℞. voluntatem non amare apprehensionem, sed bonitatem apparentem. Itaque ratio mouendi voluntatem est entitas vera vel apparens: nam sicut apprehensio non apprehendit se ipsam sed obiectum ita voluntas non appetit apprehensionem sed rem apprehensam. Et sicut intellectus potest cognoscere & apprehendere ea, quæ non sunt, ita voluntas potest ea amare, & ab illis allici intentionaliter media cognitione, non tanquam re amata aut alliciente sed tanquam conditione quasi applicante illud obiectum voluntati.

QVÆSTIO XIII.

Qui sint effectus causæ finalis?

64. CVm finis solum exerceat suum causalitatem proprie & formaliter in agentibus per intellectum & voluntatem vt infra dicemus. Idem erit quærere, quos effectus habeat causa finalis, ac inquirere quia actus voluntatis sint effectus causæ finalis? Et ratio dubitandi est, quia in voluntate possumus distinguere duo genera actuum, vnum eorum qui vocantur eliciti, & sunt illi qui ab ea immediate producuntur; aliud est eorum qui vocantur imperati, & sunt illi qui ab aliis potentiis eliciuntur per imperium voluntatis.

Rursus inter actus elicitos possumus distinguere tria genera: *Primum* est eorum qui immediate versantur circa finem non obtentum: vt sunt simplex amor seu simplex complacentia & intentio. *Secundum* est eorum qui versantur circa media, per quæ obtinendus est finis, vt sunt *Electio*, qua præcedenti consilio (quod est actus intellectus per quem media quæruntur) voluntas eligit medium quod sibi placet pro consequutione finis; & *vsus* qui

qui est actus voluntatis sequens electionem, & requiritur ad hoc vt moueantur potentiæ exteriores ad exequendam electionem. *Tertium* est eorum qui post consequutionem finis immediate versantur circa illum vt obtentum, vt est fruitio, & secundum Thomistas gaudium & delectatio (sed hæ secundum Scotum non sunt actus sed passiones sequentes fruitionem.) Hinc oritur difficultas, an finis exerceat suam causalitatem non solum circa actus, qui versantur circa media (quod omnes fatentur) sed etiam circa actus qui ipsummet finem respiciunt?

65. Sit nostra conclusio: *Finis solum circa actus qui respiciunt media exercet suum influxum seu causalitatem.* Ita Scotus q.4.prolog.n.11. vbi docet finem non esse causam finalem nisi inquantum amatus & desideratus mouet efficiens ad agendum: ita omnes Scotistæ & ex Thomistis Vasquez, Lorca & alij plures contra Suar. Arriagam & alios. Probatur *Primo* à priori ex definitione ipsius finis: nam est *cuius gratia cætera fiunt*, quod idem valet ac dicere, *Cuius amore cætera fiunt*, ergo supponitur finis amatus & desideratus. Quare intentio non fit gratia finis sed est amor ipsius finis: nam non dicimus aliquem amare, optare, intendere propter finem, neque gaudere aut frui propter finem, sed finem optare, fine frui & gaudere.

Probatur *Secundo* ab inconuenienti: quia sequeretur bruta agere proprie propter finem, probatur sequela, quia bruta appetunt proprios & naturales fines allecta & attracta à bonitate illorum, ipsis per imaginationem repræsentata, propter quod quasdam res appetunt, quasdam fugiunt; sed hoc in opposita sententia sufficit, ad hoc vt aliquis dicatur agere propter finem: nam sic explicant contrarij definitionem: finis est cuius gratia id est ob cuius bonitatem aliquid fit, ergo &c. Itaque cum bruta eò solum dicantur non agere propter finem, quia non cognoscunt proportionem finis ad media, & conuenientiam mediorum ad finem, manifeste sequitur influxum finis solum esse respectu mediorum. Nec satisfacit quod respondent contrarij, scilicet bruta non agere propter finem, quando appetunt proprios & naturales fines: quia feruntur in illos naturaliter, idest actu naturali & non libero: Hoc non valet quia secundum Thomistas etiam in homine actus voluntatis eliciti immediate circa finem quandoque sunt necessarij & non liberi: vt est prima volitio finis & amor Dei in patria, ergo quamvis bruta ferantur in suos fines naturaliter & non libere, si opposita sententia esset vera, bruta proprie agerent propter finem.

66. Fundamentum oppositæ sententiæ est, quia existimant non esse necessarium ad hoc vt aliquis proprie dicatur agere propter finem seu gratia finis, quod agat seu operetur ex amore finis; sed sufficere (dicunt) quod agat seu operetur attractus & allectus à bonitate finis. Ex hoc fundamento si verum est, manifeste inferunt, actus qui immediate versantur circa finem, quicumque illi sint, esse proprie propter finem & gratia eius, & consequenter effectus eius vt finis est: & probant exemplo amoris, charitatis quo diligimus Deum. Pro quibus,

Obiicies *Primo* Amor charitatis est propter Deum vltimum & supernaturalem finem: alias esset inordinatus, si in alium finem præter Deum ordinaretur, & tamen non operatur voluntas ex amore alio priori, sed solum allecta à fine apprehenso, ergo ad influxum finis non requiritur, vt versetur circa media: ℞. actum Charita-

tis non esse propter finem, sed circa finem vltimum, vltra quem non est alius finis. Et hoc significatur; cum dicitur talem amorem esse propter Deum summe dilectum: sicut quando dicimus, Deum esse a se, non significamus Deum esse causam sui, sed solum Deum non habere aliquam causam, & ipsum esse omnium causam.

Instabis, finis vltimus est obiectum huius actus amoris, ergo circa illum habet aliquam causalitatem, non aliam nisi finis, ergo: ℟. exercere causalitatem finis circa talem amorem, non rigorose & formaliter, sed lato modo & materialiter, idest attingitur entitas, quæ est finis & propter se appetibilis, non tamen gratia & amore alterius, quod requiritur ad causalitatem finis, & vt sit finis rigorosus & formaliter. Vnde tunc finis solum habet causalitatem propriam obiecti, non causalitatem propriam finis.

Instabis 2. Ergo actus charitatis non est perfectissimus: siquidem non respicit vltimum finem sub ratione formali finis; item & esset actus inordinatus: cum non referatur in Deum vt vltimum finem: ℟. neg. sequelam: quia ad perfectionem talis actus sufficit, vt respiciat Deum vltimum finem & propter se, quamvis non sit respectu talis actus *cuius gratia*. Et hoc etiam sufficit vt sit ordinatissimus actus, ad cuius obiectum omnia ordinata debent ordinari.

Obiicies 2. ex D. Thom. 1.2. q.1. art. 1. omnes actiones quæ procedunt ab aliqua potentia, causari ab ea secundum rationem sui obiecti: v. g. actiones intellectus sub ratione veri, actiones visus sub ratione visibilis; sed obiectum voluntatis est finis sub ratione finis, ergo omnes actus voluntatis causantur ab ea sub ratione finis: ℟. concess. ma. videlicet potentias omnes non posse producere aliquam operationem, nisi respiciendo in illo, in quod operantur, rationem formalem sui obiecti. Et concedo etiam mi. gratis. (Et dico gratis, quia incertum est, an bonum quod est obiectum voluntatis quoad actus prosequutionis, conuertatur cum fine: est enim probabilius non conuerti: nam bonum in communi diuiditur in honestum, vtile, & delectabile, ex quibus vtile non est finis, sed medium ordinatum ad finem) tamen ex his præmissis non recte inferunt, omnes actiones voluntatis debere esse ab illa propter finem siue gratia finis; sed versari circa finem tanquam circa formale & adæquatum obiectum, vnde solum infertur omnem actum voluntatis vel esse circa finem, vel gratia & amore finis.

QVÆSTIO XIV.

In quo consistat causalitas causæ finalis?

EX supra dictis q. 3. habemus in quacumque causa duplicem causalitatem considerari posse, vnam per quam constituitur causa in potentia idest potens causare seu in actu primo; & aliam per quam constituitur in actu secundo, idest actualiter influens seu causans. De vtraque inquirimus in hac Quæstione quid sit?

67. Prima conclusio, *Ratio formalis per quam finis constituitur causa in actu primo est ipsa bonitas finis, siue in re existens siue solum in apprehensione.* In hac conclusione fere omnes conueniunt. Et probatur, quia causalitas finis in actu secundo (vt statim dicemus (consistit in motione metaphorica voluntatis, qua illam allicit ad operandum gratia sui; sed nihil allicit voluntatem

luntatem nisi sub ratione boni , ergo bonitas est in fine ratio formalis , qua constituitur talis in actu primo ; & in hoc nulla est difficultas. Circa causalitatem in actu secundo est controuersia:quia licet omnes authores affirment cum Aristot. 1. de generat. cap.7. influxum seu causalitatem actualem finis non esse motionem vere physicam , sicuti est causalitas causæ efficientis , sed esse motionem metaphoricam & valde similem motioni morali; est tamen valde difficile explicare , quid sit seu in quo consistat hæc motio metaphorica?

68. Secunda conclusio: *Motio metaphorica quæ est causalitas finis consistit in actuali allectione seu attractione , media qua finis in actu secundo allicit seu attrahit voluntatem , & media voluntate cæteras potentias executiuas ad aliquid gratia ipsius efficiendum.* Est communis in re , licet alij aliis terminis eam explicent. Et aduerte notanter dixisse *in actu secundo*: nam finis dupliciter considerari potest: *Primo* inchoate & quasi in actu primo , & est quando prius tempore , quam voluntas incipiat eligere media gratia ipsius, habet esse cognitum & per actum intentionis efficaciter amatum. *Secundo* considerari potest complete & in actu secundo nempe pro illo tempore in quo voluntas gratia ipsius eligit media vel aliquid aliud operatur vel per se vel mediis potentiis executiuis , & tunc dicitur quod finis in actu secundo allicit & attrahit voluntatem & mouet metaphorice seu intentionaliter. Et in hac attractione sic considerata dicimus consistere causalitatem finis.

Et probatur:nam talis allectio est solum causalitas metaphorica,ergo in illa consistit causalitas finis , probatur consequentia:nam motio illa inchoata & in actu primo licet sit etiam metaphorica , nihil efficit nisi extrinsecam denominationem in voluntate qua excitata & allecta denominatur & respectu alicuius actus debet habere influxum metaphoricum , ergo in illa perfecta allectione , quæ est in actu secundo consistit causalitas finis. Et confirmatur,nam posita excitatione in actu primo potest non sequi effectus , ergo non est causalitas completa,donec effectus sequatur : nam ex Aristot. sæpe , cessante effectu , cessat & finalis causa. Itaque finis circa effectum exercet suum influxum ad modum obiecti,terminando ordinem eorum,quæ in ipsum referuntur. Nec video quid contra conclusionem in hoc sensu explicatam posset quis obiicere. Sed pro maiori eius confirmatione.

69. Nota,communiorem sententiam inter Thomistas docere causalitatem finis esse actionem seu influxum , quo efficiens producit effectum , & vocari causalitatem finis, provt prouenit à fine & causalitatem efficientis provt ab efficienti emanat. Ita docet Suarez disp.23. Metaph. sect.4. Hurtad. Arriaga, Ruuius, Complutenses & aliqui ex nostris. Quam sententiã sic *Primo* reiicies. Influxus causæ efficientis est physicus & realis , & influxus seu causalitas finis est metaphorica , ergo non possunt esse idem. *Secundo* influxus causæ finalis est prior natura influxu causæ efficientis ; quia hæc causalis est vera : ideo efficiens eligit media, quia finis mouet, ergo hi influxus sunt diuersi.

Item pro exacta intelligentia eorum quæ diximus aduerte entitatem materialem finis esse bonitatem honestam vel delectabilem , quæ duas conditiones prærequirit , vt exerceat suum influxum seu causalitatem (quæ vt diximus solum versatur , vt talis est circa media) prima est vt apprehendatur sub

ratione talis per intellectum, secunda quod efficaciter ametur per actum intentionis à voluntate, & his positis allicit & attrahit voluntatem ad eligenda & exequenda media necessaria & in hac allectione perfecta & in actu secundo considerata, vt explicauimus in conclusione, consistit causalitas finis. Deinde ista attractione cum effectu posita, resultat relatio finalizationis in causa finali ad suum effectum: (Est enim causa nomen relatiuum, quæ intelligi nequit sine ordine ad aliud.) Et nota quod hæc relatio in causa finali non potest appellari realis, provt reale opponitur intentionali: nam entitas finis quæ est eius fundamentum non est realis provt opponitur contra intentionale: quia solum habet esse provt in apprehensione intellectus. Potest tamen dici realis, provt opponitur fictioni: nam licet motio finis sit metaphorica & intentionalis, est tamen vera & realis, non vero ficta.

Dubium.

70. Inquires: *Vtrum finis sit vera & realis causa?* ℞. Hanc quæstionem esse de solo nomine: nam si per causam veram intelligatur causa Physicè producens effectum, nullus prudens Philosophus vnquam affirmauit, finem esse veram & realem causam: quia res non existens, imo aliquando impossibilis vt est finis, non potest physice aliquid producere. Si autem per causam realem intelligatur causa mouens, non quidem physice, sed intentionaliter mediante cognitione, non est dubium finem esse causam realem: quia realiter attrahit eius bonitas existens intentionaliter in anima, & effectus qui ordinatur ad ipsum, habet veram & realem dependentiam ab ipso, sic vt si finis non moueret voluntatem, voluntas non produceret illum effectum. Est ergo finis in hoc sensu vera & realis causa.

QVÆSTIO XV.

Vtrum omne agens naturale operetur propter finem?

71. Fverunt antiqui Philosophi qui dixerunt, nullum agens naturale operari propter finem, sed casu & fortuito omnia euenire, vel ex concursu atomorum temere ita concurrentium, vel ex necessitate materiæ. Sed hanc opinionem vt absurdam & falsam omnes tam Philosophi quam Theologi relinquunt & eam ex professo impugnant: Aristot. hic à tex. 75. & 1. de partibus animal. Nec impugnatione eget: nam Philosophia tacente, orbis tam mira pulchritudo & rerum ita distantium conuenientia testantur, hæc omnia quæ in rerum natura sunt neque casu esse effecta neque sine fine propagari. Verùm pro opinione antiquorum sic potest *Primò* argui: Finis (vt patet ex dictis) non coniungitur agenti nisi media cognitione, neque mouet illud nisi in intentione & apprehensione; sed plura agentia naturalia non habent cognitionem finis, ergo neque poterunt agere propter illum. *Secundo* quia ab agentibus naturalibus sæpe fiunt monstra; sed certum est monstra non fieri propter aliquem finem, sed ex corruptione vel defectu alicuius principij ad generationem concurrentis prouenire, vt docet Aristoteles hic tex. 82. ergo agentia naturalia non agunt propter finem.

Pro solutione notandum *primo*, cum finis non nisi media cognitione moueat, hinc prouenire quod ex diuersis cognitionibus, quibus applicari potest finis agentibus naturalibus, communiter colligant authores diuersos etiam modos operandi propter

finem;

finem; Hi autem ſunt tres. Primus & omnium perfectiſſimus eſt quando agentia naturalia non ſolum cognoſcunt rem, quæ eſt finis, ſed etiam in illa percipiunt rationem finis, ideſt proportionem quam habet cum mediis & media cum ipſo fine. Et hoc pacto operantur agentia rationalia, & ideo ſola illa dicuntur proprie & formaliter agere propter finem. Quid autem de Deo ſpeciatim dicendum ſit, ſpectat ad Theologiam.

Secundus modus, qui & imperfectus, eſt, quando agentia naturalia licet cognoſcant finem propria cognitione, non tamen percipiunt in illo proportionem, quam habet cum mediis & media cum ipſo. Et hoc modo operantur agentia irrationalia. Quæ ideo dicuntur non agere propter finem proprie & formaliter in quantum finis eſt: quia cum non cognoſcant proportionem mediorum cum fine, nihil poſſunt eligere aut velle gratia & amore ipſius; ſed dicuntur agere propter finem improprie & materialiter: quia ſcilicet tendunt in rem quæ eſt finis per inſtinctum naturalem, quem receperunt ab authore naturæ, tanquam in bonum ſenſibile conueniens propriis eorum naturis.

Tertius & omnium imperfectiſſimus modus operandi propter finem eſt, quando agentia naturalia non cognoſcunt finem propria cognitione, ſed aliena quæ ipſis attribuitur, in quantum per illam ab authore naturæ diriguntur in proprios fines. Et hoc modo operantur omnia inſenſibilia, quæ ideo dicuntur impropriiſſime agere propter finem: quia hoc præciſe eis conuenit, in quantum media inclinatione naturali eis ab authore naturæ tributa, tendunt in fines non à ſe cognitos, ſed illis ab authore naturæ præſtitutos, ad modum quo ſagitta dicitur tendere in ſcopum non à ſe cognitum, ſed à ſagittario. Et quamvis hic modus agendi ſit impropriiſſimus, eſt tamen ſufficiens ad ſaluandum, res, quæ hoc pacto operantur, non operari caſu: nam re vera operantur ex conſilio & deliberatione authoris naturæ. Ex quo ℞. ad argumentum: nam cuncta dicuntur agere propter finem vel à ſe vel ab alio intentum.

Ad ſecundum argumentum Reſpondet Ariſtoteles ex eo quod ab agentibus naturalibus producantur ſæpe monſtra, non ſequi ipſa caſu & fortuito operari, ſed potius ſequi oppoſitũ videlicet agere propter finem: ſicut peccata quæ accidunt in operibus artis quæ monſtra artis appellari poſſunt, oſtendunt artem operari propter finem. Et recte reſpondet hoc Ariſtoteles: nam ſicut ſolum dicitur monſtrum ſiue peccatum in artificialibus, quod fit præter regulas artis & deuians à fine illius, ita ſolum dicitur monſtrum in rebus naturalibus id quod ex defectu vel abundantia materiæ vel alio ſimili accidenti non fit modo conſueto, ſed deuiat à fine agentium naturalium. Vnde ſi hæc nullum haberent finem in ſuis operationibus, nullum re vera monſtrum poſſent producere. Omnia ergo agentia naturalia operantur propter finem, diuerſo tamen modo, vt explicauimus.

Dubium de Monſtro.

72. Sed pro perfecta horum intelligentia inquires *Primo. Quid ſit monſtrum? Secundo: Quibus de cauſis contingat in operibus naturæ?* Et *Tertio: Vtrum ab ipſa intendatur?* Ad primum ℞. quod *monſtrum eſt naturalis effectus à recta & ſolita ſecundum ſpeciem diſpoſitione degenerans*, dicitur *naturalis effectus* vt excludantur res defectuoſæ, quæ in artificialibus accidunt, quæ vocantur ab Ariſtot. hic tex. 82. monſtra

monstra improprie & secundum analogiam ad monstra in naturalibus. Dicitur *à recta dispositione degenerans*: quia nemo recte monstrum appellare potest, nisi id in quo est aliquis error seu deflexio ab ordine & legibus, quas natura in suis operationibus seruat. Additur *solita*, vt denotetur raro debere contingere talem defectum, vt monstruosus nuncupetur: dicitur tandem *secundum speciem* quia quælibet species certas sibi vendicat dispositiones, à quibus cum fœtus degenerat, monstrum est.

Ad *Secundum* ℞. cum Aristot. hic, monstrum sequi in operibus naturæ ex corruptione vel ex defectu alicuius principij ad generationem concurrentis. Vnde tot erunt causæ monstruosi effectus, quot sunt principia, quæ ad generationem concurrunt. Hæc autem principia vt docet Aristot. 4. de generat. animal. cap. 4. & 8. & Galenus de historia philosophica quinque sunt. *Primum* est virtus seminalis, per quam formantur & distinguuntur membra. *Secundum* materia ex qua fœtus coalescit. *Tertium* fœtus receptaculum, quod appellatur matrix fæminæ. *Quartum* qualitatum primarum permixtio, ex quarum temperatura animantium salus integritasque dependet. *Quintum* est id quod exterius rem attingit: vt Regionis salubritas aut inclementia, influxus stellarum & aliarum causarum vniuersalium. Ex defectu igitur vel corruptione alicuius ex his principiis contingit generari monstra. Quorum defectuum explicatio in particulari ad medicos pertinet, non ad nos.

Ad *Tertium* ℞. *intendi quidem monstrum à natura, non primaria sed secundaria intentione. Primum* patet, quia natura per se primo intendit generare fœtum perfectum & non deuiantem à recta secundum speciem dispositione. Et confirmatur quia ex D. Dionysio 4. de diuin. nominib. nemo intendens ad malum operatur; operaretur autem natura intendens ad malum si per se primo intenderet generare monstrum, ergo &c. *Secundum* probatur: quia illud dicitur intentum secundaria intentione, quod statim sequitur ad primariam intentionem, eò quod primaria non habet locum; sed monstra fiunt à natura, quando primaria eius intentio non habet locum, ergo &c. probatur mi. natura intendit, vt dictum est, primaria intentione producere fœtum perfectum; quod si per defectum vel corruptionem alicuius principij hoc non potest facere, non sistit ab operando, sed intendit ipsum prosequi modo, quo potest, ideo dicitur, quod natura agit de possibilibus quod melius est. Sed hæc omnia vera sunt de natura particulari, non de vniuersali qualis est Deus, Astra & virtus regitiua vniuersi: Hæc enim præcipuè Deus quandoque intendit monstra in rebus idque præter alias causas propter pulchritudinem vniuersi: vt nimirum hoc spectabilis mundi Theatrum non elegantium dumtaxat, sed difformium quoque velut imaginum varietate exornetur: etenim ea etiam quæ fæda sunt ad vniuersitatis decorem & elegantiam faciunt, eo modo quo gratiam lucis commendat obscuritas noctis: *Opposita enim iuxta se posita magis elucescunt.*

QVÆSTIO XVI.

Vtrum omnis causa sit prior suo effectu?

IN duplici sensu disputabimus quæstionē. *Primo* de ordine prioritatis in perfectio

perfectione. *Secundo* de ordine prioritatis quoad existentiam: de *Primo*.

73. Sit prima conclusio, *Causa materialis & formalis non sunt perfectiores, sed imperfectiores effectu suo*. Probatur facile quia huiusmodi effectus videlicet compositum includit in se totam perfectionem vtriusque causæ; sed neque materia includit perfectionem formæ, neque forma perfectionem materiæ, neque neutra perfectionem totius, ergo neutra est perfectior suo effectu videlicet composito. Et in nostra sententia ponente esse quid distinctum à materia & forma simul sumptis & vnitis, erit perfectius ipsis sic sumptis: quia habet virtutem receptiuam perfectionis, quam ipsæ non habent: v. g. compositum ex anima & corpore potest recipere actum vitalem, qui recipi non potest in partibus illis vnitis: ergo &c.

74. Secunda conclusio, *Causa efficiens quandoque est perfectior quandoque imperfectior, quandoque vero æqualis perfectionis cum suo effectu*. Est communis & probatur: nam inter causas efficientes (accipiendo largius nomen efficientis) triplex genus causæ, distingui potest: nam aliæ sunt instrumentales, aliæ principales, & hæ rursus aliæ sunt vniuocæ aliæ æquiuocæ; sed instrumentales sunt imperfectiores effectu, & principales vniuocæ sunt æqualis perfectionis cum illo, sicut & æquiuocæ excedunt ipsum in perfectione, ergo &c. mi. quoad instrumentales est certa, quoad vniuocas probatur: quia causa vnioca producit effectum sibi similem in specie; sed omnia indiuidua eiusdem speciei atomæ sunt eiusdem perfectiones essentialis, ergo. Quoad æquiuocas probatur: quia causa æquiuoca totalis eo quod talis est, continet in se tantam perfectionem, quantam dat effectui, aut ergo continet hanc solummodo, & tunc non erit causa æquiuoca, sed vniuoca, aut continet aliquid amplius perfectionis, vt sit æquiuoca, & tunc erit perfectior suo effectu. Et nota causam æquiuocam partialem ignobiliorem esse vt in plurimum suo effectu: vt patet in Sole respectu viuentis, & specie impressa respectu intellectionis.

75. Tertia conclusio: *Res, quæ est causa finalis interdum est nobilior simpliciter suo effectu, interdum ignobilior, interdum denique æqualis perfectionis*. *Primum* patet: nam cum nos aliquam actionem honestam exercemus, tunc illam in Deum vt in finem vltimum dirigimus, qui vt cõstat est infinite perfectior illa. *Secundum* etiã patet: quia sæpe nobilissimas actiones exercemus propter pecuniam, imo etiam actus alias valde bonos in pessimos fines ordinamus, vt cum quis ieiunat propter inanem gloriam. *Tertium* denique probatur: quia sæpe effectus coincidit cum eodem fine, vt cum quis comtemplatur præcise vt contempletur.

Quoad secundum sensum quæstionis, nota prioritatem temporis, etsi sæpe reperiatur in causis respectu effectuum, habere se per accidens ad causandum: dummodo enim causa existat in eo instanti, quo operatur, parum refert antea exstitisse aut parum impedit non extitisse. Ideo hac prioritate omissa,

Sit quarta conclusio: *Omnis causa debet esse prius natura existens secundum illud esse secundum quod causat, quàm suus effectus*. Dixi *secundum illud esse secundum quod causat*: vt intelligatur, quòd si causet secundum esse realis existentiæ proprium suum, sicut causat causa efficiens materialis & formalis, & non intentionaliter tantum, debeat esse secundum illud esse prius natura; si vero causet non secundum esse realis

realis ex stentiæ, sed secundum esse intentionale, quatenus scilicet proponitur in intellectu, qualiter causa finalis, tunc non debet esse prius natura, nisi secundum illud ipsum esse intentionale; & potest esse posterius natura suo effectu secundum esse realis existentiæ. Probatur conclusio, quia esse prius natura, provt ad præsens attinet, est habere suum esse & existentiam realem independentem ab illo, quod dicitur posterius natura: sic scilicet vt absque concursu vllo illius posterius habeat suam existentiam vel à se ipso vt Deus habet, vel ab aliis causis sufficientibus ad dandum ipsi illam existentiam; sed quidquid causat aliam rem debet habere suam existentiam hoc modo independentem ab illa alia re, ergo debet esse prius natura, quàm illa: mi. probatur, quia existentia secundum quam causat, est conditio necessario prærequisita ad hoc vt causet, ergo debet esse prior quam effectus per illam causatus.

Dubium.

Quod si inquiras, *An hæc prioritas sit realis & à parte rei, an vero rationis & dependens ab intellectu?* R. si explicetur modo quo explicatum est, esse sine dubio realem & à parte rei: quia certum est quod à parte rei causa sit independens ab influxu effectus, & quod effectus non sit à parte rei nisi cum dependentia ab influxu causæ. Si vero propter huiusmodi independentiam causæ & dependentiam effectus, quam aliqui asserunt esse fundamentum prioritatis & posterioritatis, intellectus velit fingere aliquod instans, in quo causa sit & non sit effectus, & aliud instans posterius illo instanti, in quo sit effectus, & concipere causam coexistentem priori illi instanti & effectum posteriori, atque adeo causam esse priorem formaliter effectu per hanc coexistentiam ad instans illud prius, cui non coexistit effectus. Tunc dici potest prioritatem & posterioritatem causæ & effectus esse omnino rationis: quia est dependens à fictione illa intellectus. Neque existimo esse à parte rei aliquod instans, in quo causa debeat necessario existere, & in quo non existat necessario effectus.

QVÆSTIO XVII.

Vtrum idem numero effectus possit produci simul & semel à duabus causis totalibus & adæquatis?

INquirimus de duabus causis totalibus & eiusdem ordinis: nam à duabus partialibus & à duabus totalibus diuersi ordinis certum est vnum & eumdem effectum produci: verbi gratia à Patre & Matre producitur filius tanquam à causis partialibus: Item à quatuor generibus causarum & à causa etiam prima producitur vnus effectus de facto, ex quibus quælibet in suo ordine est causa adæquata & iuxta commune proloquium, Sol & homo generant hominem, tanquam causæ totales, sed in diuerso ordine & inter se subordinatæ. Solum ergo inquirimus: vtrum duæ causæ efficientes (nam de materialibus & formalibus iam constat ex dictis disp. præced. quæst. 12. & de finali idem ac de efficienti dicendum est) totales & eiusdem ordinis verbi gratia duo ignes possint simul & coniunctim influere in eundem numero ignem ita vt quolibet igne eodem modo se habente produceretur effectus per illum non minus bene quoad modum & substantiam, siue alter influeret & produceret siue non?

77. Sit nostra conclusio : *Non solum naturaliter & de potentia ordinaria , sed etiam supernaturaliter & de potentia absoluta impossibile est duas causas totales influere simul in eumdem effectum , ita quod idem numero effectus producatur ab vtraque simul & coniunctim concurrente.* Habet Scotus 3. d. 1. q. 2. & D. Thom. 1. p. q. 52. art. 3. citatur pro ea à Complutensibus, qui & plures alios citant hîc disp. 15. quæstione 3. Tenent omnes Scotistæ & Vasquez etiam tom. 1. in 3. p. disp. 29. cap. 4. Est contra Suarez, disp. 26. Metaph. sect. 4. Hurtadum, Ruuium, Arriagam & plures alios Iesuitas. Prior pars conclusionis est certa ex probatione posterioris: Si enim supernaturaliter id fieri nequit, à fortiori nec poterit naturaliter fieri. Probatur ergo ratione sic : quia de ratione causæ totalis & adæquatæ est quod in eo genere in quo causat, ab ipsa solâ procedat effectus, ergo repugnat causæ totali habere consortium alterius causæ eiusdem generis & ordinis Antecedens patet quia si effectus non procedit ab ipsa sola , sed etiam ab alia in eodem genere causante , certe iam ipsa non adhibet totam virtutem necessariam ad effectum , quod est non esse causam totalem , vel si totam adhibet , & alia simul totam suam virtutem exhibet , augebitur sane virtus productiua, atque adeo effectus productus maior erit & consequenter neutra ex prædictis causis seorsim sumpta erit causa totalis & adæquata , sed partialis & inadæquata.

Respondet Suarez supra n. 10. neg. antecedens. Ad probat. dicit ex eo quod causa totalis exhibeat totam virtutem , & simul alia causa eiusdem generis exhibeat etiam suam virtutem , solum sequi augeri virtutem agendi extensiue , non vero intensiue. Vnde non sequitur (inquit ipse) effectum esse maiorem & causas respectu illius esse partiales : quia ad hæc omnia non sufficit augmentũ extensiuum in virtute agendi , sed requiritur intensiuum, quale non datur in pluribus agentibus æqualibus in intensiua virtute. Sed cõtra: quis non videt hanc distinctionẽ de augmento extensiuo & intensiuo ex concursu plurium causarum prouenienté pugnare cum experientia , qua experimur ex pluralitate causarum augeri virtutem agendi non solum extensiue sed etiam intensiue : nam duæ lucernæ æqualis intensionis in virtute illuminandi maiorem virtutem secundum intensionem illuminandi habent, & consequenter perfectius lumen producunt , quam vna sola & similiter plures homines æqualium virium plus roboris habent ad aliquod pondus portandum omnes simul , quam vnusquisque seorsim. Quis hoc eat inficias ?

78. Probatur *Secundo* : Quando effectus est iam productus ab vna causa totali , non potest idem numero ab alia iterum reproduci adhuc de potentia Dei absoluta (quod & aduersarij fatentur (cuius ratio est quia implicat , quod aliquid bis producatur in rerum natura ; sed hæc bina productio , quæ in casu posito fieret in diuersis temporibus , fieret in eodem tempore ex suppositione quod idem numero effectus produceretur à duabus causis totalibus simul , ergo implicat talis productio à duplici causa totali. Probatur mi. nam ipsi aduersarij fatentur , illas duas causas non producere illum effectum vnica productione seu actione , sicut faciunt causæ subordinatæ prima scilicet & secunda , sed duabus licet in eodem tempore factis , quod si fieret duabus productionibus non

ſemel profectò, ſed bis vtique produceretur in eodem tempore.

Probatur *tertio* : Eadem cauſa non poteſt habere plures effectus adæquatos ſimul & ſemel, licet poſſit ſucceſſiue plures tales habere, ergo nec vnus effectus poteſt habere plures cauſas adæquatas ſimul & ſemel, quamuis ſucceſſiue poſſet. Antecedens conceditur ab aduerſariis communiter & ratio eius eſt : quia aliàs ſequeretur quod effectus eſſet adæquatus & non eſſet adæquatus virtuti ipſius : Eſſet quidem vt ſupponitur, non eſſet autem quia vltra illum effectum haberet alium effectum. Ex hoc iam probatur conſequentia à paritate rationis : quia tam ſequitur cauſam non eſſe adæquatam quæ admittit aliam cauſam, quàm effectum non eſſe adæquatum ſi admittit alium effectum, ergo ſi ſequeretur ex pluribus effectibus neutrum eſſe adæquatum, etiam ſequeretur ex pluribus cauſis neutram eſſe adæquatam.

79. Probatur *quarto* concluſio (& eſt ratio Scoti ſupra) implicat aliquem effectum pendere per ſe ab aliqua cauſa & non pendere per ſe ab illa ; ſed ſi idem effectus procederet à duplici cauſa totali & eiuſdem rationis tunc ipſe penderet per ſe à qualibet earum & non penderet per ſe, ergo implicat quod fiat ſimul ab vtraque. Probatur mi. nam in primis à quacumque earum per ſe penderet : quia quælibet eſt cauſa totalis totaliter illum producens (vt ſupponimus) ergo effectus per ſe pendebit ab illâ : nam ab ea per ſe pendet, à qua habet totum ſuum eſſe. Deinde à nulla earum per ſe pendebit : quia effectus qui poteſt ſine aliqua cauſa produci, non habet dependentiam per ſe ab illa ; ſed ſine quauis determinata cauſa ex illis duabus poſſet effectus ille produci : vt conſtat, quia ablatâ qualibet earum, ponetur effectus ; ergo à qualibet pendet per ſe & non pendet per ſe, quod eſt implicatio. Hoc argumentum valde vrget Scotus loco citato contra Thomiſtas aſſerentes vnam naturam poſſe aſſumi ſimul à duabus perſonis Diuinis.

Obiicies *primo* : Ponantur duo luminoſa æqualis virtutis per Diuinam potentiam inter ſe penetrata, & applicentur æquè Diaphano, tunc non poteſt reddi ratio, cur lumen ab illis productum non ſit dicendum prouenire ab eis tanquam à cauſis totalibus : patet quia paſſum eſt capax illuminationis & vnum agens ſiue illuminans non impedit alterum, ſed vnumquodque agit ſecundum totam ſuam virtutem, & effectus productus non exſuperat virtutem vniuscuiuſque luminoſi : quia vt ſupponimus ſunt æqualis virtutis, ergo in tali caſu proueniret effectus à duabus cauſis totalibus ? ℞. neg. aſſumptum : quia illa luminoſa vt ſic diſpoſita producerent intenſius lumen, quam illud, ad quod vnumquodque habet virtutem : propterea ille effectus non procederet ab illis vt à cauſis totalibus, ſed vt à partialibus integrantibus vnam totalem.

Dices : Demus Diaphanum eſſe capax ſolius luminis & non intenſioris, quod ab vnoquoque luminoſo produci poteſt ſeorſim, tunc ab vtroque non procederet intenſius lumen, quam à quolibet ſeorſim, ergo in dicto caſu idem numero effectus procederet à duabus cauſis totalibus. ℞. (admittendo caſum diſputationis gratia, quidquid ſit de eius veritate) vel quod tunc ab vno ſolo producendum foret lumen, à quonam autem ex eis ? Determinandum à Deo ; vel quod illa luminoſa tunc non adhiberent totam virtutem, eo quod ſuperfluum eſſet, ſed vnumquodque partem neceſſariam, eo quod illud lumen ſolum indiget partiali vir-

tute

tute vniuscuiusque vt fiat. Quare propter simultaneum concursum eorum nullum posset totam virtutem exercere.

80. Obiicies *secundo:* Vnum corpus potest supernaturaliter poni simul in duobus locis adæquatis sibi, ergo & idem effectus produci à duabus causis adæquatis simul. ℞. concess. anteced. de quo disp. 4. neg. conseq. quia corpus non dependet in suo esse per se à loco, sicut effectus à causa, propterea non militat eadem ratio in vtroque casu. Quod & confirmo sic contra aduersarios: quia quamuis ipsi concedant vnum locum posse recipere plura corpora, non tamen concedunt eandem causam posse producere plures effectus adæquatos, ergo quamuis nos admittamus vnum corpus posse esse in pluribus locis, non debemus tamen admittere vnum effectum posse produci à pluribus causis adæquatis. Et quæcumque disparitas dabitur ab ipsis pro sua parte, sufficiet nobis vel alia habens cum ipsa proportionem pro nostra parte.

81. Obiicies *tertio:* Quælibet creatura dependet essentialiter à Deo tanquam à causa totali, mediante actione, quæ sola sufficeret ad ponendam creaturam; & tamen hoc non obstante dependent multæ creaturæ ab aliis creaturis, ergo cum concursu causæ totalis & adæquatæ potest manere concursus alterius causæ. ℞. neg. ma. pro secunda parte: nam licet Deus sit causa totalis concurrens simul cum creaturis, est tamen in diuerso ordine, propterea actio, quâ simul cum illis concurrit, non sufficeret se sola, vnde stat bene esse causam totalem & admittere consortium alterius causæ si sint in diuerso ordine, qualiter se habent Deus & creatura simul concurrentes; Sol & Homo cum dicuntur generare hominem. Imo necessario ponendus est concursus causæ inferioris, nisi alia speciali actione & influxu produceret Deus effectum. Neque hoc arguit imperfectionem in ipso: nam sicut quòd actione, quâ producit leonem, formaliter considerata, non possit producere hominem, non arguit imperfectionem: quia ex natura sua intrinseca dicit ordinem tantum ad leonem; ita etiam quod actione, quâ simul cum creatura producit effectum, non possit producere ipsum, non concurrente creatura, non arguit imperfectionem: quia dicit ex naturâ sua ordinem, quâ talis actio formaliter est, ad concursum creaturæ, seu ad creaturam etiam concurrentem, & non est productio effectus absolute, sed productio ipsius à Deo simul & creaturâ.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrum idem numero effectus possit produci à pluribus causis totalibus diuisim?

IN duplici sensu examinari potest præsens quæstio. *Primò*: An effectus qui semel productus est ab vna causa, si destrueretur, posset iterum ab alia reproduci? *Secundò*: An idem effectus, qui productus est ab vna causa, potuisset ab alia produci, ex suppositione, quod à priori non fuisset productus, si eodem loco, modo, tempore & cum reliquis circumstantiis, loco illius applicaretur ad eius productionem? verb. gr. an idem lumen, quod hic & nunc producitur in hoc aëre ab hac lucerna in hoc loco applicata, produceretur idem numero ab alia lucerna numero distincta omnino tamen simili in virtute agendi, si eidem aeri, eodem tempore & loco

applicata fuisset? In hoc secundo sensu partem negatiuam tuentur Complutenses hic, qui & alios pro se citant, asserentes non solùm hoc impossibile esse naturaliter, sed etiam de potentia Dei absoluta.

82. Sit prima conclusio. *Idem numero effectus, qui modo productus est ab hac numero causa, potuisset produci ab alia eiusdem speciei & virtutis, ex suppositione quod à priori non fuisset productus, si loco illius applicaretur eidem passo eodem tempore & loco.* Ita Scotus 2.d.20.q.2. Sequuntur Discipuli & ex Thomistis plures Suar. disp. 26. Metaphys. sect. 5. & alij Iesuitæ. Debet autem intelligi conclusio, quod possit contingere naturaliter: nam vt ex probationibus eius constabit: cum effectus nullus petat magis connaturaliter produci ab vna causa, quàm ab alia, vtique si naturaliter producitur ab vna, dicendum est, quod naturaliter produci possit etiam ab altera, non obstante quod ex placito suo Deus determinauerit non concurrere cum aliqua ex ipsis, etiam si applicaretur tali passo.

Probatur conclusio: quia si idem numero effectus, qui productus est ab hac numero causa non posset in suppositione facta produci ab alia, maximè quia indiuiduum ad intrinsecam indiuiduationem postulat hanc numero causam efficientem; sed consequens est falsum, ergo & antecedens. Sequela est euidens: nam si non postularet intrinsece ad indiuiduationem hanc numero causam, ergo indifferenter posset produci ab hac vel illa; Vel si hoc peteret essentialiter & ex ratione sua quidditatina; iam non esset effectus solo numero distinctus. Quod est destruere sensum Quæstionis. Quod vero consequens sit falsum probari potest *Primo*, & est ratio à posteriori: Si effectus postularet intrinsece hanc numero causam ad suam indiuiduationem, implicaret quod idem numero effectus conseruaretur vel produceretur ab alia; sed hoc est falsum, ergo & antecedens: ma. est certa, & mi. admittitur ab aduersariis qui non solum concedunt Deum hoc posse facere per suam potentiam absolutam, ac per consequens non implicare contradictionem, sed etiam fatentur, effectum productum ab vna numero causa posse conseruari naturaliter ab alia distincta numero eiusdem actiuitatis & virtutis. Imo negare non possunt causam primam posse producere se sola eundem numero effectum, quem producit simul cum secunda.

Probatur *Secundo*: Et est ratio à priori: Ad principium indiuiduationis intrinsece solum requiruntur ea quæ pertinent ad entitatem intrinsecam rei indiuiduæ: (nam vt in Metaph. videbimus: Principium indiuiduationis intrinsece solum sumitur ab entitate rei intrinseca;) sed ad entitatem intrinsecam rei indiuiduæ solum pertinent materia & forma, non vero causa efficens, ergo falsum est illud consequens: videlicet ad indiuiduationem effectus intrinsece requiri vnam numero causam efficientem.

Ex his colligo, non solum potuisse effectum, qui modo productus est ab hac causa, produci ab alia eiusdem virtutis, si eidem subiecto applicaretur eodem tempore & loco; sed etiam si eidem subiecto applicaretur diuerso tempore & loco, quod præterquam quòd docuit Scotus loco citato, colligitur ex dictis: nam si vt dictum est ad vnitatem numericam effectus non requiritur vnitas numerica causæ efficientis, eo quod extrinseca sit effectui, profecto neque etiam erit requisitum idem tempus & locus: nam hæc

etiam

etiam manifestum est esse extrinseca effectui.

83. Obiicies *Primo*. Hic numero effectus petit necessario hanc determinatem causam, vel non? Si petit, ergo non potest ab alia numero distincta produci, quod est intentum. Si non petit, sequitur quamlibet causam posse producere omnes & singulos effectus suæ speciei, quod est absurdum & contra experientiam: ℞. hunc numero effectum non petere hanc determinatam causam. Neque ex hoc sequitur, quamlibet causam posse producere omnes & singulos effectus suæ speciei, sed solum sequitur diuersitatem causarum non impedire, quin in aliquo casu idem numero effectus possit tam ab hac, quam ab illa causa produci. Et dico *in aliquo casu*: quia in pluribus casibus poterit contingere, vt vna causa nequeat producere effectus alterius causæ, etiamsi sint eiusdem speciei, sed hoc prouenit non ex eo quod isti effectus petant necessario causam determinatam, sed aliunde & propter alias diuersas rationes. Quas vide apud Suarez supra numero 25. qui docte & præclare disputat hanc Quæstionem.

84. Obiicieis *Secundo*: Effectus pendet per se à sua causa; sed hoc esset falsum, si ab alia produci posset: patet sequela quia tunc non per se, sed per accidens dependeret ab illa. Resp. conceß. ma. neg. mi. & eius probationem: quia dependere per se ab aliquo non est idem in proposito, ac dependere essentialiter: dependentia enim per se nihil amplius dicit quam accipere suum esse; mediante vero influxu causæ, siue ab alia causa possit etiam recipere siue non; at vero dependere essentialiter addit, quod effectus ex intrinseca sua natura postulet influxum talis causæ & non alterius, ita vt sine illo esse non possit: Vnde cum infertur, quod tunc per accidens fieret à sua causa, quia posset fieri ab altera, si applicaretur, dico quod tunc fit æquiuocatio in illlo termino *per accidens*: quia iam non sumitur, vt opponitur causæ per se, sed vt opponitur causæ simpliciter necessariæ.

85. Obiicies *Tertio*: Si alia causa applicaretur sicut applicatur ista, à qua producitur effectus, tunc illa per diuersam numero actionem seu motum ageret ab ista; sed diuersæ actiones seu motus requirunt diuersos numero effectus seu terminos: quia cum actio seu motus sit effectus in fieri, debent actio & effectus proportionari quantum ad hoc, ergo non posset hic numero effectus, qui productus est ab ista causa, produci ab alia, etiam in suppositione facta. Resp. conceß. ma. neg. mi. Nec obstat quod actio seu motus sit effectus in fieri, quia cum fieri effectus (vt dicemus disp. seq. q. 2.) id est forma producta quatenus fluens pro formali non dicat effectum seu terminum, sed respectum dependentiæ ipsius effectus ab agente, non bene infertur, fieri effectus & ipsum effectum debere proportionari quantum ad hoc: iste enim respectus dependentiæ provt terminatus ad vnam causam non potest non distingui, ac provt terminatus ad alteram: alias nequiret idem effectus qui modo productus est à causa secunda, produci à solo Deo: quandoquidem idemmet effectus esset in fieri. Nec sufficit si dicas cum Ioanne à S. Thom. per actionem Dei, quia infinita est, posse fieri quod per actionem causæ secundæ fit: quia actione diuina etiamsi infinita sit, quâ producitur calor v. g. formaliter sumpta, non

potest produci frigus: alias implicaret calorem produci, quin produceretur frigus, ergo actio Dei etiamsi infinita sit, vt habet rationem talis actionis formaliter, non potest habere rationem alterius, atque adeo vt est actio formaliter, quâ cum causa secunda concurrit, non potest esse actio qua se solo influit & producit effectum: vt q. præced. dicebamus n. 81.

86. Secunda conclusio, *Effectus semel corruptus si applicaretur eadem materia, & vellet Deus concurrere cum causa secunda, quæ ipsum antea produxit, vel cum alia eiusdem virtutis, reproduceretur naturaliter.* Ita Scotus 4. d. 43. q. 3. Et Nota conclusionem nostram sicut & rationes Scoti loco citato non procedere de reproductione de facto, sed solum de possibili: quia nos nullum principium habemus ad cognoscendum: Vtrum natura de facto reproducat aliquem effectum semel corruptum. Et ratio est quia licet possit producere formam A, cum producit formam B, nos tamen nescimus vtram ponat in esse, quia non habemus speciem de singularibus, vt singularia sunt. Probatur conclusio: Agens inducens formam possibilem potest hanc vel illam indiscriminatim inducere: quia formæ possibiles ex parte sui nullum determinatum ordinem habent à natura, secundum quem hæc necessario debeat induci prius & illa posterius, sed hæc determinatio fit à causa prima; Et prima causa non minus potest præstare eam formam quæ iam est corrupta, quam eam, quæ nunquam corrupta fuit: vtraque enim æqualem possibilitatem habet ad existere, ergo si eadem materia applicetur, non erit ratio sufficiens ad negandum, quod detur illi eadem forma, quæ corrupta fuerat. Et consequenter quòd idem rediret effectus

Dices, opus miraculosum fore, si Deus concurreret ad effectum semel corruptum reproducendum, ergo non reproduceretur naturaliter. Resp. eatenus fore opus miraculosum, quatenus verisimile est nobis & iuxta naturam rerum corruptibilium, Deum decreuisse non præbere de facto huiusmodi concursum, quem si præberet effectus non miraculose, sed naturaliter reproduceretur. Dici tamen potest miraculum secundum quid & ex suppositione decreti, quod creditur habere Deum de non præstando huiusmodi coucursu. Vide si placet argumenta, quæ contra conclusionem adducit & soluit Scotus loco citato. numero 7. & 8.

QVÆSTIO XIX.

Vtrum causæ possint esse sibi inuicem causæ?

IN duplici sensu procedere potest difficultas: scilicet de causis eiusdem generis nimirum de duabus efficientibus vel duabus materialibus, vel diuersi generis nimirum efficientis & finalis, vel materialis & formalis. Vbi supponendum *Primo* vt omnino certum, materiam in genere causæ materialis non posse causari ab alia materia, quam ipsamet causaret in genere causæ materialis; Neque formam posse causari ab alia forma, quam ipsamet formaliter causaret; Neque etiam efficiens posse causare formam aut materiam, à quibus ipsummet constituitur formaliter & materialiter; & circa hoc nullum est dubium, sed ex se est euidens.

Supponendum est *Secundo*, causam efficientem & finalem posse se inuicem causare:

causare: nam ex Aristot. 1. Physicor. cap. 3. sicut deambulatio est causa sanitatis in genere causæ efficientis, ita sanitas est causa finalis deambulationis. Cuius ratio est: quia causa finalis solum in intentione seu apprehensione causat, atque adeo non requirit realem existentiam sui ad causandum, propterea potest recipere ipsam à causa efficiente & simul mouere ipsam & consequenter exercere munus causalitatis suæ circa illam, atque adeo esse sibi adinuicem causæ, quælibet in suo genere.

Solum igitur posset esse difficultas de causis efficientibus ad inuicem, & de materiali & formali. De prioribus.

87. Sit prima conclusio, *causæ efficientes nequeunt esse sibi inuicem causæ, ita vt vna in genere causæ efficientis ab alia dependeat.* Est communis & probatur: quia causa efficiens est prior secundum realem existentiam prioritate naturæ effectu suo: Idest est independens ab effectu suo tanquam ab aliquo dante sibi suum esse reale: vt supra num. 76. explicauimus, ergo impossibile est causari ab illo, quod est suus effectus, sed causaretur sic, si daretur mutua causalitas inter duas causas efficientes quoad suum esse reale, ergo impossibile est dari talem mutuam causalitatem.

88. Secunda conclusio: *Impossibile est materiam & formam se inuicem causare realiter.* Ita Scot. 2. d. 12. q. 2. cum omnibus suis, quos sequuntur Suarez, Hurtad. Arriaga & cæteri Iesuitæ, contra Thomistas communiter, cum quibus disputationem habuimus supra disp. præced. quæst. 3. & 6. & quæ ibi diximus, confirmant etiam hanc conclusionem, quam optime probat & illustrat noster Poncius hic à num. 56. Probatur ratione sic: materia secundum esse reale intrinsecum præsupponitur formæ, ergo secundum esse reale intrinsecum suum non potest dependere à forma tanquam à priori in vllo genere causæ influentis esse reale suum in materiam. Antecedens patet euidenter in materia prima ligni, quæ multis annis existit antequam sit in ipsa forma ignis. Et præterea secundum suum esse reale causat ipsam formam, ergo præsupponitur quoad totum suum esse reale ipsi formæ. Consequentia probatur: quia dependentia non potest esse sine indigentia; sed materia nullam habet indigentiam quoad suum esse intrinsecum à forma, cum habeat illud prius quam sit forma, ergo quoad suum esse intrinsecum non dependet à forma. Et confirmatur quia sequeretur, quod idem esset prius & posterius alio secundum idem esse, quod est absurdum. Probatur sequela, quia materia quoad suum esse reale existentiæ esset prior formâ, quandoquidem ad eam concurrit per influxum realem; & secundum illud ipsum esse reale existentiæ esset posterior eadem forma, si forma influeret realiter in ipsam.

Dices pro aduersariis: Non esse absurdum quod idem sit prius alio in vno genere causæ, & posterius ipso in alio genere: Quare materia secundum ipsos tantum habet esse prior in genere causæ materialis & posterior in genere causæ formalis. Sed contra: quia cum materia in ordine Physico nullum allıud esse habeat quàm esse in genere causæ materialis: quandoquidem hoc habeat independenter à forma, vtique totum suum esse reale habet independenter à forma, ergo in nullo genere causæ dependet à forma, atque adeo licet forma dependeat à materia quoad suum esse reale, non tamen materia

materia à forma, quod est nostrum intentum.

QVÆSTIO XX.

Vtrum fortuna & casus sint in rebus, & quid sint?

NOn immerito hic, vbi de rerum naturalium causis agitur de fortuna & casu sermonem facimus: quia secundum Aristot. Fortuna & casus sunt de numero causarum. Circa primum quod inquiritur varie lapsi sunt antiqui Philosophi. Quidam enim ex ipsis effectus omnes, quos nos casuales & fortuitos appellamus in causam per se determinatam reducebant, & ideo casum & fortunam (id est causas ex quibus per accidens prædicti effectus sequuntur) affirmabant non dari in rerum natura. Hanc sententiam refert Aristotel. cap. 4. huius libri, & ab aliquibus tribuitur Stoicis & Pythagoræ. Alij vero è contra non solum concedebant casum & fortunam, sed etiam ausi sunt affirmare, fortunam esse speciale quoddam & occultum numen absque iudicio bona & mala distribuens. Quem errorem adeo aperte lumini naturali adversantem non solum S S. P P. vt Augustin. 4. de ciuitate cap. 18. sed etiam cordatiores Ethnici reiiciebant: Vt apparet ex illo Iuuenalis satyra 10.

Nullum numen habes, si sit prudentia: Nos te
Nos facimus Fortuna Deam, Cæloque locamus.

Vt autem rem hanc, quatenus Physicæ considerationis est, breuiter expediamus, à posteriori quæstionis parte incipere oportet. Itaque fortunam sic definies cum Aristot. hic tex. 62. *Fortuna est causa per accidens in his, quæ raro contingunt ex electione.* Dicitur *causa per accidens*: Quia solum effectus qui sequitur per accidens & præter intentionem agentis, dicitur fortuitus: vt est inuentio thesauri à fodiente terram ad hauriẽdam aquam, & per hoc differt fortuna à causa per se. Dicitur *in his quæ raro eueniunt*: Quia si frequenter contingant, etiamsi sint præter intentionem operantis, non est fortuna. Additur tandem *ex electione* ad denotandum fortunam solum reperiri in agentibus intellectualibus, quæ libere & ex electione operantur. Et per hanc vltimam particulam differt fortuna à casu: Qui sic definiri solet: ***Est causa per accidens in his quæ raro eueniunt absque electione.*** Vnde idem quod in agentibus intellectualibus dicitur *fortuna*, dicitur in Brutis vel rebus inanimatis *casus*. His præmissis.

89. Sit prima conclusio. ***Dantur in rebus Fortuna & Casus.*** Ita Aristotel. hic, quem omnes Philosophi & Theologi sequuntur. Probatur quia tam in rebus, quæ operantur ex electione, quam in his quæ sine electione operantur, dantur plures effectus raro contingentes sequuti ab aliqua causa per accidens siue præter intentionem illius, ergo & dabitur causa quæ sit *fortuna* vel *casus*. Antecedens patet infinitis experientiis: vt in inuentione thesauri prædicta, & in percussione facta à lapide descendente super hominem dormientem vel ignorantem talem descensum, &c.

90. Secunda conclusio: ***Fortuna non est aliquid Diuinum & occultum numen; sed est causa efficiens illius effectus cum quo effectus fortuitus habet accidentalem connexionem:*** v. g. inuen

Inuentionis thesauri *fortuna* est fodiens terram ad hauriendam aquam. Et idem dicendum est cum proportione de *casu*. Prior pars conclusionis est certa secundum fidem, secundum quam vnicus est Deus, cui repugnat esse *Fortunam*: nam fortuna in quantum talis temere & sine prudentia agit; nil autem fit in rerum natura quod Dei prouidentiam effugiat, ergo &c. Posterior pars etiam patet: quia causæ efficienti illius effectus, cum quo effectus, fortuitus seu casualis habet accidentalem connexionem, competit definitio fortunæ vel casus: siquidem respectu effectus fortuiti vel casualis est causa per accidens in his quæ raro eueniunt absque electione, si est effectus fortuitus, vel sine electione, si effectus est casualis.

Ex dictis infertur. *Primo* fortunam & casum reduci ad genus causæ efficientis. *Secundo* infertur respectu Dei nihil casu & fortuito euenire posse: quia vt dictum est nihil est in rerum natura, quod eueniat præter intentionem Dei. Solum ergo respectu creaturarum potest dari fortuna vel casus.

QVÆSTIO XXI.

An sit & quid sit fatum?

SVppono vt certum fatum in sano sensu appellari dispositionem & ordinem, quem habent causæ à diuina prouidentia, ad hoc vt ab ipsis ineuitabiliter proueniant tales vel tales effectus. Vnde Boetius l. 5. de consolat. sic definiuit fatum: *Est immobilis dispositio inhærens rebus mobilibus, per quam diuina Prouidentia suis quæque nectit ordinibus*. Pro cuius definitionis clariori intelligentia nota dispositionem per quam Deus ordinat causas ad producendum suos effectus, dupliciter posse considerari, vno modo actiue & prout est in ipso Deo, & vt sic appellatur prouidentia, quæ definiri solet: *Est ratio ordinis rerum in Diuina mentè existens*; Alio modo passiue & vt est seu concipitur vt quid inhærens in ipsis rebus ordinatis à Deo ad producendum suos effectus, & vt sic appellatur fatum. Dicitur hæc dispositio, quæ appellatur fatum *inhærere rebus mobilibus*, quia causæ creatæ in quibus est fatum, mutationi sunt obnoxiæ; appellatur tamen hæc dispositio *immobilis*, quia stabilis est ac firma non in se & absolute, sed relata ad diuinam prouidentiam. Et tandem dicitur. *Diuinam prouidentiam per huiusmodi dispositionem cuncta nectere*, quia quæ Deus facienda apud se statuit, illius interuentu re ipsa perficit.

Nota tamen circa existentiam fati varie sensisse Antiquos & Ethnicos. Philosophos. Quidam enim dixerunt fatum esse nomen inane & sine re: idest hoc quod significatur ab authoribus hoc nomine *fatum* non esse in rerum natura. Quorum fundamentum erat, velle saluare libertatem in causis liberis, quæ non videbatur ipsis posse saluari admittendo fatum in sensu exposito, sumpto scilicet pro ordinatione seu dispositione causarum prouenіente à diuina prouidentia ad aliquid ineuitabiliter faciendum. Alij vero è contra non solum admiserunt fatum, sed etiam eius legibus omnia ita addixerunt, vt voluntatis arbitrium omnino aut magna ex parte tollerent dicentes, fatum esse indeclinabilem rerum ordinem, siue naturalem & necessariam rerum consequentiam; & ex his quidam hunc indeclinabilem rerum ordinem tribuebant astrorum sitibus & dispositionibus; alij concurrentiæ omnium causarum ineuitabiliter penden-

tium à diuina voluntate, quæ erat Stoicorum sententia, vt patet ex Seneca lib. 4. de Beneficiis cap. 7. & lib. 4. Natural. quæst. cap. 35. & seqq. vide August. 5. de ciuitate per plura cap. præcipue cap. 1. & 8. Et hoc fatum necessitans admiserunt multi hæretici de quibus noster Castro aduers. hæres. verbo *Fatum.* Et Bellarm. tom. 3. controuers. lib. 4. de gratia & libero arbitrio. cap. 8.

91. ***Vera tamen & Catholica sententia tenet contra priores authores dari in rerum natura fatum in sensu exposito; contra posteriores vero hoc fatum non tollere libertatem à causis liberis creatis.*** Et quidem dari in rerum natura fatum, ita certum est, ac est certum esse in Deo prouidentiam, qua omnia infallibiliter futura disposuit ab æterno & ordinauit. Siquidem (vt dictum est) nihil aliud est quàm infallibilis causarum ordinatio passiua à diuina prouidentia proueniens. Deinde hoc fatum non tollere nostram libertatem late probant Theologi tractatu de auxiliis & de prædestinatione, affirmantes prouidentiam Dei, etsi certa & infallibilis sit, non tamen auferre nostram libertatem: quia ea, quæ ab æterno ordinauit fieri in tempore, mandat executioni per media infallibilia non lædentia nostram libertatem. Quo autem pacto hoc componi possit, videlicet quod hæc media sint infallibilia & quod non lædant nostram libertatem, manifestum est non esse nostri instituti: pertinet enim ad Theologos quibus libenter remittimus in tractatu de scientia & voluntate Dei.

Est tamen hic aduertendum, quod etsi fatum in dicta significatione admitti debeat, tamen modus loquendi est necessario corrigendus, vel sane explicandus. Et ratio est quia *fatum* ex primæua impositione institutum est ad significandam radicem fatalis necessitatis, quam absolutam necessitatem esse sentiebant, qui nomen *fati* inuenerunt. Et ideo in propria significatione non potest attribui causis secundis, etiam vt diuinæ prouidentiæ subsunt. Propterea abstinendum prorsus Christianis à nomine ***Fati*** censuit August. c. 1. citato, quod nobis omni studio seruandum est.

DISPVTATIO III.

In Tertium Librum Physicorum Aristotelis.

EXPLICATIS hactenus principiis & causis entis naturalis, recto ordine aggredimur cum Aristot. disputationem affectionum ipsius entis seu corporis naturalis: vt sunt *motus, quies, tempus, locus,* &c. Et in hoc tertio libro de *motu* & *infinito* agemus. De *motu* quidem: quia est prima & præcipua passio inter omnes alias, quæ oriuntur à natura; & de *infinito* quia motus est de genere continuorum, quibus conuenit quod sint finita vel infinita. Sit ergo quæst. 1.

QVÆSTIO I.

Quid sit Motus?

1. MOtus sic definitur ab Aristotele hic: *Est actus entis in potentia prout in potentia.* Hanc definitionem communiter approbant Philosophi. Pro cuius explicatione & defensione,

Nota *Primo*, mobile ante motum habere

bere duas potentias passiuas subordinatas, vnam ad moueri, & aliam ad terminum motus, prioris potentiæ actus est motus, posterioris vero terminus *ad quem* motus. Vnde licet per receptionem motus reducatur ad actum prior potentia mobilis, non tamen secunda, sed adhuc manet mobile in potentia ad terminum motus recipiendum.

Nota *Secundo*, actum esse duplicem perfectum scilicet & imperfectum, actus perfectus est qui totaliter actuat potentiam passiuam subiecti, in quo recipitur: tales sunt formæ substantiales, & ex accidentalibus intensæ in summo v. g. calor vt octo. Actus imperfectus est, qui partim actuat subiectum, & partim relinquit in potentia. Potest autem hæc imperfectio in actibus ex duplici capite prouenire, vel quia est forma remissa, vel quia non tam est forma, quam via & tendentia ad formam. Et quando ex priori capite prouenit, dicitur actus imperfectus accidentaliter, eo quod formæ accidit esse remissam, vel in summo gradu intensam. Quando vero ex posteriori cap. prouenit, actus dicitur imperfectus essentialiter, eo quod non posse totaliter actuare subiectum prouenit illi ab intrinseca entitate, & huiusmodi est motus.

His notatis: Probo prædictam descriptionem motus esse bonam & exactam: quia *omni ac soli* competit absque superfluitate aut defectu, vt constabit ex eius explicatione. Dicitur *actus entis in potentia*, & in hoc conuenit motus cum omnibus formis tam substantialibus quam accidentalibus, quæ etiam sunt actus entis in potentia passiua ad illas recipiendas. Ponitur *prout in potentia*, in quo denotatur, motum ita esse actum entis in potentia ad illum recipiendum, vt simul relinquat illud in potentia ad vlteriorem actum recipiendum. In potentia (inquam) non solum negatiua, quæ consistit in negatione perfectæ actualitatis, sed etiam positiua, quæ præter talem negationem, dicit ordinationem & promotionem illius, quod dicitur esse in potentia ad actum perfectum: vt est terminus respectu ipsius motus. Vnde per istam particulam differt motus à formis non solum perfectis: vt sunt substantiales & ex accidentibus intensæ in summo gradu, sed etiam differt à formis imperfectis accidentaliter, vt sunt qualitates remissæ: nam formæ istæ remissæ, licet ita sint actus entis in potentia, vt simul relinquant illud in potentia ad recipiendos plures alios gradus eiusdem formæ, sed non relinquunt in potentia positiua sicut motus.

2. Inquires: *An prædicta definitio conueniat tam motui instantaneo, quam successiuo?* Pro responsione Aduerte, per motum instantaneum (qui alias appellatur mutatio) intelligi à nobis motum illum, quo aliquid mouetur in instanti, acquirendo formam aliquam secundum omnes partes simul. Et per motum successiuum, illum, quo mouetur aliquid in tempore, acquirendo aliquam formam secundum partes, vnam post alteram sine intermissione: Exemplum prioris vt generatio, aut illuminatio: exemplum posterioris vt augmentatio vel alteratio, aut motus ad *vbi*. Nunc ℞. *prædictam definitionem vtrique motui tam instantaneo, quam successiuo conuenire.* Ita Scotus 2. d. 12. q. 1. quem sequuntur sui & Hurtadus, Arriaga & alij Iesuitæ, contra aliquos Thomistas & Conimbricens. Probatur ex Aristo. qui postquam tradidit hanc definitionẽ, statim ponit exempla, non solum in mutationibus successiuis, sed etiam in instantaneis.

Deinde quia omnes fatentur, Arist. definisse hic eumdem motum, quem posuerat in definitione naturæ; sed motus positus in definitione naturæ, est motus in communi & prout sub se comprehendit tam mutationem instantaneam quam successiuam: vtriusque enim mutationis natura est principium & causa, ergo motus qui definitur per istam definitionem, erit motus vt sic æqualiter significans tam instantaneum quam successiuum. Probatur etiam ratione: quia motus quo mouetur in instanti aer ad lumen, corpus ad animam, materia prima ad formam substantialem re vera est actus imperfectus entis, quod est in potentia & vt est in potentia: quandoquidem sit actus essentialiter ordinatus ad vlteriorem terminum, in ordine ad quem mobile est in potentia, igitur omnes particulæ definitionis conueniunt ipsi.

QVÆSTIO II.

Quo pacto Actio & Passio sint idem motus?

SVpponit Titulus quæstionis actionem & passionem esse eumdem motum: quia ita habet expresse Aristot. hic c. 3 Quo modo autem hæc identitas saluetur, dubitamus. Pro solutione,

3. Nota & recole acceptiones huius nominis *actio* quas disp. præced. q. 6. adduximus ex Scoto 4.d.13.q.1. sumuntur ergo in præsenti actio & passio pro fieri rei, & vt important respectus, qui exprimuntur per *esse ab alio* & *esse in alio*. In qua acceptione sumpsit ea Aristoteles cum dixit esse idem realiter cum motu & solum distingui ratione idest definitione. Quod vt clarius percipiatur. Aduertendum est, fieri rei posse tribus modis considerari: *Primo* vt est fluxus seu via, qua mediante subiectum transit *à termino à quo ad terminum ad quem*. Et hoc pacto appellatur *motus*. *Secundo* vt hæc via seu fluxus prouenit ab aliquo efficiente, estque actus illius, quo mediante dicitur agere & producere *terminum ad quem* & hoc pacto dicitur *actio*. *Tertio* vt hæc via seu fluxus recipitur in subiecto, quod transmutatur, estque via per quam *terminus ad quem* pendet à subiecto, & hoc pacto dicitur *passio*. De actione igitur & passione sumptis vt sic intelligendus est Aristoteles. His suppositis,

Sit conclusio: *Hæc propositio actio & passio sunt idem motus in tantum est vera, in quantum actio & passio sumuntur pro fieri rei seu pro fluxu formæ.* Probatur, motus nihil aliud est quam transitus formæ ab agente in passum; sed fluxus formæ provt ab agente est actio & provt in mobili est passio, ergo actio & passio sumptæ pro fieri rei seu formæ sunt idem motus. Distinguuntur tamen ex natura rei formaliter, & hoc intelligit Aristoteles, cum illa appellat ratione distincta: nam ibi non sumit rationem pro operatione intellectus, sed pro definitione & quidditate. Vnde idem est apud ipsum esse distincta ratione, ac esse distincta definitione. Et ratio est, quia vt diximus idem fieri rei secundum diuersas rationes formales dicitur *motus, actio & passio*, ergo motus, actio & passio prout in præsenti sumuntur, eædem res sunt, & solum distinguuntur secundum diuersas rationes formales.

5. Sed

5. Sed inquires: *Quid sint istæ rationes formales, per quas dicimus actionem & passionem differre formaliter tam inter se quàm à motu?* ℞. Et dico contra nonnullos Thomistas, non esse accidentia illa, quæ constituunt quintum & sextum prædicamentum, videlicet relationes illas extrinsecus aduenientes transmutantis ad transmutatum & transmutati ad transmutans, quas dicunt ad inuicem forma & subiectum. Et ratio est: quia isti respectus non identificantur realiter cum motu, nec inter se, sicut identificantur actio & passio, de quibus nunc loquimur, sed potius sunt respectus oppositi & in diuersis subiectis inhærentes.

Propter hæc aliqui Scotistæ inter quos est Philippus Faber Theoremat. 45. tenent esse relationes secundum esse & intrinsecus aduenientes. Et fundant in doctrina Scoti, qui 4. citato tradens quinque acceptiones huius nominis *actio* sic ait: *Quandoque etiam accipitur actio pro re acta, includendo tamen istum respectum, quem exprimit hoc quod est esse ab alio sicuti accipitur ab Aristot. 3. Physicor.* Et paulo infra explicando hanc acceptionem *actionis*, de qua nos hic cum Aristot. loquimur, dicit quod actio vt sic includit duo, vnum pro materiali & connotato scilicet formam actam seu productam, & aliud pro formali scilicet respectum, quem exprimit *esse ab alio*: Et subdit, quod si materiale huius nominis *actio* consideretur, non oportet quærere, ad quod genus seu prædicamentum pertineat: quia potest pertinere ad tot genera, ad quot forma causata in passo ab agente; at si consideretur pro formali (quo sensu modo consideramus actionem) ait, dicere respectum intrinsecus advenientem, si esse ab alio significet producens siue inducens aut educens formam; vel respectum extrinsecus aduenientem, si esse ab alio significet transmutans subiectum.

Sed hæc sententia nullatenus placet: quia non consonat veritati. Et ratio est, quia in nulla ex his relationibus, quæ exprimuntur in hoc quod est esse ab alio in forma producta, educta vel inducta possunt consistere rationes formales actionis & passionis provt in præsenti intendimus ipsas distinguere à motu: *Primo* quia ratio formalis actionis, de qua hic loquimur est idem realiter cum motu, vt diximus; relationes autem intrinsecus aduenientes non sunt idem realiter cum motu, cuius signum est quod transacto motu ipsæ remanent in re producta, educta & inducta. *Secundo* quia ratio formalis actionis est prior natura quam res producta, educta & inducta: siquidem actio vt supra dictum est, est causalitas, qua mediante res producitur, educitur, & inducitur; at vero istæ relationes non sunt priores, sed posteriores natura re producta: quia res producta, educta, aut inducta est fundamentum istarum relationum, & consequenter quasi causa & prior natura illis. Neque Scotus fauet illis ibi: nam inferius n. 14. obiicit sibi sententiam Philosophi & iuxta eius mentem explicat sua dicta & insinuat nostram sententiam: Quæ sic se habet.

6. Igitur dicendum nobis est, rationes formales actionis & passionis, per quas in præsenti intendimus ipsas distinguere à motu, non consistere in aliqua relatione secundum esse, sed in diuersis habitudinibus secundum dici, quas idem motus dicit ad agens & passum. Colligitur ex Aristotele qui nullo alio modo explicat rationes actionis & passionis, quæ sunt idem cum motu, quam dicendo: *Motus est actus actiui & passiui, actiui vt ab ipso, passiui vt in ipso*; sed esse actum actiui &

passiui supra motum nihil aliud dicit, quam habitudines secundum dici, sicuti esse actum albi, nihil aliud dicit supra albedinem quàm habitudinem secundum dici, ergo, &c.

7. Et ex hoc infero, motum, actionem & passionem quæ cum ipso identificantur, esse entia modalia absoluta, & solum relatiua secundum dici. Vnde infertur quam bene dixerit Scotus 1. d. 30. 35. 36. & 43. Et 2. d. 1. q. 2. n. 8. ad absolutum in causa immediate sequi absolutum in effectu, & postea in effectu resultare respectum ad causam: nam licet inter causam & effectum mediet actio, passio & motus, tamen hæc quę non sunt medium *quod*, sed medium *quo*, non sunt relationes, sed quid absolutum; quod maxime notandum contra præfatos Scotistas; vt inde colligatur, non esse loquutos ad mentem Scoti, qui relationes istas non ponit medium *quo* inter causam & effectum: vt est motus, actio & passio, sed quid consequens ad effectum: Hanc nostram sententiam citat vt probabilem in via Scoti noster Poncius disput. 17. in Apologet. contra Mastrium in responsione ad num. 52. Mastrij. Et promittit se illam defensurum in suis nouis comment.

Dubium 1.

8. Inquires *primo: Vbi subiectetur actio?* ℞. Quod aut sumitur actio *pro fieri rei* vt ab alio proueniens, siue vt Scot. ex mente Commentatoris loquitur pro re acta vt importat respectum, quem dicit *esse ab alio*, quæ est acceptio secundum quam nos hic de actione loquimur, imo & Aristoteles; aut sumitur actio pro relatione extrinsecus adueniente transmutantis ad transmutatum, quæ constituit quintum prædicamentum. Si priori modo sumatur, dicendum est cum Scoto 4. citato esse subiectiue in passo. Et ratio est quia actio vt sic est idem realiter cum motu secundum Aristotel. sed motus ex eodem Aristot. hic. cap. 3. non est subiectiue in agente, sed in passo, ergo neque actio in ista acceptione erit in agente, sed in passo. Si vero sumatur posteriori modo, dicendum est esse in forma, quæ afficit & transmutat materiam. Et ratio est quia in illo est subiectiue relatio, vbi est fundamentum illius, sed fundamentum relationis transmutantis ad transmutatum est in forma actuante materiam, ergo & ipsa relatio & consequenter actio sumpta pro ista relatione, mi. patet: nam fundamentum huius relationis est potentia transmutandi, quam manifestum est esse in forma à qua prouenit formaliter effectus transmutationis materiæ, licet efficienter proueniat ab agente efficiente & causante talem formam.

Dubium 2.

Inquires *secundo: Vtrum in creatione reperiatur actio?* ℞. breuiter, si nomine *actionis* intelligatur actio de prædicamento actionis, absque dubio in creatione non reperiri veram actionem. Et ratio est quia vt diximus in Logica c. 3. sect. 5. actio de prædicamento actionis consistit in relatione transmutantis ad transmutatum, quam dicit forma ad subiectum motus; constat autem in creatione, quæ est productio rei ex nullo præsupposito subiecto, non esse talem relationem, ergo neque actio vt sic sumpta. At vero si actio sumatur, vt de ipsa in hac quæstione loquimur, scilicet pro via seu influxu, quo mediante efficiens aliquid producit (quæ est eius causalitas) siue quod idem est pro fieri rei, vt prouenit ab efficiente, re vera datur actio in creatione: quia negari non potest in creatione dari fieri rei, quæ creatur, non secus ac datur in generatione. Et solum

ſolum eſt differentia, quod fieri rei, quæ generatur, recipitur in aliquo ſubiecto, ſicuti & forma, quæ per generationem fit, vnde non ſolum habet quod ſit actio, ſed etiam habet quod ſit paſſio & motus; at vero fieri rei, quæ creatur, non recipitur neceſſario in aliquo ſubiecto, vnde licet habeat quod ſit actio, non tamen habet quod ſit paſſio, neque habet quod ſit motus. Nec contra hoc eſt quod ſupra cum Ariſtot. diximus: ſcilicet actionem in iſta acceptione eſſe idem realiter cum motu & cum paſſione: quia præfata doctrina intelligenda eſt præciſe de actione, quæ recipitur in aliquo ſubiecto, & ſemel identificata eſt cum motu & paſſione: nam vbi non datur mobile ſicut in creatione, neque datur motus aut paſſio.

QVÆSTIO III.

Quid ſit infinitum, & an poſſit dari?

NOn loquimur in præſenti de infinito ſecundum eſſentiam, entitatem, & perfectionem, quod & appellatur infinitum ſimpliciter & abſolute, eo quod in ſe continet perfectionem omnium prædicamentorum, ideſt perfectionem in omni genere, qualis ſolus eſt Deus; ſed de infinito in certo aliquo genere v. g. in genere qualitatis vel quantitatis, quod & appellatur infinitum ſecundum quid: nam licet in genere qualitatis careret fine, abſolute tamen maneret intra genus entis creati, & ita eſſet aliàs ens finitum.

9. Huiuſmodi autem infinitum ſic communiter definitur ex Ariſtot. hic: *Eſt cuius quantitatem accipientibus ſemper eſt aliquid extra accipere.* Cuius definitionis ſenſus eſt, quod infinitum habet tot partes, vt accipiendo partem poſt partem ſemper remaneat aliqua pars accipienda, ſic vt nunquam poſſit aſſignari aliquis terminus determinatus partium, quas habet, nec quidem ab ipſo Deo. Sed quia hæ partes in duplici ſenſu imaginari poſſunt, duplex etiam infinitum aſſignari ſolet, alterum categorematicum ſeu in actu, alterum ſyncategorematicum ſeu in potentia, quædam partes ſunt eiuſdem proportionis; quædam vero eiuſdem quantitatis, partes eiuſdem proportionis ſunt partes ſic ſe habentes, quòd eadem eſt proportio primæ ad ſecundam, quæ eſt ſecundæ ad tertiam, & ſic in infinitum, & ſecundum has partes proportionales poteſt continuum in infinitum ſecari, & nunquam conſummabitur per talium partium ablationem: v. g. ſi quoddam continuum vt eſſet linea bipedalis diuidatur in duas medietates pedales, & aliquam illarum diuidas in alias duas medietates, & ex illis alteram in alias duas & ſic in infinitum, hæc diuiſio fit ſecundum proportionem: quia partes ſemper ſeruant duplam proportionem. Partes eiuſdem quantitatis, quæ & aliquotæ & æquales nominantur, ſunt v.g. in decupedali linea decem partes pedales, quæ quidem partes in quolibet continuo finitæ ſunt & per ablationem ipſarum vltimo conſummabitur. Totum conſtans ex prioribus partibus dicitur infinitum ſyncategorematicum; conſtans vero poſterioribus, ſi infinitæ eſſent, diceretur infinitum categorematicum.

In multiplici genere poteſt imaginari hoc infinitum. Si eſſet in genere qualitatis, diceretur infinitum ſecundum intentionem, ſi in genere quantitatis, diceretur infinitum ſecundum extenſionem, quod & ſubdiuidi poſſet in

in infinitum ſecundum extenſionem diſcretam, qualis, eſſet numerus, & in infinitum ſecundum extenſionem continuam, quod adhuc duplex eſſet, videlicet infinitum ſecundum extenſionem continuam permanentem: vt eſſent infinita ſecundum longitudinem, latitudinem & profunditatem, & infinitum ſecundum extenſionem continuam ſucceſſiuam: vt eſſent infinita ſecundum tempus & durationem. De hoc vltimo agemus lib. 8. inquirentes: an mundus fuerit ab æterno? ac per conſequens infinitum ſecundum durationem & tempus?

10. Sit prima concluſio: *Datur de facto infinitum ſyncategorematicum ſecundum extenſionem diſcretam, & continuam permanentem; item & ſecundum intenſionem etiam, ſaltem penes diuiſionem; non autem categorematicum, imo neque per vires naturæ poteſt dari huiuſmodi infinitum.* Priorem partem concluſionis credidit Ariſtot. eſſe veram in tempore, motu & generationibus etiam à parte ante: nam ſecundum ipſum (vt dicemus lib. 8.) fuerunt ab æterno, verùm quia oppoſitum nos fides Catholica docet, verius exemplum adducere poſſumus ad illam probandam in cogitationibus Angelorum & animarum rationalium, quæ futuræ ſunt non tot quin plures. Et ſimiliter in tempore motu & generationibus, quæ de facto durare poſſent in infinitum, quantum eſt ex ſua natura. Item adducere poſſumus quamcumque magnitudinem & extenſionem continuam & permanentem inanimatorum, quæ eum verſus magnitudinem & paruitatem non requirant terminum intrinſecum (vt dicemus in libris de generat.) poterunt quatenus eſt ex ſe in infinitum augeri, & proportionabiliter in infinitum ſecari. Quod vltimum non poſſet eis competere, niſi haberent in potentia infinitas partes proportionales. Quoad intenſionem probatur etiam: nam quæcumque qualitas intenſa, quæ de facto datur, poteſt diuidi in infinitas partes: aliàs conſtaret ex ſolis indiuiſibilibus; ſed non infinitas determinatas: quia aliàs eſſet infinita categorematice, ergo in infinitas indeterminatas, hoc eſt non in tot, quin poſſit in plures, ergo eſt infinita ſyncategorematice ſaltem penes diuiſionem.

Poſterior pars concluſionis confirmabitur inferius, vbi aſſeremus nec ſupernaturaliter ſeu de potentia abſoluta poſſe dari vllum infinitum categorematicum. Quod de infinito ſecundum magnitudinem probatur breuiter: nam hoc eſſet vel res animata & viuens, quam manifeſtum eſt, neque habere naturaliter, neque habere poſſe actu infinitam magnitudinem: vt ex profeſſo diſputabimus in lib. de generat. vel eſt res inanimata & de hac probatur hac ratione. Si daretur corpus naturale habens infinitam magnitudinem, vel eſſet intra cœlum vel extra cœlum; non intra, quia iam clauderetur terminis, quod repugnat infinito in actu; neque extra: quia cum extra ambitum cœli non ſit aliqua materia entium naturalium, nihil productum eſt, neque produci poteſt à cauſis naturalibus, quæ ſolum poſſunt agere aut producere ex præſuppoſita materia, ergo nullum poteſt dari infinitum in actu ſecundum magnitudinem per vires naturæ.

Dubium I.

Vtrũ qualitas poſſit ſine termino intendi?

11. Dixi ſupra, dari de facto infinitum ſyncategorematicum ſecundum intenſionem ſaltem *penes diuiſionem*: quia poſſet eſſe dubium: vtrum detur etiam penes additionem, videlicet an qualitas poſſit in infinitum & ſine termino intendi, vel potius habeat terminum præfixum, vltra quem non poſſit

sit intendi? Ad quod ℞. cum Scoto 3. d. 13. q. 2. dari statum & terminum intensione qualitatum cuius ratio desumitur quasi à posteriori ex limitatione potentiæ seu capacitatis subiecti, in quo reciperetur talis qualitas: nam cum omnis potentia tam physica quam metaphysica sit limitata, necessario correspondet ei actus etiam limitatæ & determinatæ perfectionis gradualis, ita vt repugnet in tali specie actus dari aliquem actum magis intensum seu gradualiter perfectum. Quod probatur ex paritate rationis: nam sicut ob rationem potentiæ limitatæ, omni creatæ potentiæ actiuæ correspondet effectus determinatæ perfectionis, adeo vt illo perfectiorem edere non possit, ita etiam omni potentiæ receptiuæ ob rationem potentiæ finitæ respondet necessario actus formalis determinatæ perfectionis gradualis, ita vt illo perfectiorem in gradu recipere non possit.

12. Dices cum nostro Poncio disput. 53. n. 61. eamdem illam capacitatem realem & definitam etiam formaliter consideratam, qua subiectum reciperet vnum gradum, esse capacitatem, qua reciperet alterum, nec maiorem requiri ad recipiendos infinitos gradus, quam finitos quoscumque. Quod probat sic: quia eadem capacitas superficiei ambientis, quæ sufficit ad vnum corpus aut vnum Angelum, sufficit ad recipienda infinita corpora, ablata impenetrabilitate, & infinitos Angelos si darentur, ergo stat bene capacitatem subiecti finitam esse, & recipi in ipso infinitos gradus qualitatis, si darentur, atque adeo ex alio capite assignari debet repugnantia. Sed contra quia valde diuersa est ratio proportionis inter subiectum & formam qua perficitur; ac inter superficiem & corpus quod continet: nam illa se habent per modum actus & potentiæ, secus vero ista. Ex quo vlterius sequeretur, ex compositione illa resultare vnum quid infinitum in aliqua specie: puta in esse *Sapientis* vel *Iusti* v.g. sub genere qualitatis, quod implicat, ergo dato quod vna superficies contineret infinita corpora, non tamen idem subiectum posset recipere infinitos gradus qualitatis.

Dubium. 2.

An detur creatura infinitæ perfectionis essentialis?

13. Quod autem repugnet vnum aliquid infinitum in specie aliqua intra ordinem rerum creatarum, probatur ratione communi: quia natura generica & differentia specifica habent se tanquam potentia determinabilis & actus determinans, sed potentia illa est limitata, ergo & iste actus, aliàs non esset proportio inter illa, ergo & constitutum ex ipsis nempe species necessario debet esse quid limitatum. Nec rationem istam communem infringit noster Poncius hic num. 25. dicens, quod si differentia esset infinitæ perfectionis, essentia seu species per illam constituta esset infinita: sicut Deus (inquit) qui constituitur per rationem entis & modum infinitatis vel quemcumque alium, quo contrahitur ratio entis ad ipsum, est infinitæ perfectionis Hoc (inquam) nihil valet: quia ratio entis contrahibilis modo infinitatis vel finitatis non est limitatum quid, sed abstrahens ab vtroque, propterea & contrahi potest modo infinitatis; & quod tali modo affectũ est, infinitũ quid & infinitæ perfectionis; at vero ratio generica reperibilis in creatura est ratio entis contracta & affecta modo finitatis, propterea non est contrahibilis per differentiam infinitæ per-

fectionis, atque adeo nec constitutum ex ipsis poterit esse infinitum quid.

Confirmatur vlterius nostra principalis resolutio ex ratione paritatis: nam descendendo in latitudine generis *substantiæ* peruenitur ad aliquam speciem imperfectissimam, quâ imperfectior fieri non possit in genere substantiæ, nempe ad materiam primam, ergo similiter ascendendo via perfectionis debet etiam dari alia perfectissima, quâ perfectior nequeat produci. Antecedens est receptum apud Philosophos communiter & Doctores. Quod & indicat D. August. 12. confess. cap. 7. dicens: *Duo fecisti, Domine vnum prope te, id est naturam Angelicam, alterum prope nihil, id est materiam primam, vnum quo superior tu esses, alterum quo inferius nihil esset.* Et hoc idem colligit ex isto testimonio August. Scotus 2. d. 12. q. 2. num. 6. Et certe sat deberet esse, communiter non potuisse Sapientes & Doctos viros imperfectiorem substantiam concipere.

14. Sed Obiicies. In numeris potest in infinitum iri, nec vllus assignabilis est finitus numerus, cui non possit addi alia vnitas, quâ redderetur maior, & hoc idem continget in accremento & decremento continui, ergo cum species sint velut numeri teste Philosopho 8. Metaph. cap. 3. in earum sicut & in numerorum multiplicatione dabitur progressus in infinitũ. ℞. concess. anteced. neg. conseq. nam ideo in numeris & in diuisione ac augmento continui non datur status, quia hæc additio vel diminutio non est formalis seu per intrinsecum accessum aut recessũm maioris perfectionis; sed materialis seu per multiplicationem vel appositionem plurium entitatum perfectionis æqualis, quibus entitatibus, non correspondet vna aliqua & determinata potentia perfectibilis per illas, & ideo etiam per se sibi non vindicãt aliquam determinatam actualitatem, vltra quam augeri, & infra quam diuidi seu minui non possint; differentiæ autem specificæ sunt perfectione inæquales, & ad intrinsecum essentiæ complementum pertinent, & ideo specierum multiplicatio est formalis ex perfectione & perfectibili proportionatæ perfectionis. Quò fit, vt sicut genus tanquam perfectibile est determinatæ perfectionis, ita differentia specifica tanquam perfectio, sit determinatæ perfectionis, & consequenter ipsa species & latitudo specifica sit determinatæ perfectionis, ita vt non sit intra illam procedendum in infinitum syncategorematice seu indeterminate, non sistendo in aliqua specie determinata perfectissima. Nec quoad hoc paritatem constituit Arist. inter species & numeros; sed in hoc quòd sicut numerus multiplicatur in species inæquales, sic genus multiplicetur in species inæquales, quæ tamen inæqualitas inter species numeri solum est per aggregationem plurium vnitatum æqualis perfectionis; inter species vero proprie dictas est secundum differentias inæqualis perfectionis. In qua inæqualitate est status, licet in multiplicatione vnitatum non sit per se status. Et hæc eadem ratio potest applicari ad probandum debere etiam dari statum in intensione qualitatum, in opinione asserentium gradus esse inæquales, ita quod secũdus perfectior sit primo, & tertius secundo &c.

15. Secunda conclusio, *Repugnat dari infinitum in actu tam secundum multitudinem, quam secundum magnitudinem.* Hæc sententia communior est quam opposita, & eam videtur supponere Scotus 3. citato, saltem de qualitate infinite intensa cuius ratio contradictionis apparet etiam in infinitis

nitis in aliis generibus. Et certe meo iudicio sufficientissimum fundamentum esse debet pro hac sententia communior Doctorum authoritas. In cuius enim positione contradictionem implicari visum est tot tamque præclaris ingeniis, sane admodum verisimile est, illud talem contradictionem implicare, atque adeo impossibile esse, vt etiam per diuinam potentiam fiat. Sequeretur enim tot partes maiores esse in tali infinito, quot minores: v.g. tot partes quatuor pedum, quot duorum pedum; tot gradus vt octo, quot gradus vt quatuor, tot quaternarios, quot binarios, & sic partem esse æqualem toti, atque adeo illam non esse partem & hoc non esse totum. Item vnum infinitum esset maius & haberet plures partes quàm aliud, & sic istud aliud non esset infinitum quia infinito nihil addi potest. Hæ & aliæ plures contradictiones inferuntur communiter ex positione prædictorũ infinitorum, quas fere insolubiles fatetur noster Poncius, licet oppositum iudicet probabilius. Nec video qua ratione possit similes contradictiones deprehendere (vt ipse promittit, nec reperio vbi adimpleat) in infinito syncategorematico ab omnibus concesso. Sed de hoc satis, nec plura sunt magni momenti.

DISPVTATIO IV.

In quartum Librum Physicorum Aristotelis.

POSTQVAM cum Arist. in anteced. Libro egimus de potissima passione entis naturalis scilicet de *motu*, Nunc accedimus ad alia, quæ mobile & motum concomitantur scilicet locum & tempus: quia locus concomitatur ipsum ens tamquam extrinseca mensura eius, & tempus ad motum per modum etiam mensuræ consequitur: mobile enim ratione sui est in loco, & ratione motus mensuratur tempore. Tractabimus etiam de vacuo: quia vacuum etiam potest dici locus licet non repletus corpore, aptus tamen repleri. sit ergo Quæstio.

QVÆSTIO I.

Quid sit locus?

HÆc Quæstio vnum supponit & aliud inquirit, suponit vt certum dari in rerum natura locum, quod non solum docuit Aristot. sed etiam probauit esse quid diuersum à corporibus locatis experiẽtia, quâ videmus idem receptaculum siue eumdem locum nunc occupari ab aqua, nunc ab aere. Quod fieri non posset, si receptaculum siue locus non esset quid distinctum à corporibus receptis. Inquirit ergo, Quid sit locus?

1. Sit conclusio, *locus sumptus non vulgari acceptione scilicet pro sede vel situ, vbi aliquid est, Sed in rigore philosophico pro receptaculo, quo aliquid continetur, non est spacium siue interuallum quod est inter latera corporis continentis sed est vltima superficies corporis continẽtis immobilis.* Ita Aristot hic c.4. contra aliquos Philosophos antiquiores. Probatur prior pars Conclusionis: quia illud spacium siue interuallum vel est quid reale positiuum diuisibile secundum trinam dimensionem, longitudinem scilicet, latitudinem, & profunditatem, vt quidam Philosophi dixerunt; vel est quid priuatiuum vide-

licet vacuum illud, quod imaginamur repleri à corporibus sibi inuicem succedentibus, vt alij contendebant & probabilissimum reputant Toletus, & Conimbricenses: Non primum, quia tale ens habens trinam dimensionem necessario occupat locum: propensio enim ad hoc est illi essentialis, in quantum extensum est, vel ergo spatium hoc, quod occupat, est idem, quod occupat corpus superueniens, quod dicitur esse in loco, vel est aliud distinctum? Hoc vltimum repugnat: quia cum intra se recipiat locatum, non poterit ad aliud spatium se extendere, ergo occupat idem spatium; sed duo entia positiua habentia extẽsionem quantitatiuam nequeunt esse in eodem spatio sine penetratione, quæ naturaliter est impossibilis, ergo locus corporis naturalis non est prædictum spatium seu interuallum sumptum pro ente reali positiuo habenti extensionem quantitatiuam. Neque etiam dici potest esse quid priuatiuum: quia hic loquimur de loco vero & reali corporis naturalis; sed illud spatium si ponatur quid priuatiuum, non est quid verum & reale, sed quid imaginatum, ergo tale spatium nequit esse locus; deinde si est priuatio aut negatio, non alia negatio, quam corporis; sed illa negatio corporis tollitur posito ipso corpore, ergo quando poneretur res in loco, tolleretur locus, quod est absurdum.

2. Probatur posterior pars conclusionis, tum à sufficienti partium enumeratione: quia vt inquit Aristot. hic, in vno ex his quatuor ponendus est locus, in materia scilicet forma vel in prædicto spatio seu interuallo vel denique in vltima superficie corporis continentis; sed notum est per se non esse materiam aut formam, item probatum est non esse interuallum, bene ergo sequitur esse vltimam superficiem corporis continentis; tum etiam quia proprietates loci: vt continere locatum & aliæ, soli & omni superficiei corporis continentis conueniunt, ergo, &c. Sed quia vltima superficies corporis continentis duo importat superficiem scilicet & rationem continentiæ, posset esse dubium: Quam rationem ex his dicat locus pro formali seu pro per se significato, & quam dicat pro materiali seu connotato? ℞. cum Scoto quol. 11. locum pro formali dicere habitudinem continentiæ, aptitudinalem, si locus sit aptitudinalis, & actualem, si sit actualis; dicere vero pro materiali superficiem. Vnde consequenter dicendum est, quod etiamsi locus pro materiali sit species quantitatis, pro formali tamen sit relatio extrinsecus adueniens pertinens ad prædicamentum *Vbi*.

Confirmatur conclusio explicando singulas particulas definitionis, dicitur *vltima superficies*: quia quæstio est de loco immediato & proximo, dicitur *corporis*: quia de loco corporeo, in quo corpora actualiter extensa locantur, dicitur *continentis* idest circumscribentis seu intra se tenentis illud, quod dicitur esse in loco. Dicitur denique esse *immobilis*: quia locus vt locus debet esse terminus à quo motus localis; non esset autem talis, si moueretur cum locato; vnde Arist. negat vltimam superficiem dolij, quod simul cum vino mouetur, esse locum vini, quæ tamen superficies, si maneret immobilis, & inde moueretur vinum, posset habere rationem loci, non minus quam quæcumque alia superficies.

3. Obiicies *primo* contra primam partem conclusionis: Maius spatium occupatur à corpore magno, quam paruo & à toto mundo, quam à parte mundi, ergo datur spatium vel reale vel imaginarium, in quo sit corpus magnum

magnum distinctum à spatio, in quo sit corpus paruum, & in quo sit totus mundus secundum se totum, sed illud spatium non est corpus aliquod ambiens: nullum enim est ambiens totum mundum; & quodcumque corpus ambiens aliud corpus posset destrui, relicto illo corpore adhuc occupante tantum spatij, quantum antea occupabat, ergo aliquod aliud spatium; & hoc maxime vnum ex assignatis à contraria sententia. ℞. Nullum spatium occupari ab vllo corpore, nisi superficiem corporis ambientis, quæ si habet partes suas magis distantes, quàm partes alterius superficiei ambientis aliud corpus, dicitur esse maius, quàm spatium occupatum à corpore circumscripto per aliam superficiem, cuius partes minus à se inuicem distant. Quod si nulla superficies ambiat corpus, sicut nulla ambit totum mundum, includendo in mundo cælos omnes, profecto corpus illud non debet dici occupare vllum spatium nec magnum, nec paruum. Sed solum potest dici, si partes ipsius magis à se inuicem distant, quàm distant inter se partes alterius corporis, quod possit occupare maius spatium, quàm alterum corpus, idest quod exigat maiorem superficiem ad continentiam sui, quàm alterum corpus.

Obiicies *secundo*. Omnia incompossibilia habent incompossibilitatem respectu alicuius tertij; sed duo corpora quanta habent incompossibilitatem localem, ergo respectu alicuius tertij; sed non respectu superficiei ambientis: quia ea ablata adhuc maneret incompossibilitas eorum; nec aliud tertium assignari potest præter spatium, ergo spatium illud est locus. ℞. neg. mi. subsumpt. pro priori parte: habent enim incompossibilitatem respectu superficiei sic, vt non possint naturaliter sub eadem superficie contineri simul; Nec refert ad hoc; quod superficies existat aut non existat: sufficit enim quod duæ quantitates non possint naturaliter intra se inuicem sic applicari, vt eadem superficies vtrique correspondere possit, si ponerentur sub superficie aliqua.

4. Obiicies tertio contra secundam partem conclusionis præcipue contra particulam *immobilis*, quæ magnam continet difficultatem: superficies aeris ambientis turrim est locus eius, & tamen facile mouetur huc illucque, vel flante vento, vel succedente quocumque alio corpore, ergo vel locus non est superficies corporis continentis, vel non debet esse immobilis. Et confirmatur, quia sequeretur quod corpus immotum localiter, posset mutare locum, quod est absurdum: patet in prædicto exemplo: nam turris manens in eodẽ loco nõ retinet semper eandem superficiem continentem, sed nunc habet hanc, nunc illam, ergo corpus immotum mutat locum & transit ab vno in alium. ℞. immobilitatem loci desumi à tali distantia ad terminum ad quem motus localis, quo mouetur corpus à loco ad illum terminum: nam locus vt dicit talem distantiam nequit moueri etiam de potentia absoluta. Vnde in forma dist. ma. secundum se præcise. neg. ma. vt dicit talem distantiam ad terminum ad quem motus localis. conced. ma. & dist. similiter mi. & neg. conseq. Ratio, autem quare debeat huiusmodi immobilitas considerari in loco, est quia sine ea non possemus scire extensionem motus localis, qui fieret à termino *à quo* ad terminum *ad quem*.

Ad confirmat. ℞. cum Scoto 2. d. 2. q. 6. num. 8. quod licet locus ambiens turrim moueatur motu corruptionis (loquor de loco non solum sumpto pro materiali scilicet superficie, sed etiam pro formali videlicet pro respe-

ctu continentiæ : quia impossibile est accidens manere destructo eius subiecto) corrumpitur enim in rei veritate ; tamen locus pro formali, scilicet respectus continentiæ non mouetur localiter : quia illa ratio loci succedens, quæ est alia à præcedenti secundum veritatem, est eadem secundum æquiualentiam quantùm ad motum localem propter indistantiam. Vnde licet succedat alius & alius respectus continentiæ propter diuersitatem superficierum sibi inuicem succedentium ; nihilominus quia inter illos respectus non est distantia aliqua, idcirco manet idem locus æquiualenter:quia locatum quæ est turris tam manet immota, quàm si mansisset idem respectus continentiæ formaliter. Vnde in forma dist.sequel. posset mutare locum, sumendo alium locum numero distinctum sed tamen æquiualentem illi & non distantem localiter ab illo concedo, sumendo alium locum distantem localiter à priori loco & propterea non æquiualentem illi nego sequelam;& conformiter ad hoc dist. mi. & nego conseq. Apponit exemplum Scotus in hac voce *Homo* sæpe repetita,quã dicimus eamdem, non quia re vera eadem repetatur, sed quia æquiualenter est eadem, cum eumdem præstet effectum idem prorsus significantem.

QVÆSTIO II.

Quænam res sint in loco, & an aliqua creatura possit esse sine vlla vbicatione?

NOtandũ *Primo*,duobus modis posse aliquid esse in loco, *diffinitiue* scilicet & *circumscriptiue*.Esse in loco *diffinitiue* est ita determinari ad esse in hoc loco,vt locus & locatum non commẽsurentur:idest partes loci non correspondeant partibus locati, sed quasi modo indiuisibili totum sit in toto loco & totũ in singulis partibus.Esse in loco *circumscriptiue* est non quomodocũque esse hic, sed cum extensione partium locati & commensuratione ipsarum cũ partibus loci,ita vt totum locatum sit in toto loco, & pars locati in parte loci.

Notandum *Secundo*,res de quibus dubitari potest,an sint in loco?esse in duplici differentia, quasdam spirituales & non affectas quantitate:vt sunt Deus, Angeli & Anima rationalis separata à corpore ; alias vero corporeas & affectas quantitate, vt sunt corpora cælestia & sublunaria.

5. Sit *Prima* conclusio, *Deus neque est in loco diffinitiue neque circũscriptiue*. Est certa secundum fidem : quia Deus est immensus & consequenter à nullo loco diffiniri aut circũscribi potest. Vnde D.August.ait: *Deum esse vbiq; sine loco.*

6. Secunda conclusio, *Angeli & animæ rationales non sunt in loco circumscriptiue, sed diffinitiue*. Est similiter certa & probatur:quia Angeli & animæ rationales sunt substantiæ simplices,indiuisibiles & incorporeæ ; sed quæ sunt circumscriptiue in loco,necessario sunt corporea, extensa & diuisibilia, ergo Angeli & animæ rationales nõ sunt in loco circumscriptiue. Sunt tamen diffinitiue:quia sunt taliter præsentes loco, eique coexistentes, vt quamdiu ibi adsunt, alibi adesse nequeant.

7. Tertia conclusio, *Res corporales dum affectæ sunt quantitate, omnes tam cælestes quam sublunares sunt in loco circumscriptiue*.Probatur quia omnia corpora præter vltimam sphæram ita sunt disposita à Deo,vt vnum circumscribatur ab vltima superficie alterius, quod est esse in loco circumscriptiue.Declaratur hoc: terra quæ crassior est omnibus elementis, & ideo tenet infimum locum, circumscribitur ab vltima

super

superficie concaua aquæ; Aqua quæ crassior est aere & igne, tenet secundum locum & circumscribitur ab vltima superficie concaua aëris, & aër circumscribitur ab vltima superficie ignis, & ignis ab vltima superficie concaua sphæræ lunæ, & sphæra lunæ à superficie concaua sphæræ secundæ & sic proportionabiliter vsque ad vltimam sphæram, quæ à nulla alia circumscribitur, & propterea non est in loco circumscriptiue, quantum ad locari, vt inquit Scotus, bene tamen quantum ad locare. Continet enim & ambit in sua superficie concaua penultimam sphæram, quæ est Saturni; at quia eius superficies conuexa à nulla alia sphæra circumscribitur, ideo nō est in loco circumscriptiue.

Notanter dixi in conclusione, res corporales esse in loco circumscriptiue *Dum sunt affectæ quantitate*: quia sicut à quantitate habent partes extensas in ordine ad locum, ita ab illa habebunt, quod commensurentur loco, & consequenter quod sint in illo circumscriptiue. Vnde si per potentiam Dei absolutam substantia (Et idem dico de aliis accidentibus materialibus vt sunt qualitates) separaretur à quantitate, & sine illa conseruaretur in rerum natura, non esset in loco circumscriptiue, sed solum diffinitiue; Tunc autem quælibet pars substantialis Physica & quodlibet accidens absolutum separabilia à se inuicem, haberet suam propriam præsentiam in loco. De quo videndus noster Poncius hic à n.36.

8. Quarta conclusio. *Potest Deus creare rem aliquam absque vlla præsentia aut vbi.* Est conformis principiis Scoti asserentis, vbi esse relationem extrinsecus aduenientem. Tenet eam Poncius hic num. 22. & pro ea citat Vasquez & Moncæum. Probatur *Primo*: Quia si Deus crearet solum Angelum in rerum natura, non appareret ad quid deseruiret ipsi aliquod vbi seu præsentia, nec posset explicari effectus formalis quem præstaret Angelo; Nec etiam posset assignari ratio vlla, ob quam Angelus deberet habere vllum vbi: non enim quia necessario haberet suum esse in aliqua parte spatij imaginarij: nam cum spatium imaginarium non sit aliquid reale, sed quid fictum, absurdum est dicere, quod aliquid debeat habere necessario præsentiam realem ad aliquid fictum.

Probatur *Secundo*, quia quodcumque vbi siue quid absolutum sit, siue respectiuum, est posterius re vbicata, & producibile per actionem realiter distinctam ab actione, per quam producitur res, quæ vbicatur, ergo potest res vbicata produci absque vllo vbi. Antecedens conceditur communiter & consequentia probatur axiomate celebri Scoti. Quod omne prius realiter distinctum à posteriori & producibile per actionem realiter distinctam ab actione qua producitur posterius, possit produci ac conseruari absque posteriori. Et ratio est *Primo*: quia alias non esset prius, quia dependeret in suo esse reali à posteriori: quandoquidem non posset habere suum esse absque posteriori. *Secundo*: quia non potest assignari, cur prius tale haberet tam necessariam connexionem cum posteriori tali, vt non posset esse absque ipso. Quod maxime locum habet quando prius est quid absolutum, & non est actualis relatio habens posterius pro termino.

Quod si dicas, partes substantiales vnitas esse priores toto composito, & tamen non posse esse absque ipso. Resp. iuxta dicta disp. 1. num. 91. partes vnitas dicere vnionem, quæ est causalitas, qua mediante partes causant totum; propterea non sunt priores prioritate

prioritate *in quo* quam totum, sed prioritate *à quo*; atque adeo cum non causentur per diuersam actionem ab actione, qua ipsum totum producitur est enim eadem omnino causalitas, qua partes vniuntur & totum ponitur, non mirum est, non posse esse sine ipso, licet alias sint aliquo modo priores illo. Et ex hoc etiam conuincitur, non posse dari in rerum natura duo alba sine relatione similitudinis, licet hæc posterior sit ipsis: quia non est diuersa sed eadem omnino actio, quâ alba producuntur & relatio in ipsis ponitur.

Instabis, saltem linea extensa quid prius est, quam curuitas aut rectitudo, sicut & etiam corpus extensum quam figura vlla; sed tamen nec linea extensa potest esse absque curuitate aut rectitudine, nec corpus extensum absque figura aliqua, ergo prædictum axioma non est tam vniuersaliter verum ℞. dist. ma. sunt priora eo modo, quo gradus superior est prior gradu inferiori concedo. ma. sunt priora eo modo, quo aliquid singulare realiter distinctum ab alio singulari est prius illo nego. ma. & concess. mi. nego conseq. Nam axioma Scoti procedit de rebus singularibus distinctis realiter, de quibus existimo esse vniuersaliter verum, nec vllam pati exceptionem.

10. Obiicies cum Arriaga hic oppositum opinante: Nulla res potest produci, quin habeat aliquam durationem, ergo nec potest produci res aliqua, quin habeat aliquod vbi, consequentia apparet euidens ex omnimoda paritate rationis. ℞. dist. anteced. si sermo sit de duratione, à qua res haberet esse tali vel tali tempore neg. anteced. nam si solus Angelus produceretur à Deo non esset productus in vllo tempore, proprie loquendo, nisi in hoc sensu quod non esset productus ab æterno, aut sic quin aliqua creatura posset antecedenter produci, & aliæ postea & aliæ simul. Et in hoc sensu intelligendus est mundus ipse esse productus in tempore. In quo etiam eodem sensu potest dici, quod quidquid producitur, ita producatur vt possit aliquid aliud produci in tanta vel tanta distantia ad illud, quod non est contra nos; siquidem hoc non est proprie habere præsentiam. Si autem sermo sit de duratione, à qua habet res durare tanto vel tanto tempore: hoc est taliter, vt si existeret tempus reale, quando producebatur, deberet coexistere in instanti eius, aut tantæ vel tantæ parti eius conced. anteced. & neg. conseq. Et ratio disparitatis est, quod duratio rei non distinguitur à re & actione, per quam producitur. Quare res durans non est prior quoad existentiam realem, quam duratio, vt manifestum est; Res autem quæ vbicatur, prior est quam vbicatio, vnde non est eadem ratio de illis quantum ad hoc.

QVÆSTIO III.

Vtrum duo corpora possint esse simul in eodem loco?

QVæstio procedit de corporibus quantitatiue extensis. Et de his certum est apud omnes non posse naturaliter seu de potentia ordinaria penetrari & esse simul in vno & eodem loco. Quod & patet experientia & probatur ratione desūpta ex doctrina Scoti 4. d. 49. q. 16. n. 6. quia etiamsi actualis repletio seu occupatio loci nō sit effectus primarius quātitatis, ac per consequens optime possit quātitas per potentiā Dei absolutā ab eo absolui, sicut de facto absoluitur quantitas Corporis

Christi

Christi Dñi in Eucharistia; est nihilominus effectus secundarius, sicut & est caloris actualiter calefacere, & ideo naturaliter non potest existere sine illo, sicut neque calor existere naturaliter, quin actu calefaciat. Quod si naturaliter non potest esse corpus quantum in loco, quin actualiter illum repleat, implicabit sane duo corpora quantitatiue extensa esse naturaliter in eodem loco. Probatur assumptum: quia quod idem numero locus repleatur à duabus quantitatibus eiusdem rationis seu dimensionis, quarum quælibet adæquate & totaliter repleat, est manifesta implicatio, non secus ac est quod idem numero effectus producatur à duabus causis totalibus & adæquatis simul: iuxta dicta superius disp. 2. q. 17. vide etiam quæ diximus disp. 1. num. 69. Est ergo dubium vtrum hæc simultas duorum corporum in vno loco sit possibilis saltem per potentiam Dei absolutam?

11. Sit conclusio: *Possibile est per potentiam Dei absolutam duo corpora penetrari & esse simul in vno & eodem loco.* Habet Scotus supra cum suis & communiter Thomistæ contra Durandum. Probatur *primo* ex sacr. litter. vbi habetur quod Christus Dominus in natiuitate egressus est ex vtero virginali, clauso & integro permanent. Et quod in resurrectione clauso, sepulchro egressus est ex illo, & postea ianuis clausis ingressus est ad discipulos; & tandem quod penetrauit Cœlos, idest ascenderit ad ipsos sine diuisione eorum. Quæ omnia saluari non possunt, nisi admittendo vt possibilem per potentiam Dei penetrationem & simultatem duorum corporum in eodem loco.

Probatur etiam ratione à priori: quia habere partes extensas in ordine ad locum actualiter & ita vt actu occupent & repleant diuersas partes loci, non est de essentia quantitatis (nam vt in Metaph. dicemus, solum est de essentia eius habere partes, ita extensas, quod naturaliter exigant expellere se inuicem ab eodem loco) ergo poterit Deus per omnipotenciam suam conseruare aliquod corpus quantum sine extensione actuali partium in ordine ad locum; tunc sic nulla est repugnantia quod duo corpora affecta quantitate sint in eodem loco simul, si vnum non habeat partes extensas localiter actualiter, idest si vnum ex eis non occupet locum: vt videre est in Sacramento Eucharistiæ, vbi duæ quantitates scilicet quantitas panis & quantitas Corporis Christi Domini sunt in eodem loco simul hoc pacto, ergo possibile est duo corpora quanta penetrari & esse simul in eodem loco, dummodo vnum ex eis non repleat aut occupet. Quod & fieri potest à Deo, & non impedit ad saluandum corpus illud esse quantum.

12. Nec ad hoc necesse est, tolli à corpore quantitatem, vt minus bene infert contra hunc modum dicendi noster Francisc. Felix tractat. de Beatitudine cap. 6. diff. 5. num. 3. Nec etiam possibilis est prædicta simultas corporū in vno loco, si vtrumque repleat illum & facit extendi, & reddi à se inuicem distantia latera eius. Quod & patet exemplo præsentiæ Corporis Christi Domini in Eucharistia ab omnibus authoribus & ipsomet Felix ad hoc probandum adducto, vti ex se manifestum est, Corpus Christi Domini non esse extensum & commensuratum loco, atque adeo nec replens ipsum, propterea non habet ibi præsentiam circumscriptiuam.

Quod si obiicias Scotum quodlib. 11. num. 15. vbi expresse habet oppositum, & probat: nam si vnum

corpus auferatur ab illo loco, & alterum remaneat, occupabit circumscriptiue locum; sed modo nihil habet quod antea non habuisset, ergo antea occupabat locũ, & erat in illo circumscriptiue. ℞. Scotum ibi non loqui ex propria mente, sed disputationis gratia: Quod & patet ex modo loquendi *potest dici*, & quia hoc valde indirecte pertinebat ad intentum principale quæstionis: cuius titulus est: Vtrum Deus posset conseruare corpus sine vllo vbi? Non sic autem 4. à nobis citato, vbi ex propria mente loquitur, quia & assertiue procedit, & directe ad solutionem quæstionis propositæ. Ad rationem adductam. ℞. Corpus quod remaneret, repleturum locum, etiamsi antea non repleuisset, Deo præbente concursum, quem antea suspenderat, ne corpus hoc haberet effectum suum scilicet repletionem loci. Vnde concess. ma. neg. mi. quia haberet hunc talem effectum, & ex hoc *vbi* nonum circumscriptiuum quod antea non habebat.

13. Ex quo infero contra Poncium hic num. 48. nec etiam tanquam à causis partialibus repleri à duobus corporibus simul illum locum: nam vltra quod falsissimum esset dicere partem loci, quem occupat quantitas panis Eucharistici occupari à corpore Christi Domini; sicut ablato vno corpore, alterum quod remanet, deberet ad totum locum se solo occupandum amplius (vt ita dicam se extendere, & ad hoc indigeret nouo concursu Dei, quo ad replendum totum locum adæquate cum ipso concurreret, ita conuenientius videtur dicendum, corpus quod prius accedit, totum locum adæquate repleturum, altero nihil eius replente propter suspensionem concursus Dei ad hoc necessariam; vel si vtrumque simul accedit, determinandum à Deo, quod esset repleturum totaliter; nisi velit dicere vtrumque simul adæquate repleturum, quod implicat, vt diximus.

QVÆSTIO IV.

Vtrum idem corpus possit esse simul in duobus locis?

CErtum est & experientia, & communi omnium consensu non posse vnum corpus esse naturaliter in duobus locis simul nec circumscriptiue, nec definitiue. Ideo quæstio est, vtrum hoc sit possibile supernaturaliter & de potentia absoluta? Vbi etiam supponendum est vt certum de fide, vnum corpus posse esse in pluribus locis, ita vt in vno sit circumscriptiue & in alio definitiue aut sacramentaliter; ac ita etiam vt in pluribus locis sit definitiue, vt patet in mysterio Eucharistiæ: nam Corpus Christi Domini dum est circumscriptiue in Cœlo, est sacramentaliter vt in pluribus locis, qui modus solum differt à modo essendi in loco definitiue: quia id quod est in loco definitiue & dicit negationem commensurationis & etiam negationem essendi in alio loco naturaliter ex vi talis modi essendi. Quod non conuenit Corpori Christi Domini existenti in Eucharistia. Est igitur difficultas: An idem corpus possit esse supernaturaliter in pluribus locis circumscriptiue, idest cum correspondentia partium sui ad partes cuiuslibet ex illis locis?

14. Si nostra conclusio: ***Possibile est de potentia absoluta Dei, quod vnum numero corpus sit simul præsens circumscriptiue in duobus vel pluribus locis.*** Ita habet Scotus 4. dist. 10.

quæst. 2.

quæst. 2. Sequuntur discipuli & extra eius scholam fere omnes Iesuitæ contra Thomistas communiter Capreolum & alios. Probatur *Primo* conclusio ex eo quod magis congrua sit veritati fidei de mysterio Eucharistiæ. Quod non videtur defendi posse, si negetur posse idem corpus collocari à Deo circumscriptiue in duobus locis: nam vt videbimus in decursu Quæstionis eadem difficultas est de *vbi* definitiuo ac de circumscriptiuo: Hæretici enim ad impugnandam veritatem Catholicæ fidei de existentia reali corporis Christi Domini sub speciebus panis eadẽ arma sumunt, quibus Thomistæ vtuntur contra nostram conclusionem. Et confirmatur etiam multis historijs Ecclesiasticis fide dignissimis, in quibus narratur de multis sanctis exstitisse simul in eadẽ figura & extensione in duobus locis; vt in Breuiario Romano legitur de S. Ambrosio, quòd simul fuerit Mediolani & adfuerit funeri S. Martini in Ciuitate Turonensi; de nostro Antonio Paduano, quod simul in pulpito exstiterit concionans, & in Choro lectionem cantans.

Probatur *Secundo*, Ad existendum idem corpus in duobus locis, si aliqua est difficultas, in eo præcipue reperit intellectus, quod cum corpus locatum intra terminos huius superficiei claudatur, & tota quantitas eius circumscribatur & quasi comprehendatur ab ea, non videtur possibile, quòd extra illam existat, & alibi sit simul præsens; Sed fides docet corpus Christi Domini in Cœlo existere circũscriptiue & quasi clausum intra terminos vltimæ superficiei ipsum continentis, & nihilominus vagari & existere extra illam, esseque simul præsens alibi scilicet in Eucharistia, ergo fallitur intellectus, quando in hoc iudicat repugnantiam & impossibilitatem; Et in hoc (inquit Scotus) decipiuntur contrarij, qui sequentes imaginationem & non rationem hoc iudicant impossibile.

15 Quod si dicas, esse diuersam rationem de existentia corporis Christi Domini in duobus locis, in vno circumscriptiue & in alio definitiue, ac de existentia corporis in duobus locis, de qua nostra conclusiò, scilicet in vtroque circumscriptiue ℞. ad hoc (& sit secunda ratio desumpta ex Scoto pro conclusione) quia magis connaturale est & debitum corpori Christi Domini existere in loco circumscriptiue: cum quid, quantum, & diuisibile sit, quàm existere in loco sine extensione & modo indiuisibili, ergo si non repugnat esse simul in pluribus locis, in vno circumscriptiue, & in aliis modo indiuisibili, minus profectò repugnabit, esse in pluribus circumscriptiue. Probatur consequentia: quia in faciendo primum duplex difficultas apparet, & propterea duplex requiritur miraculum, vnum ad ponendum corpus in pluribus locis & aliud ad ponendum ipsum modo præternaturali scilicet sine extensione, ergo Deus qui facit primum, poterit & facere secundum.

Vltimò probatur conclusio ratione, quæ principalissima solet esse in huiusmodi Quæstionibus: Maxima certissima est, esse Deo possibile quod non includit contradictionem & ad quod non sequitur necessario contradictio; Sed hoc est huiusmodi, vt patebit soluendo argumenta, ergo &c.

16. Obiicies *primo* si idem corpus esset simul in duobus locis circumscriptiue, simul esset & non esset extra quemlibet illorũ, quod repugnat, esset quidem, quia ita supponitur; non esset, quia esse circumscriptiue in hoc loco est non esse in alio. Et confirmatur

Primo, nam de ratione loci circumscriptiui est, quòd vndequaque circumscribat & comprehendat locatum, & quod sit adæquatus ipsi, ergo implicat quod ab eo comprehensum sit extra illum: alias locus ille esset & non esset adæquatus. Confirmatur *Secundo*, quia non vtcumque continet locus locatum, sed tanquam terminus; sed id quod continetur in alio tanquam in termino, nequit esse extra illud, ergo &c. ma. patet ex definitione loci tradita à Philosopho, quod sit terminus seu extremitas corporis continentis mi. autem probatur: tum quia extremum seu terminus definitur ab eodem Philosopho, esse id extra quod nihil rei possumus vsurpare, tum quia terminus motus est id extra quod nihil datur motus: ℞. quòd si argumentum valet, pugnat etiam contra veritatem catholicam Eucharisticam: nam corpus Christi Domini in cœlo est circumscriptiue, ergo non potest esse in alio simul, si vera est propositio aduersariorum: quia esse circumscriptiue in vno secundum ipsos, dicit non esse in alio.

Ad *Primam* confirmationem dist. anteced. quòd circumscribat & comprehendat & sit adæquatus in quantum ad hoc, quòd totum locatum quoad omnes suas partes intra se contineat & quod superficies extrema locati habeat proportionem cum superficie concaua corporis locantis conced. ante. in quantum ad hoc quod nihil locati aut totum locatum sit etiam extra illum locum, manendo tamen intra illum neg. anteced. & conseq. & dist. eius probationem: esset & non esset adæquatus sumendo adæquationem vniformiter nego: difformiter, transeat. Itaque locus circumscriptiuus potest dici esse adæquatus dupliciter, *Primo* in hoc sensu tantum, vt sufficiat ad continendum totum locatum, nec possit aliquid vlterius continere absque penetratione & in hoc sensu esset adæquatus corpori quamvis corpus esset in alio loco; sed tunc non ideo etiam esset indæquatus. *Secundo* potest dici adæquatus, idest quod sit talis; vt in eo solum possit poni corpus, cui dicitur adæquatus, & in hoc sensu non esset adæquatus, si corpus posset poni in alio loco: attamen falsum est locum circumscriptiuum debere esse adæquatum locato in hoc sensu, nisi quis velit facere quæstionem de nomine, quod dum agitur de quæstione verè reali, friuolum esset & nimis voluntarium.

Ad *Secundam* confirmationem ℞. dist. ma. tanquam à termino sic, quod nulla pars ipsius sit extra illum vlla ratione, ita quod hoc esset de ratione formali loci continentis locatum cum proportione partis ad partem nego ma. sic quod nulla pars locati sit, quæ non sit intra illum nec etiã extra illum absque replicatione concedo ma. & neg. mi. & conseq. Ad probat. ma. dico, definitionem loci debere intelligi de termino, idest includente locatum totaliter, ita vt nihil ipsius sit extra quod non sit intra: vnde ad probat. mi. dico, extremum dici esse id vltra quod nihil est, quod non sit intra. Ad alteram probat. eiusdem mi. ℞. non esse eamdem rationem de termino motus, ac de termino locati: quia motus cum sit successiuus nequit existere post terminum suum, vnde nec extra seu post terminum eius aliquid ipsius potest existere; res autem locata existit sic vt possit poni in alio loco extra locum primum, quod si motus posset existere post terminum suum, aliquid ipsius posset reperiri post terminum, nec destrueretur per hoc ratio termini, quia sufficeret ad hoc, quòd totum

motum

motum clauderet, quamuis rursus idem motus inciperet de nouo, & clauderetur alio termino.

Confirmatur tota responsio: quia corpus Christi Domini continetur à loco suo in Cœlo tanquam à termino & extremo circumscribente, & tamen reperitur in alio loco, nimirum in Eucharistia, ergo falsum est quod locus circumscriptiuus contineat tanquam terminus, extra quem non sit res locata. Quod si dicas, locum circumscriptiuum non continere tãquam terminum vltra vel extra quem res non sit vllo modo, sed extra quem non sit circumscriptiue seu cum proportione partis ad partem. Contra, quia vltra quod hæc solutio est voluntaria, cuius rationem nunquam reddunt aduersarij, si ex eo quod corpus sit totaliter circumscriptiue, hoc est cum proportione partis ad partem, non sequitur quin possit esse in alio loco definitiue seu sine tali proportione; profecto non sequitur, quod non possit esse extra illum locum cum tali proportione, imo vt dixi in probatione conclusionis, facilius esset ponere ipsum extra cum tali proportione. Igitur esse in loco circumscriptiue non negat corpus esse alibi vllo modo nisi ratione eius vbi: id est illud corpus non per vnicum sed per duo vbi existeret in eis locis.

Obiicies *Secundo*, si posset poni vnum corpus in duobus locis circumscriptiue, ergo & vbique & in infinitis locis si darentur, quod est falsum alias esset immensum, quod soli Deo competit. ℞. *Primo* retorquendo argumentum contra aduersarios, qui saltem fatentur, posse esse definitiue idem corpus de potentia absoluta in pluribus locis, ergo & vbique & in infinitis si darentur. Quid autem magis repugnat esse vbique circumscriptiue, quam definitiue? ℞. *Secundo* conced. sequelam, neque ex illa sequitur, tale corpus fore immensum: quia vt Respondet Scotus, esse immensum quod est attributum Dei, non solum est esse vbique, sed esse vbique per essentiam id est necessario, & id postulante natura eius quod taliter est vbique, qualiter non esset corpus positum a Deo. Quod si adhuc illo modo esset inconueniens admittere, corpus posse poni vbique. Resp. *Tertio* neg. sequelam: nam quamuis possit poni in pluribus locis, non tamen vbique aut in infinitis, sed restringi deberet ad aliquem determinatum numerum locorum propter limitationem & finitatem suam: sicut quamuis intellectus possit plura intelligere simul, non tamen infinita propter suam limitationem.

17. Obiicies *Tertio* Effectus formalis nequit crescere aut multiplicari, nisi multiplicetur forma, à qua oritur: v. g. non potest quis esse magis calidus nisi cum maiori calore; sed extensio in loco est effectus formalis quantitatis, ergo nequit, multiplicari nisi multiplicetur quantitas, atque adeo neque esse in duobus locis cum duplici extensione, si vnicam solum habeat quantitatem. ℞. *Primo* concess. ma. neg. mi. loquendo de effectu formali primario, de quo vt argumentum vim habeat, debet procedere. Et sic recte potest quantitas esse in corpore sine extensione actuali: vt patet in quantitate corporis Christi Domini existentis in Eucharistia. Igitur oritur formaliter extensio actualis ab vbicationibus, vnde si vbicationes multiplicentur, recte poterit corpus idem poni in pluribus locis cum pluribus extensionibus actualibus Resp. *Secundo* neg. ma. nam ab eadem numero anima rationali de facto naturaliter constituitur caput animatum formaliter & pes animatus &

& reliquæ partes viuentes; nec est idem effectus formalis quem tribuit capiti & pedi, supposito quod effectus formalis distinguatur à forma: non enim est idem formaliter caput esse animatum & pedem esse animatum, sed sunt distincti effectus formales etiam realiter: cum bene possit stare quod caput sit animatum & pes non sit animatus, ergo distincti effectus formales possunt prouenire ab eadē forma indiuisibili. Quare vniuersaliter loquendo, quando eadem causa formalis potest communicari diuersis subiectis, potest ipsis tribuere diuersos effectus formales absque multiplicatione sui.

18. Obiicies *Quarto* cum Ioanne à S. Thoma: sequeretur quod corpus quantum esset diuisum à se & non diuisum, quod implicat. Probatur sequela: nam illud corpus positum circumscriptiue in duobus locis haberet duplicem superficiem terminātem, ita vt si sibi ipsis simul accederent, aut si poneretur corpus in duobus locis immediate coniunctis, tangerent se inuicem, non secus ac tangunt diuersa loca, in quibus poneretur illud corpus; sed illa dicuntur tangere se quorum extrema sunt simul, ergo deberet habere duplicem superficiem, qua se inuicem tangerent, & consequenter diuideretur eius quantitas. Et confirmatur, tunc quantitas diuiditur, quando inter hanc & hanc quantitatem interponitur alia quantitas seu aliud corpus quantum inter medium, quod non continuatur cum illa quantitate; sed inter corpus existens *Legione* & corpus existens *Vallisoleti* intercedunt aliæ quantitates non continuatæ, ergo talis corporis quantitas diuideretur.

℞. neg. sequel. cum sua probatione: nam sicut corpus in diuersis locis esset idem, ita etiam & quantitas esset eadem atque adeo vnica & non duplex superficies terminans. Nec etiam deberet dici, tunc duas superficies aut tangere se aut tangere duo loca, in quibus ponerentur: quia non sunt duæ, sed vna quæ tangeret illa duo loca. Et illa vna quantitas si replicaretur in loco proximo non tangeret se ipsam: quia tactus est inter realiter distincta; verumtamen est appar itura sensui, tanquam si essent duæ superficies tangentes se: quia quantum ad sensum eodem modo se haberet illud corpus replicatum in illis duobus locis, ac si essent duæ quantitates in illis. Quod si nihil aliud intendat iste author per tactum quantitatis, quam quod quantitas existens in vno loco sit etiam in alio loco contiguo, concedo quantitatem existentem in duobus locis contiguis, vt est in vno loco ex illis, tangere se ipsum vt est in alio loco: Ad confirmat. dist. ma. Quando inter hanc & hanc id est aliam distinctam interponitur alia quantitas aut corpus ab vtraque distinctum, concedo ma. Quod vere non accidit in nostro casu. Quando inter hanc & hanc, quæ non est alia, sed eadem replicata, interponitur alia quantitas distincta & discontinuata, neg. ma. Et ita accidit in nostro casu. Vnde concess. mi. neg. conseq.

19. Confirmatur tota responsio. Nam de facto inter quantitatem corporis Christi Dn̄i existentis in hoc altari & eamdem existentem in alio altari interponitur alia quantitas discontinuata ab illis, & tamen non debet dici, discontinuari aut diuidi propterea. Item vt existens sub vna hostia potest esse in loco contiguo sibi ipsi, quatenus existit in alia, & tamen nequit dici tangere se ipsum, ergo neque tale quid idem debet dici de corpore existente in duobus locis circum

circumscriptiue. Nec obstat quod hoc existat diuisibiliter, corpus vero Christi indiuisibiliter: nam si nihil aliud requiratur ad tactum, quàm quod ponatur in locis contiguis, & ad diuisionem quàm quod ponatur in separatis, & quod alia quantitas ponatur in locis intermediis, profecto quantitas Corporis Christi Domini posset dici tangere se & diuidi; vel si aliquid aliud requiratur ad vtrumque, ergo iam eadem quantitas posita circumscriptiue in locis contiguis, aut in separatis. Interposita etiam alia, ex his præcise non debet dici, tangere se, neque diuidi, ergo quantum ad vim præsentis argumenti eadem ratio est de corpore posito diuisibiliter ac indiuisibiliter in pluribus locis; nec huius disparitatis ratio videtur mihi vnquam assignanda.

Dubium,

Per quam actionem hoc fieret?

Inquires. Per quam actionem poneretur corpus in pluribus locis, an per adductiuam, quâ produceretur solummodo nouum *vbi* in ipso; An vero per actionem substantialem, per quam reproduceretur ipsamet substantia ante producta? Respond. Quod per actionem adductiuam: quia hæc sufficit & altera omnino esset superflua. Imo verisimilius iudico esse impossibilem: nam ex suppositione quod res sit semel producta, non potest nisi destruatur, iterum reproduci; sicut nec pro eodem instanti bis reproduci, propter principia illa, ex quibus sequitur, quod non potest idem effectus dependere à pluribus causis totalibus. Resolutio hæc est contra Coninck tom. de Sacram. cuius fundamentum & rationem optime confutat noster Poncius hic num. 79.

20. Obiicies *quinto*, Sequi plures contradictiones ex nostra conclusione: sequeretur enim eumdem hominem posse simul moueri hic & quiescere ibi; hic stare, sedere ibi; calefieri & frigefieri; loqui & tacere; esurire & esse saturatum; infirmum & sanum; item viuere & mori; peccare & placere Deo, &c. Resp. Ad hæc vltima inconuenientia, eamdem esse difficultatem in præsentiis definitiuis: Si enim humanitas Christi Domini existens in pluribus speciebus sacramentalibus careret summâ gratiâ & fruitione Beatifica, etiam posset in vno loco recte operari, & in alio peccare, si id posset cum duplici præsentia circumscriptiua: nam ad huiusmodi actiones per accidens se habet existere in loco circumscriptiue vel definitiue.

Pro solutione horum omnium inconuenientium apponit Scotus vbi supra tres regulas, ad quarum elucidationem prænotandum est, accidentia, in quorum prædicatione dicunt contrarij, verificari contradictoria de corpore existente in duobus locis, esse in duplici differentia: nam quædam dicunt ordinem ad locum seu vbi: vt sedere, stare, ambulare, percuti, calefieri, frigefieri, &c. Alia sunt quæ nullum dicunt ordinem ad locum, quæ propterea absoluta omnino vocantur, licet produci possint per motum in loco factum: vt qualitates & quantitates: verb. gr. color, cicatrix, mors, vita, scientia, ignorantia, &c. Et rursus hæc vltima accidentia adhuc sunt in duplici differentia: nam quædam sunt in corpore antequam à Deo ponatur in diuersis locis; quædam vero accidunt ei iam in diuersis locis constituto: His præmissis,

21. Dico *primo* iuxta primam regulam Scoti: *Quæcumque sunt priora essentialiter ipso vbi, &c.* Quod accidentia omnia absoluta & quæ conueniunt corporibus absque vllo ordine ad lo-

cum: vt esse album, esse calidum, &c. Si conueniunt ei in vno loco,& per potentiam Dei collocatur simul in alio, per eandem potentiam Dei sequuntur ipsum corpus & ponuntur etiam in duobus locis, non nouo miraculo, sed ex vi illius prioris,quo corpus seu subiectum illorum in duobus locis simul collocatur. Est fere communis inter authores nostræ sententiæ, vno vel altero excepto. Et probatur, quia hæc accidentia naturaliter insunt corpori & independenter à loco, ergo si per potentiam Dei ponatur ipsum corpus in alio loco, sequentur illud naturaliter & necessario: iuxta illud Aristotel. *Motis nobis, mouentur omnia quæ sunt in nobis.* Vnde Concilium Trident. sess. 13. c. 4. docet cum corpore Christi Domini in Eucharistia esse animam eius & similiter Diuinitatem, non ex vi verborum, quibus consecratur Hostia & adducitur ibi Corpus Christi: cum per ea non significetur esse ibi animam nec Diuinitatem; sed per necessariam concomitantiam: quia eidem corpori in Cœlo existenti verè & realiter sunt vnita. Item omnes Theologi idem fatentur de quantitate & ceteris accidentibus absolutis, quæ in Cœlo habet.

22. Dices cum Arriaga hic n. 147. vbi videtur asserere contrarium posse contingere etiam naturaliter. Si aliqua in hoc repugnantia sequeretur, maxime idem corpus habere & non habere ea accidentia; sed hoc non sequitur, ergo. Probatur mi. quia vt dicatur non habere, requiritur, vt nullibi habeat: sicut vt dicatur absolute anima non habere intellectionem, non sufficit illam non habere in pede, sed requiritur vt nullibi habeat, ergo non sequuntur illa contradictoria. Resp. Ad hoc vt verificetur de tali corpore non habere accidentia absoluta & independentia à loco non requiri, vt nullibi habeat: quia non insunt aut sequuntur corpus cum ordine ad locum, & absoluuntur ab hoc, quod est hic vel ibi inesse corpori. Ad exemplum dico, quod intellectio sicut intellectus & anima est in pede, licet ex modo loquendi non denominet nisi totum hominem, de quo in libr. de anima. semper ergo verificarentur contradictoria in prædicatione talium accidentium absolutorum: quia vni & eidem & secundum eandem rationem conuenirent.

23. Dices cum nostro Poncio n. 96. (qui existimat saltem de potentia absoluta hoc posse contingere) quod si subiectum habeat formam in vllo loco, quamuis non habeat illam in alio loco, absolute & simpliciter debet dici de illo quod habeat illam, quamuis possit dici de ipso, quod non habeat illam in tali loco; habere autem formam absolute & simpliciter, & non habere illam in aliquo particulari loco, non est contradictio. Sed contra: quia cum huiusmodi accidentia conueniant corpori sine vllo prorsus ordine aut connexione cum loco, debent prædicari de ipso specificatiue sumpto, non autem reduplicatiue provt in loco;atque adeo omnino disparate se habet hæc reduplicatio quantum ad verificationem prædicationis. Vnde cum de corpore specificatiue sumpto debeat verificari vel non verificari prædicatio istorum accidentium, dum in posteriori loco non habet illa, de ipso absolute & simpliciter verificaretur non habere, ergo esset directa contradictio. Quod expresse docet Scotus loco citato & quæst. 4. num. 10. & 11. Nec nisi violenter potest in alio sensu explicari: nam ibi docet necessario verificanda contradictoria: *Nec oportere addere*

addere ad idem: ideſt quod non eſt neceſſe reſpicere eumdem locum, atque adeo nec poni reduplicationem *provt in hoc vel illo loco*, quæ certe omnino impertinenter ſe habet quantum ad verificationem huiuſmodi prædicatorum. Nec etiam verum eſt dicere, hanc contradictionem debere intelligi in ordine ad potentiam ordinariam: nam compatibilitas contradictoriorum etiã de potentia abſoluta eſt impoſſibilis: non enim per vllam potentiam poteſt Deus facere, Petrum ſimul eſſe album & non eſſe album, ergo ſi aliquo accidenti abſoluto careret corpus in vno loco, quod in alio haberet, verificaretur de ipſo ſimul habere illud & non habere illud.

24. Nec refert, ſi dicas cum eodem Poncio (& hoc videtur principalius fundamentum eius) poſſe Deum ſuſpendere actionem, qua deberet producere *vbi* pro quolibet ex his accidentibus: cum ſint actiones realiter diſtinctæ & ſeparabiles, qua poneretur corpus alibi, & qua quodlibet accidens poneretur, ex quo licet corpus poneretur in diuerſis locis, non tamen neceſſe eſſet poni quodlibet accidens eius etiam abſolutum; non (inquam) refert: quia ratio hæc aſſumit falſum, ſupponens eſſe diuerſas vbicationes, quæ correſponderent corpori & eius accidentibus, atque adeo ſeparabiles eſſe: nam eſſet vnica tantum, ſicut vna eſſet etiam ſuperficies totalis ambiens totum corpus & accidentia illi inhærentia; nec ſeparabilis eſt pars eius à parte: alias ſeparabilis eſſet etiam pars ſuperficiei; tuncque ſicut pars totius iſtius aggregati circumſcripti videlicet accidens aliquod maneret ſine loco, ideſt non eſſet in illo poſteriori loco; nec etiam eſſet ibi pars aliqua ipſius corporis, quod eſt omnino falſum & contra ſuppoſitum diſputationis: ſicut ergo terminus ſeu effectus actionis Dei ponentis corpus quantum album, calidum &c. in poſteriori loco vnicus eſt, nempe *vbi* circumſcribens corpus & omnia eius accidentia, nec diuiſibilis in partes, vnica etiam eſt actio Dei ponentis illud *ibi*, atque adeo nec ſeparabilis eſt provt ponens vnum & provt ponens aliud, ex quo corruit totum fundamentum Poncij.

25. Dico *Secundo*, accidentia quæ conueniunt corpori cũ ordine ad locũ, non eſt neceſſe quod conueniant illi in vno loco & non in alio, imo quod conueniant illi in vno loco accidentia contraria eis, quæ conueniunt illi in alio: v. g. quod ſi *Legione* ambulet *Valliſoleti* ſedeat; & ſi *Legione* calefit, *Valliſoleti* frigeſiat. In hoc omnes conueniunt: Et ratio eſt facilis: quia ſicut in diuerſis locis habet idem corpus diuerſa *vbi*, ita & diuerſa accidentia, quæ dicunt ordinem ad vbi, habere poterit. Ex quo ſequitur non verificari contradictoria in prædicatione talium accidentium: quia conueniunt corpori non ſecundum eamdem, ſed ſecundum diuerſas rationes, videlicet ſecundum diuerſa vbi, quorum connexio neceſſario inuoluitur ad verificationem talium prædicatorum.

Ex his omnibus infero, quòd ſi poſito eodem corpore in duobus locis v. g. *Legione* & *Valliſoleti* applicaretur illi ſolum *Legione* & non *Valliſoleti* ignis à quo calefiat, licet actio calefactionis verſaretur circa hoc corpus *Legione* & non *Valliſoleti*, eo quod ſit accidens conueniens corpori cum ordine ad locum; tamen calor productus in corpore non ſolum inhæreret ei *Legione*, ſed etiam ex vi prioris miraculi inhæreret ei *Valliſoleti*. Et idem erit iudicium de augmentatione facta in corpore per intus-ſumptionem, caſu

quo reciperet alimentum in vno loco & non in alio. Et ratio huius doctrinæ est, quia cum calor productus per calefactionem, & similiter maior quantitas producta per augmentationem sint accidentia omnino absoluta & nullo modo pendeant à loco, & insuper corpus existens in duobus locis idem numero sit, ita implicat quod calor inhæreat in hoc loco & non in alio, ac implicat quòd idem numero calor inhæreat eidem numero corpori & non inhæreat; sed hoc implicat contradictionem, ergo & illud. Quare nec per potentiam Dei absolutam contingere potest, quod corpori existenti in hoc loco inhæreat calor vel aliquod aliud accidens absolutum & independens à loco, & quod eidem corpori existenti in alio loco non inhæreat.

26. Sed contra Argues cum Suarez: Agens naturale non habet virtutem ad agendum nisi intra sphæram suæ actiuitatis, ergo si corpori existenti *Legione* & *Vallisoleti* applicaretur ignis solum *Legione*, non posset virtute naturali producere calorem in illo corpore existente *Vallisoleti*: quia *Vallisoletum* est extra sphæram suæ actiuitatis: ℞. concess. anteced. neg. conseq. sed quia per miraculum corpus illud esset simul *Legione* & *Vallisoleti*, ita etiam virtute prioris miraculi fieret, vt calor productus ab igne *Legione* haberet etiam præsentiam localem *Vallisoleti*, sicut & habet corpus in quo producitur, non per nouum *vbi* distinctum, sicut nec noua superficie distincta ambiretur, sed per idemmet per quod corpus positum fuit ibi. Nec quadrabit hic ratio Scoti de multiplicatione relationum propter diuersos terminos; nam ratio hæc tenet solum de terminis totalibus, v. g. positis per actionem generatiuam: non enim generans dicit diuersam relationem ad caput, diuersam ad cor & diuersam ad pedem generati, licet & producantur prius caput & cor, quàm pes, & licet etiam existere possint destructo pede: vnde non sequitur quòd calor haberet illas duas præsentias ex propria virtute ignis producentis, sed ex suppositione & virtute prioris miraculi, quo Deus posuerat illud corpus in duobus locis.

27. Instabis *Secundo*, proponendo fundamentum aduersariorum videlicet: ad oppositionem contradictoriam non sufficit quòd oppositiones sint eiusdem de eodem, & quòd cæteras conditiones oppositionis obseruent; sed requiri etiam quod pro eodem loco conueniant eidem subiecto, sicut etiam requiritur quod ei conueniant pro eodem tempore: vnde Petrum dici album hic & ibi, non sunt prædicata contradictoria: quia non conueniunt ipsi provt in eodem loco. Sed contra sic argumentor: quia nullus dialecticus vnquam docuit, talem conditionem debere concurrere ad oppositionem contradictoriam, loquendo de prædicatis quæ conueniunt subiecto omnino absolute & sine habitudine vlla ad locum: sicut etiam constat non esse apponendam conditionem eiusdem temporis in propositionibus, quarum prædicata conueniunt subiectis sine dependentia à tempore, quales sunt illæ, in quibus prædicatum est de essentia subiecti vel propria passio.

Ex quo pro confirmatione nostræ assertionis sic argumentor in forma: istæ propositiones, Petrus est risibilis, Petrus non est risibilis sunt contradictoriæ etiamsi enuncietur risibilitas de Petro pro diuersis temporibus, non alia ratione nisi quia risibilitas conuenit Petro independẽter & sine habitudine

ad

ad tempus, ergo similiter istæ propositiones Petrus est albus, Petrus est niger, Petrus nõ est albus, non est niger erunt contradictoriæ etiamsi albedo enuncietur de Petro in diuersis locis, non alia ratione nisi quia albedo & alia huiusmodi accidentia conueniunt Petro independenter à loco.

Ex dictis collige: Quomodo respondeas ad prædicationes contradictorias, quas dicunt contrarij verificandas de corpore existente in diuersis locis: attende ergo ad significata terminorum, quos prædicant de corpore, & vide quomodo ei conueniant iuxta dicta. Et vlterius aduerte iuxta secundam regulam Scoti, eodem modo posse diuersa agentia agere in corpus applicatum ipsis in duobus locis, ac si applicaretur ipsis in eodem loco. Vnde sicut si ignis & nix applicarentur corpori in eodem loco, non possent ipsum frigefacere & calefacere in gradibus, in quibus calor & frigus sunt incompossibiles, sic nec si applicarentur ipsis in diuersis locis. Item & iuxta tertiam regulam, quod corpus positum in diuersis locis non haberet maiorem actiuitatem circa obiecta vel subiecta sibi applicata, quàm haberet, si applicarentur in eodem loco: quia diuersitas loci non auget virtutem ipsius. Lege attente Scotum q. 2. citata, vbi subtiliter, vt assolet, soluit & explicat apparentes difficultates, quæ militant contra nostram conclusionem.

QVÆSTIO V.

An detur, vel dabile sit vacuum in rerum natura?

NOtandum, vacuum dupliciter sumi posse, *Primo* improprie quod interminatum vocant & est spatium imaginarium non contentum intra aliquod corpus vel superficiem corporis, in quo tamen posset produci corpus. Et tale vacuum est quod imaginamur esse extra totum vniuersum. *Secundo* proprie, de quo hic est quæstio quod vocatur terminatum & definitur sic ex Aristot. *Est locus seu superficies non repleta corpore, apta tamen repleri.* Et tale esset vt si cogitemus in vase nullum contineri corpus, hoc est nec aquam, nec aerem, nec quidquam aliud, tunc interuallum illud quod modo occupat aqua vel aer, his abstractis, erit vacuum. De isto dubitatur, An possit esse in rerum natura id est intra concauum lunæ & hoc naturaliter? Nam supernaturaliter & per potentiam Dei absolutam certum est posse anihilari totum aerem contentum in vase & impediri, ne aliud corpus ad aliud spatium replendum confluat.

29. Sit conclusio: *Nec datur vacuum, nec ordo rerum naturalium permittit ipsum dari.* Ita communis schola Peripateticorum, & probatur à posteriori multis experientiis, quibus natura summe abhorrere vacuum ostenditur, suas inuertendo leges, ne vacuum contingat: Videmus enim si per fistulam, cuius vltimum orificium est contiguum aquæ, attrahatur aer, attrahi post illum aquam, quantumuis illa grauet, attrahi (inquam) ad replendum vacuum relictũ ab aere. Item si latera follium constricta sint, & nulla sit pars, qua ingrediatur aer, nulla vi possunt separari, ne detur inter illa vacuum. Aliæ plures experientiæ sunt his similes, quæ non patiuntur hac de re dubitare. Probatur etiam ratione à priori: Repugnat naturaliter, penetrari inter se duo corpora; sed vt esset vacuum, deberet penetrari, ergo ne hoc dicatur, negandum est vacuum posse dari

naturaliter ma. est certa ex dictis q. 2. conseq. est euidens & mi. Probatur: quia Deus initio mundi condidit tot corpora quanta, quæ sufficerent ad replendum totum hoc spatium infra Cœlos, ergo cum corpus aliquod à suo loco discedit, & in alium ingreditur, vel debet penetrari cum corpore ibi existenti, vel expellit illud ab illo loco, & sic in reliquis vsque ad vltimum, quod expelleretur à suo loco, & illud deberet poni hic, vnde primum corpus discessit, & consequenter nunquam daretur vacuum.

30. Dices, ex hoc videtur totum mundum mouendum in expulsione vnius corporis à suo loco: Respond. hoc vitari, cum corpus primo expulsum ingrediatur in locum, vnde egressum est corpus ingrediens in suum locum: Dices, posse hoc fieri per condensationem aliorum corporum, sic vt corpus hic expulsum occupet partem illam loci, quam ante condensationem occupabant partes corporis condensati, & sic non esse necesse vt aliud corpus moueatur ad hunc locum. ℞. condensationem non fieri per deperditionem quantitatis corporis condensati, sed per egressum corpusculorum quantorum, quæ necessario occupabunt partem illam loci relictam à corpore condensato, & sic non erit locus corpori hinc expulso. Propterea vel aliud corpus succederet in locum ab isto relictum, vel istud hinc non moueretur.

Inquires Primo: *Quibus modis Natura seu res naturales impediant vacuum?* ℞. impediri vacuum vel per obsistentiam negatiuam, quâ vnum corpus non mouetur à priori loco; vel per motum localem vnius corporis à proprio loco, vt repleat alterum locum, ne sine corpore relinquatur, vel per rarefactionem & condensationem.

Dubium
An aquæ sit naturalis motus sursum ob replendum vacuum?

31. Inquires Secundo, *A quâ causa proueniant effectiue hæc impedimenta, præcipue illud quod fit per motum localem corporis contra suam propriam inclinationem, vt in aqua ascendente sursum?* ℞. aquam, quando mouetur sursum ad replendum vacuum, considerari posse dupliciter. *Primo* in quantum talis naturæ est videlicet corpus graue inclinans deorsum. *Secundo* in quantum est quædam pars vniuersi. Nunc dico, quod sub his duabus rationibus habet in se inclinationem & ab ipsa prouenit effectiue & motus sursum & motus deorsum, primus ad replendum vacuum tanquam pars vniuersi (cuius vt tale naturale est inclinare in bonum & conseruationem sui totius, quæ conseruatio à suarum partium contiguitate pendet) Secundus in centrum tanquam in proprium finem seu terminum sui motus. Est expressa sententia Scoti 4. d. 49. q. 13. n. 13. Et contrarium immerito tenet noster Poncius hic, cuius explicatio ad locum Scoti à nobis citatum potius adaptaret loco ab ipsomet adducto ex 3. d. 27. vbi Scotus potius videtur loqui de inclinatione aquæ, provt specialis natura est: dicit enim concludens argumentum: *violenter igitur mouetur comparando ad propriam naturam aquæ*: cum quo bene stat quod vt pars vniuersi est, sit naturalis ipsi motus sursum ad replendum vacuum. Quod & constat ex ratione vel potius re intenta à Goffredo, quam ibi impugnabat Doctor, vbi solum appetitus innatus secundum affectionem commodi creaturæ perpendebatur, secundum quem (vt Scotus responderet ad propositum exemplum directe) verum est, aquæ violentum

violentum esse motum sursum; sed hoc non obstat quominus pars vniuersi est, inclinetur etiam ad eumdemmet motum sursum ob replendum vacuum, quod est bonum vniuersi, & consequenter suum etiam: nam in bonum totius non potest non intrare & ab ipso dependere bonum partis. Nec obstat quod ad motum deorsum sit aqua determinata ex sua propria natura & propter hoc debeat dici in aliquo sensu ipsi violentus motus sursum: nam etiam materia prima appetit magis formas perfectiores quam imperfectiores, & nihilominus non est in statu violento sub imperfectioribus, vt diximus disp. 1. numero 46. & habet etiam ipsemet Poncius: nam licet inclinetur determinate in motum deorsum, qui oppositus est motui sursum, non tamen inclinatur in illum, vt oppositum (secundum quod dicit vtramque inclinationem & propriam suæ naturæ, & quam habet vt pars vniuersi est, quarum posterior immerito ab illo negatur) sed vt in bonum sui est: quare licet minus bonum sit ipsi moueri sursum ob replendum vacuum, est tamen ipsi bonum vt pars vniuersi est, propterea non est dicendus simpliciter violentus ipsi motus sursum, licet bene comparando (vt inquit Scotus ad propriam naturam.

QVÆSTIO VI.

An si daretur vacuum, mouerentur corpora per ipsum; & Quo modo?

QVæstio procedit & de vacuo pure negatiuo, quod est quid interminatum vt diximus & non comprehenditur ab aliquo corpore, vt si Deus anihilaret totum vniuersum. Et de vacuo priuatiuo, quod est quid terminatum & comprehensum ab aliquo corpore: vt, si Deus existentibus Cœlo & terra in suis locis anihilaret ignem, aërem & aquam, quæ sunt intermedia.

32. Sit *Prima* conclusio, *Si daretur vacuum interminatum possent moueri per ipsum animalia motu animali, id est mouere manus & pedes, non tamen motu progressiuo. Item moueri possent proiecta motu neutro, hoc est nec naturali nec violento, non tamen mouerentur grauia & leuia motu suo naturali; Si vero extra Cœlum poneretur corpus aliquod graue in spacio illo imaginario, moueretur naturaliter ad Cœlum ob grauitatem suam, attamen corpus leue non posset mouere se ob leuitatem.* Probatur *Prima* pars, quia nihil impediret in vacuo talem motum, quo scilicet approximaret manum ori & pedes ad se inuicem. *Secunda* pars etiam probatur: quia motus progressiuus fit cum dependentia à corpore, supra quod quis progreditur. Et hinc non possumus progredi supra terram eleuati, licet moueamus pedes nostros. *Tertia* pars probatur: quia si aliquis v. g. Angelus proiiceret lapidem, re vera moueretur lapis per illud vacuum, quo vsque euanesceret impetus ipsius proiicientis. Et quod ille motus esset neuter, patet, quia sicuti ibi non essent differentiæ positionis sursum, deorsum &c. Ita neque ille motus esset contra inclinationem neque secundum inclinationem passiuam, quam habent proiecta ascendendi sursum & descendendi deorsum, ac per consequens nec violentus nec naturalis esset. Ex hoc probatur *Quarta* pars: quia entia naturalia simplicia si leuia sunt, mouentur sursum, si grauia deorsum; entia vero mixta mouentur sursum vel deorsum iuxta

naturam elementi prædominantis, ergo cum in tali vacuo nullæ essent huiusmodi differentiæ positionis, nullum profectò ens naturale moueretur motu suo naturali.

Probatur *quinta* pars conclusionis: quia cum tale corpus haberet suum centrum seu locum naturalem sub se, deberet eò ferri naturaliter, cum nihil impediat, itaque perueniret ad Cœlum Empyreum; & quia hoc non posset penetrare, maneret supra ipsum, & posset supra ipsum ambulare, ex suppositione quod si aliquod animal esset, posset viuere supra ipsum. Ex quo probatur vltima pars: quia tunc leue non haberet locum naturalem supra se, ergo non deberet eo ferri virtute leuitatis.

33. Secunda conclusio, *si daretur vacuum terminatum idest clausum sub Cœlo & supra centrum terræ, grauia & leuia mouerentur per illud motu suo naturali, grauia deorsum & leuia sursum. Et similiter motus, quo mouerentur proiecta, non esset neuter sed vel naturalis vel violentus.* Colligitur conclusio ex probatione præcedentis, quia ratio propter quam omnia quæ hic affirmamus, ibi neganimus, est quia in præcedenti vacuo non essent differentiæ positionis sursum & deorsum; sed in isto vacuo essent tales differentiæ: nam Cœlum esset sursum & terra deorsum, non secus ac modo sunt, ergo nulla est ratio ad negandum in isto vacuo terminato prædictos motus.

34. Obiicies. Impossibile est quod motus factus in pleno sit æqualis in duratione motui facto per vacuum, sed hoc impossibile sequeretur ex eo quod corpus moueretur per vacuum, ergo non est dabilis talis motus. Probatur sequela, si acciperetur motus factus per vacuum qui excederet motum factum per plenum tantâ quantitate spatij, quanta est maior densitas & resistentia spatij pleni, hi motus essent æquales in duratione. Resp. neg. impossibilitatem æqualitatis inter motum in vacuo & motum in pleno: nam licet in duratione successionis extrinsecæ & accidentalis, qualis est illa, quæ prouenit ex resistentia & densitate medij, nequeant esse æquales, bene tamen possunt æqualitatem habere in duratione successionis intrinsecæ & essentialis, qualis est illa quæ prouenit vel ex eo quod mobile habeat partes vel ex eo quod spatium seu medium habeat etiam partes siue reales siue imaginarias.

35. Ex quo colliges, motum, quo corpus moueretur in vacuo, fore successiuum: Et ratio est quia successio seu duratio in motu non solum prouenit ex resistentia contrarietatis vel densitatis rei existentis in medio seu spatio, sed etiam prouenit ex extensione quantitatiuâ spatij, per quod fit motus: nam si spatium est extensum & habens partes extra partes, sicut esset vacuum, non posset corpus habens etiam partes extra partes moueri per illud in instāti, quamtumuis vacuum sit & carens omni resistentia: alias idem quantum esset simul in pluribus spatiis & haberet pene infinitas præsentias ad illa, quod naturaliter est impossibile, dicendum ergo est motum factum in vacuo, si daretur, fore successiuum.

QVÆSTIO VII.

Quid sit tempus?

SVpponitur in quæstione tempus esse tanquam quid compertum apud omnes, & dubitatur quid sit? Quæstio ecquidem difficilis: nam iuxta S. Augustin. 11. Confess. Nihil notius

tius quàm tempus esse, nihil vero cognitu difficilius, quàm quid sit. Et si difficillimum est naturam temporis cognoscere, multo difficilius illam aliis explicare. Vnde idem Augustin. ibidem sic ait: *Quid est ergo tempus? Si nemo ex me quærat, scio, si quærenti explicare velim, nescio.* Propterea præsumptioni attribui posset nobis explicationem eius aggredi; sed quia Aristotel. & cum eo expositores omnes de natura & ratione eius agunt in præsenti, ideo pro captu nostro & quam breuiter fieri possit iuxta mentem Scoti & communiorem sentiendi modum nonnulla proponemus.

36. Duplex considerari solet ab authoribus tempus, vnum intrinsecum, alterum extrinsecum. Tempus intrinsecum est *duratio rerum successiuarum*: Vt duratio motus localis quo quis ab vno loco ad alium locum se confert: nam sicut æternitas & æuum sunt durationes intrinsecæ rerum permanentium, ita tempus intrinsecum est duratio rerum successiuarum. Tempus extrinsecum est *numerus motus secundum prius & posterius.* Ita Aristot. cap. 11. huius libri, & de hoc præcipue agitur hic. Quod adhuc dupliciter sumi potest. Aliud enim est tempus proprie, quale est illud quod est mensura illius motus, qui est omnium primus, velocissimus, vniformis, omnia continens & per omnia sese diffundens, & hoc tempus vnicum est: cum sit mensura quædam generalis eorum omnium, quæ sunt ortui & interitui obnoxia, & hæc est duratio motus primi mobilis, cui tribuit Aristotel. rationem temporis per antonomasiam. Aliud tempus est minus proprie, quale est illud quod est numerus seu mensura cuiuscumque motus. Et istud est multiplex, imo tot sunt huiusmodi tempora, quot sunt motus: quia per quemlibet motum deuenire possumus in cognitionem quantitatis alterius, vt per motum horologij in cognitionem durationis lectionis vel concionis, & quod magis est per motum harum rerum inferiorum ipsum etiam vniuersale tempus, qualis est duratio motus primi mobilis, cognoscimus: nam ex multo motu deprehendimus multum etiam illius motus, quo prima sphæra rapitur, pertransiisse.

37. Definitionem præfatam approbant interpretes omnes, & ad explicationem eius nota, in tempore tria considerari posse. Primum est ratio durationis seu moræ successiuæ & continuæ motus, quam habet tempus ex priori & posteriori eiusdem motus. *Secundum* est aptitudo ad mensurãdum motum; nam tempus talis naturæ est, vt possit intellectus determinare quasdam partes eius v. g. menses horas, minuta, &c. vt per ipsas certificetur de quantitate seu magnitudine motus. *Tertium* est actualis mensuratio motus, vt dum actualiter intellectus vtitur determinatis partibus temporis, quibus certificatur de quantitate motus. Ex his tribus primum est in quo consistit essentia temporis: cum sit primum quod in ipso percipimus & causa cæterorum. Secundum est propria passio: siquidem aptitudo ad mensurandas partes successiuas motus conuenit tempori omni soli & semper. Tertium est accidens ipsius: cum possit abesse & adesse tempori, salua eius essentia, vt patet quando eo non vtitur actualiter intellectus ad mensurandum.

His prænotatis, explicatur definitio, & circa primam particulam aduerte ex Scoto quæst. 23. prædicam. ly numerus dupliciter sumi posse, *primò* pro vna ex speciebus quantitatis discretæ & in hac significatione non sumitur

numerus

numerus hic : quia tempus licet sit quantitas,non tamen discreta,sed continua. *Secundo* vsurpari solet magis generaliter pro mensura scilicet aptitudinali, quæ etiamsi sit passio quantitatis in communi appellari solet numerus, eo quod ratio mensuræ vltimatè conuenit numero. Et in hac acceptione sumitur in hac definitione temporis. Vnde idem est dicere tempus est numerus motus, ac dicere tempus est mensura motus,mensura(inquã)non actualis,sed aptitudinalis. Et sic per istam particulam quæ licet ponatur loco generis,re vera non est genus sed passio generica & conueniens quantitati tam successiuæ quàm permanenti,tam continuæ quam discretæ , excluduntur ratione temporis, imo & à ratione communi quantitatis durationes rerum permanentium,vt sunt æternitas & æuum: quia istæ durationes, cum indiuisibiles sint, non possunt esse neque quantitates neque mensuræ rerum,quarum durationes sunt.

Secunda particula & quæ ponitur pro differentia est *motus* & per hoc denotatur, tempus non esse qualemcumque mensuram, sed mensuram continuam & successiuam:& ratio est , quia cum mensura debeat esse homogenea & eiusdem rationis cum mensurato,dicendo tempus esse mensuram motus, idem est ac dicere tempus esse mensuram continuam & successiuam : quia motus cuius dicitur mensura , manifestum est quod sit continuum & successiuum. Quare per istam particulam differt tempus ab omnibus aliis speciebus quantitatis,cum quibus conueniebat in ratione mensuræ. Additur denique *secundum prius & posterius* idest cum ordine prioris & posterioris.

Rursus aduerte, quod sicut datur mensura permanentium:v.g.vlna cuius reduplicatione vel applicatione certificamur de quantitate panni , ita datur mensura successiuorum : nam motus rotarum horologij mensuræ sunt, quibus certificamur de duratione in hoc vel illo motu sumpta. Et sicut in vlna possumus considerare rationem entitatiuam ipsius vlnæ, insuper & aptitudinem, quam habet ad mensurandum aliud, sic in motu & possumus considerare entitatem ipsius successiue influentem,& aptitudinem,quam habet,vt per correspondentiam ad illum alia successiua mensuremus. Est ergo tempus numerus seu mensura motus secundum quam capax est,vt per quantitatem eius aliud successiuum mensuremus.

An tempus distinguatur à motu?

38. Inquires : *An tempus distinguatur à motu.* ℞. Quod tempus extrinsecum & quod est mensura motus distinguitur realiter ab ipso motu,quod manifestum est & de hoc nullus dubitat : nam de se patet , motum v. g. primi mobilis dum Sol illuminat nostrum hemisphærium,& per quem mensuramus motum hominis iter facientis,distingui realiter ab ipso motu hominis. At vero tempus intrinsecum,quod est duratio intrinseca motus,v. g. quo Sol mouetur ab oriente ad occidentem , vel quo Petrus iter decem leucarum pertransit,non distinguitur realiter ab ipso motu ; nec generaliter duratio aut tempus intrinsecum distinguitur à re successiua cuius duratio est. Hæc resolutio confirmabitur ex dicendis q. seq. vbi generaliter dicemus durationem creatam non distingui realiter à re durante , cuius ratio potiori iure tenebit de rebus successiuis, quam de permanentibus : res enim permanentes videntur magis indifferentes , vt durent diuersis durationibus , quàm res successiuæ, vt successiuæ sunt.

Dices. Idem numero motus potest esse duplo velocior nunc quam antea ; sed

sed hoc non potest dici de tempore: alias ex coexistentia aliquorum ad idem tempus non posset intelligi, quod æque diu durarent, ergo tempus distinguitur realiter à motu: ma. pate, tvt si Petrus qui motu tardo nunc pertransiret spacio decem horarum iter decem leucarum, postea motu velociori pertransiret idem iter decem leucarum spacio duplo minori scilicet quinque horarum. ℞. neg. ma. vel dist. claritatis gratia idem numero motus, si motus dicit solum acquisitiones particulares termini ad quem fit v. g. in motu locali vbicationis, quibus fit corpus successiue præsens spacio, per quod pertransit, concedo. ma. si motus dicat moram illam, quam faciunt istæ acquisitiones seu istæ vbicationes in succedendo sibi inuicem. neg. ma. Et quia communior videtur prior acceptio, ideo solet dici, quod tempus seu duratio motus distinguatur ab ipso motu: sic enim quidquid acquiritur per motum vnius horæ ad calorem v. g. posset acquiri in instanti, vbi manifestum est inuariato motu, secundū quod dicit præcise id quod per ipsum acquiritur, variari tempus & durationem, non tamen si consideretur, vt dicens moram, quæ in talis termini acquisitione consumeretur.

QVÆSTIO VIII.

Quotuplex sit Duratio, Et an distinguatur à re durante?

QVanuis hoc verbum *durare* perseuerantiam seu permanentiam in *esse* importare videatur; Et ideo res vnico instanti existens non durare in suo esse deberet dici; sed incipere habere esse, tamen negari non potest, communiter durare dici omnia quæ existunt siue in instanti solo, siue tempore diuisibili existant: Vnde respondere solemus Quærentibus: Quandiu solent res istæ vel illæ durare? anno, mense, hora, instanti. Et iuxta hunc vsum loquendi ait Scotus 2. d. 2. q. 4. quòd si Angelus existeret pro vnico tantum instanti, adhuc duraret, iuxta hunc ergo loquendi vsum, sumimus hic durationem.

39. Sit prima conclusio; *duratio adæquate diuiditur in æternitatem, æuum & tempus:* Est communis & probatur: quia nulla est duratio quæ non sit vel rei permanentis, hoc est existentis secundum omnes suas partes simul, vel rei successiuæ hoc est non existentis secundum omnes suas partes simul, qualis est motus successiuus. Si sit duratio rei successiuæ est tempus; si vero rei permanentis; vel carentis fine & principio, & hæc est æternitas soli Deo competens, quæ sic definitur à Boetio 5. de Consolat. Philosophor. *Est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio*; vel est duratio rei permanentis carentis principio siue careat fine siue non, vel è contra carentis fine siue careat principio siue non, & hæc est æuum, quod sic potest describi: *Est duratio esse creati stabiliter & perenniter se habentis.* Nulla ergo est duratio quæ non spectet ad aliquam ex his tribus.

Posset nihilominus duratio quæ est æternitas diuidi in illam quæ est talis ex natura sua intrinseca necessario sine dependentia qualis est æternitas propria Dei, & in illam quæ non est talis sine dependentia à causa efficiente extrinseca, qualis est æternitas quæ competeret creaturæ, si producta fuisset à Deo ab æterno, & conseruaretur etiam in æternum, quæ vocatur æternitas participata. Rursus hæc posset diuidi in illam quæ caret principio

cipio & fine & illam quæ caret principio sed non fine, qualem haberet Angelus productus ab æterno & destructus in aliquo tempore. Præterea æuum potest diuidi in durationem rei permanentis habentis principium & carentis fine, qualis est duratio, quam habent Angeli & animæ rationales & secũdum Aristotelem corpora cælestia: Et in illam quæ habet principium & finem qualis est duratio rerum permanentium, quæ corrumpuntur ac destruuntur de facto, vt rerum materialium videlicet elementorum & eorum quæ ex his sunt mixta. Et hæc de priori parte quæstionis.

Ad posteriorem suppono, durationem rei non esse actualem coexistentiam eius ad tempus: cum manifestum sit, posse res durare, existere, ac perseuerare in suo esse, etsi nullum tempus esset, vt si v. g. Deus ante productionem mundi produceret Angelum, non ergo consistit duratio rerum in coexistẽtia actuali ad tempus; hoc supposito,

40. Sit secunda Conclusio, *Duratio creata non distinguitur realiter à re durante & actione, qua producitur, ac conseruatur.* Est conformis Scoto. 2. d. 2. q. 2. sequuntur discipuli ac recentiores communiter. Suarez, Valent. Hurtad. & Ouiedus, Complutenses hic controuers. 16. Contra Thomistas Conimbricens. & Complutenses, Ruuium & Arriagam. Probatur quia eo ipso quo res aliqua producitur ac conseruatur: seu quo terminat actionem productiuam ac conseruatiuam sui, durat vel instanti, vel tempore, ergo nihil aliud requiritur vt duret, atque adeo duratio non dicit aliquid à re durante & huiusmodi actione distinctum: non ergo oportet ponere aliquid ab his distinctum, iuxta communem regulam, non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Et confirmatur quia si deberet poni aliquid distinctum maxime quia res est indifferens vt sit tali vel tali tempore; Sed hoc non sufficit, ergo probatur ma. quia in eo consistit principale fundamentum aduersariorum: mi. probatur, quia res potest determinari ad tamdiu durare absque recursu ad modum vel formam aliquam distinctam ab ipsamet re durante & actione per quam producitur ac conseruatur, vt constabit ex solutione argumentorum.

41. Obiicies ergo *Primo* si res haberet durare à se ipsa & actione sine vllo alio superaddito, etiam posset esse in loco à se ipsa & actione absque forma illa superaddita, quam vocamus *vbi*; sed hoc est falsum & contrarium ab omnibus conceditur iuxta superius dicta, ergo &c. Sequela patet à paritate rationis. R. neg. sequel. Et ratio disparitatis est, quod res non habeat necessario esse in loco ex eo quod producatur: posset enim produci absque eo quod esset in loco, vt constat ex dictis supra n. 8. Habet autem durare eo ipso, quo producitur ac cõseruatur. Quare vt sit in loco aliquid debet ei superaddi præter actionẽ & cõseruationem, non autem vt duret.

42. Obiicies *Secundo* Angelus v. g. est tam indifferens vt sit in hoc vel illo tempore, ac vt sit in hoc vel illo loco, ergo quemadmodum per illam indifferentiam ponitur *vbi* distinctum, quo determinatur ad hunc locũ potius quam ad alium, etiam vt ponatur in hoc tempore potius quam alio, debet poni aliquid superadditum; atqui istud non est aliud quam duratio, ergo duratio, est aliquid superadditum ac distinctum realiter à re durante. Et confirmatur quia res illa quæ ponitur in prædicamento *Quando* est id, quo res coexistunt tempori tali vel tali ex sententia communi in prædicamentis, ergo

ergo non potest non esse aliquid distinctum superadditum duratio rei temporalis. Resp. concess. anteced. & conseq. neg. mi. subsumptam: nam vt supra supposui ante conclusionem, duratio rei non est illud à quo habet esse hoc vel illo tempore, cum possit habere existentiam, atque adeo in suo esse durare, quamuis nullum esset tempus. Verum quidem est, quod vt mensuretur tempore, & explicite significetur tanto vel tanto tempore durare, indigeat respectu illo posito in prædicamento *quando*, qui nihil aliud est quam explicita commensuratio rei durantis cum tempore; sed hoc non tollit quominus duratio intrinseca rei, & quam haberet ex vi productionis & conseruationis in suo esse, sit quid identificatum cum re ipsa durante & non aliquid superadditum: cum certum sit duraturam duratione sua propria, quæ vt diximus est æuum, etiamsi nullum esset tempus. Quam doctrinam colligo ex Scoto 2. d. 1. quæst. 3. num. 20. vbi distinguit de mensuratione rei permanentis secundum motus suos, & secundum esse suum substantiale: illam mensuram dicit esse tempus, istam vero æuum. Et per hoc patet ad confirmat. Nam quamuis ponendus sit respectus ille *quando*, non tamen vt res absolute & simpliciter duret, sed vt explicetur commensuratio eius cum tempore.

43. Quod si inquiras, à quo habeat res determinatam durationem videlicet quod carens principio habeat finem, vel è contra habens principium careat fine, vel denique quod finem & principium habeat? ℞. Hoc prouenire formaliter ab ipsismet rebus secundum suam propriam naturam hoc exigentibus; efficienter vero à suis causis sic vel sic cum talibus conditionibus applicatis; à quibus etiam prouenit quod tali vel tali tempori, anno, mensi, horæ &c. correspondeant & commensurentur.

Obiicies *tertio*: Prius est rem existere, quam durare, ergo duratio habet se vt accidens respectu existentiæ seu rei existentis. Probatur anteced. quia existentia est magis intrinseca rei quam duratio. Resp. dist. anteced. sumendo durationem pro perseuerantia tempus consumente, concedo. Sumendo durationem provt extenditur etiam ad durationem instantaneam nego: vt sic enim idem omnino est accipere existentiam, ac durare. Itaque eadem entitas quæ dicitur existentia, in quantum est forma, per quam res dicuntur esse extra causas; appellatur duratio in quantum est forma, per quam res vel incipiunt durare in primo instanti, vel in suo esse perseuerant & permanent, non secus ac eadem actio, quæ in quantum est productio rei ex nihilo dicitur creatio; appellatur etiam conseruatio, in quantum est actio, per quam res creata in suo esse conseruatur.

DISPVTATIO V.

In quintum Librum Physicorum Aristotelis.

AGEMVS cum Aristot. in hoc libro de motuum terminis, vnitate & contrarietate seu oppositione: quia cum motus vt in plurimum à termino *ad quem* desumat suam speciem, vt melius explicemus diuersas species motus, accurate prius inuestigandum est: Ad quas res seu prædicamenta detur per se motus?

Circa quod Aristoteles ex professo in littera docet ad tria tantum prædicamenta dari per se motum, ad quantitatem scilicet qualitatem & vbi. Quæ propositio cum exclusiua sit, duas exponentes includit: Prima est, ad tria enumerata dari per se motum. Secunda est, Ad cætera prædicamenta motum per se non terminari. De quarum examine sit Quæstio 1.

QVÆSTIO I.

Ad quæ prædicamenta detur per se motus?

1. NOtandum *Primo* ex Aristot. & Scoto hic quæstione 1. nomen *motus* tripliciter sumi posse: *Primo* & impropriissime pro quacumque via ad terminum siue respiciat subiectum siue non. In qua acceptione sumpsit motum Aristot. cum 2. Physicor. definiuit causam efficientem dicens *esse principium vnde incipit motus* in quo sensu comprehendit sub se motus omnem actionem tam creatiuam quam generatiuam, tam physicam quam moralem. *Secundo* sumitur motus magis proprie pro via, qua mediante aliquod subiectum transit à termino *à quo* ad terminum *ad quem*, siue sit via instantanea siue successiua. In qua acceptione sumpsit motum Aristotelis cum 3. Physicor. sic eum definiuit: *Est actus entis in potentia secundum quod in potentia*: Et in hoc sensu continet sub se omnes mutationes siue actiones transmutantes subiectum ab vno esse ad aliud, siue substantiales siue accidentales sint. *Tertio* sumitur motus propriissime pro via successiua & consumente tempus, quâ mediante subiectum transit à termino *à quo* ad terminum *ad quem*. Et in hac acceptione sumitur motus ab Aristotele hic, cum dicit & probat, generationem non esse motum, & ad tria tantum prædicamenta quantitatem scilicet, qualitatem & vbi dari per se motum, & in eadem sumitur à nobis.

Notandum *Secundo* duas conditiones requiri vt aliquid possit per se motum, prout hic sumitur, terminare. Prima est vt sit ens per se acquisibile: quia si non per se, sed ad acquisitionem alterius pullulat & resultat, vt contingit in relationibus intrinsecus aduenientibus, & in qualitatibus quartæ speciei, quæ dicuntur forma & figura, & in pluribus aliis, manifestum est nullum per se motum terminare. Secunda conditio est, vt habeat partes & gradus, non qualescumque sed contrarios, sumpta contrarietate non pro oppositione, quæ versatur inter formam & eius priuationem, neque pro oppositione quæ est inter duas formas positiuas eiusdem generis, quæ ab eodem subiecto se mutuo expellunt; sed pro impossibilitate naturali ad hoc vt simul & in instanti producantur, siue hæc contrarietas conueniat partibus seu gradibus rei ratione sui, vt contingit in quantitate, siue ratione subiecti susceptiui motus, vt contingit in vbi & qualitatibus, quæ inducuntur in subiecto habente formam contrariam. Et ratio huius conditionis est, quia si ens non habet partes, vel si habet, non sunt in sensu exposito contrariæ, poterit totum simul & in instanti acquiri.

2. His suppositis facilis est Responsio ad quæstionem. Dicendum ergo est cum Aristotele, *Ad tria enumerata prædicamenta solum dari per se motum in rigore* (qualem explicauimus in tertia) *& non ad alia.* Aduerte

uerte tamen dictum Aristotelis circa quantitatem solum esse verum de quantitate continua permanenti, non de quantitate continua successiua, vt est tempus; Nec de quantitate discreta, vt est numerus & oratio: quia deficit ipsis prima conditio. Circa qualitatem etiam aduerte solum esse verum dictum Aristotelis de qualitatibus, quæ producuntur in subiecto habente qualitatem diuisibiliter oppositam qualitati, quæ producitur. Hoc dico propter lucem, quæ vel non habet qualitatem oppositam, vel si habet non opponitur ipsi diuisibiliter idest in quocumque gradu etiam remisso, vt etiam contingit inter scientiam & errorem & inter amorem & odium circa idem subiectum, ita sentiunt omnes interpretes Aristot.

Et probatur experientia, quâ experimur corpus lucidum in instanti producere lumen quam intensum potest, & voluntatem amorem, etiamsi sit affecta odio circa idem obiectum. Et ratio à priori est, quia contrarietas seu impossibilitas naturalis quæ datur inter gradus intensionis, qualitatum, ad hoc vt simul omnes in instanti producantur, solum prouenit ex resistentia contrarij existentis in eodem subiecto. (Et hæc est ratio cur per motum & non per mutationem producantur), ergo si qualitates, quæ producuntur, talis naturæ sunt, vt in subiecto non habeant contrarium, vel si habent, non opponitur ipsis diuisibiliter, non erit in his qualitatibus contrarietas, quæ requiritur ad terminandum per se motum.

Circa dictum de vbi aduerte, solum esse verum & intelligendum de vbi circumscriptiuo, non de diffinitiuo: Et ratio est quia licet vtrumque vbi, sit per se, id est ratione sui acquisibile, tamen solum vbi circumscriptiuum supponit per se necessario subiectum quantum, ac per consequens habere partes localiter extensas, atque adeo habentes impossibilitatem naturalem, ad hoc vt simul & in instanti percurrantur, quæ est secunda conditio ad terminandum motum per se necessaria.

Ex his infertur ad reliqua prædicamenta ad *relationem*, *actionem*, *passionem*, *situm*, *quando* & *habitum* non dari per se motum: quia hæc omnia vel non sunt acquisibilia per se, sed acquiruntur ad acquisitionem alterius seclusa quacumque alia actione, vt in *relatione*, quæ resultat ad positionem fundamenti & termini. In *Situ* quod resultat ad positionem *vbi*. Et eodem modo resultat *Habitus*; Et in quando quod resultat ad positionem rei temporalis. Vel si forte sunt per se acquisibilia (vt tenet Scotus de relatione vnionis, quæ facta est in Incarnatione Verbi Diuini, quæ secundum eumdem Scotum est relatio de prædicamento Actionis vel Passionis) non tamen habent partes, quæ ratione sui vel ratione sui subiecti sint contrariæ, id est habentes impossibilitatem naturalem, vt simul & in instanti acquirantur.

5. Dubitabis: *An verum sit, non dari per se motum ad substantiam?* Et ratio dubitandi est, quia in substantia concurrunt duæ conditiones requisitæ ad terminandum per se motum: siquidem est ens per se acquisibile, & insuper, si est materialis & capax quantitatis, habet partes contrarias id est distantes inter se, & quæ non possunt simul & in instanti omnes acquiri. Vnde communis sententia tenet nutritio-

nem & generationem ignis in ligno esse motus successiuos. Resp. Nihilominus cum Aristotele. *Dari ad substantiam per se mutationem, non vero dari per se motum.* In hoc conueniunt omnes, & ratio est: quia licet sit per se acquisibilis, tamen actio, quæ ad ipsam terminatur, non est motus, sed mutatio defectu secundæ conditionis ad motum requisitæ: quia scilicet substantia non habet partes contrarias neque ratione sui, neque ratione subiecti, quod ad productionem ipsius præsupponitur: siquidem subiectum requisitum ad generationem substantiæ est materia prima, quæ immediate & ante aduentum Quantitatis perficitur à formâ substantiali, & consequenter cum non habeat partes localiter extensas, poterunt omnes partes entitatiuæ eius, quantum est ex se, simul, & in instanti à forma substantiali informari.

Ad rationem dubitandi. Respondeo. Quod licet substantia materialis & quæ affecta est quantitate, habeat partes extensas & distantes, ac propterea non omnes simul producantur, sed successiue: vt contingit in nutritione & generatione ignis, quæ paulatim fit in ligno. Tamen quia hæc contrarietas seu distantia non competit partibus substantiæ neque ratione sui, neque ratione subiecti, quod ad generationem eius requiritur sed ratione quantitatis, quæ illam semper concomitatur, ideo successio non competit productioni substantiæ per se, sed per accidens. Quare ad substantiam non datur per se motus, sed per accidens. Hinc est, quod docet Aristoteles hic, mutationem diuidi in generationem, corruptionem & motum, & rursus motum diuidit in augmentationem, quæ est motus ad quantitatem, in alterationem, quæ est motus ad qualitatem, & in motum localem, qui est motus ad *vbi*.

QVÆSTIO II.

Vnde sumenda sit vnitas specifica & numerica motus?

PRocedit quæstio de motu non propriissime, vt in quæstione præced. sed magis late pro mutatione scilicet tam successiua quam instantanea. Et ad eius solutionem suppono, quatuor tantum esse res, de quibus potest esse dubium, vtrum ab eis sumatur vnitas specifica motus? videlicet agens vnde progreditur, Passum in quo recepitur, terminus à quo profluit, & terminus ad quem tendit. Et Nota nos non inquirere quid sit intrinsecum specificatiuum motus: quia manifestum est, hoc esse differentiam essentialem & indiuidualem cuiuslibet, quæ cum nos lateat, inuestigamus aliqua signa vel principia extrinseca, ex quibus deueniamus in cognitionem intrinsecæ & essentialis, quæ nos latet: sicut etiam à fundamento & termino inuestigabimus in Metaphysica vnitatem specificam relationis.

4. Sit prima conclusio, *vnitas specifica motus non desumitur ex passo seu subiecto; neque ex agente.* Probatur, quia licet motus in quantum actio essentialiter respiciat agens & in quantum passio passum seu subiectum; vt diximus disp. 3. q. 2. tamen vt motus formalissime neque passum neque agens respicit, vnde motus est eiusdem speciei, siue ab hoc siue ab

illo agente fiat, siue in hoc siue in illo subiecto recipiatur, dummodo termini *à quo & ad quem* sint eiusdem speciei: v. g. si eadem specie forma scilicet calor produceretur ab igne in ligno, & à Sole in manu, quantumvis subiecta & agentia sint diuersa, tamen motus ad talem, formam vtrobique est eiusdem rationis, & speciei.

5. Secunda conclusio, *Vnitas specifica motus desumitur à termino ad quem.* Est communis & probatur quia terminus *ad quem* est quasi finis motus & ad ipsum motus essentialem ordinem dicit; sed mutationes sumunt specificationem à fine, ad quem essentialiter ordinantur, ergo &c. In hoc omnes conueniunt: & solum potest esse difficultas; *An etiam sumatur distinctio specifica motus ex termino à quo?* Ad quod ℞. cum distinctione: nam si loquamur de terminis per se *à quibus*, videlicet de priuationibus terminorum *ad quos*, certum est ab huiusmodi terminis *à quibus* sumi posse vnitatem & diuersitatem specificam motus, sicut ab ipsis terminis *ad quos* sumitur: priuatio enim talem speciem dabit, qualem forma, cuius est priuatio. Si autem loquamur de terminis per accidens à quibus v. g. nigredine & albedine, à quibus oriri potest motus in fuscum vel in pallidum. Dico ab huiusmodi terminis *à quibus* non sumi specificationem motus: patet ex Aristot. docente, omnes dealbationes esse motus eiusdem speciei; sed contingere potest quod procedant à diuersis terminis per accidens *à quibus*; Item & ab eodem termino per accidens *à quo* possunt procedere motus diuersi in specie, vt quando vnum corpus ex cæruleo sit album, & aliud ex eodem cæruleo fit nigrum. Signum ergo est ab his terminis per accidens *à quibus* non sumendam esse vnitatem & diuersitatem specificam motus.

6. Argues contra primam conclusionem: motus naturalis & violentus distinguuntur specie, & contingere potest, quod sint circa eumdem terminum *ad quem*; sed talis distinctio sumitur ex subiecto, penes cuius inclinationem vel renitentiam motus dicitur naturalis vel violentus, ergo distinctio specifica sumi potest ex subiecto: ℞. neg. ma. quia illa distinctio respectu motus solum est accidentalis, non specifica & essentialis, qualis sumitur à termino *ad quem*.

7. Tertia conclusio. *Ad vnitatem numericam motus requiruntur tria videlicet vnitas subiecti seu mobilis, vnitas temporis & vnitas formæ seu termini producti per motum.* Ita expresse Arist. hic c. 4. probatur quoad primam partem quia cum motus formaliter sumptus sit accidens, & accidens non possit transire de subiecto in subiectum naturaliter, bene colligimus vnitatem vel diuersitatem numericam eius ex vnitate vel diuersitate subiecti; probatur secunda pars: quia vt sit vnus numero motus, debet esse continuus; sed non potest esse continuus, nisi adsit vnitas & continuitas temporis, ergo &c. probatur quoad tertiam partem, quia motus vt ex supra dictis constat, nihil aliud est quàm fieri formæ seu termini producti per ipsum, ergo si terminus non est vnus sed plures, etiam fieri termini seu ipse motus non erit vnus sed plures.

Dices, si aliquod animal caderet ab alta turri, ita vt in medio descensus moreretur, tunc ille motus esset vnus & continuus, & tamen mobile non esset idem: quia non est idem mobile viuum & mortuum, ergo non requiritur vnitas mobilis ad vnitatem nume

numericam motus. ℞. Quod licet animal viuum & mortuum non sint eiusdem speciei, tamen corpus animalis viui & corpus animalis mortui, quod in sententia Scoti est subiectum immediatum motus, sicut & reliquorum accidentium materialium, est idem specie & numero. Vnde cum motus habeat idem numero mobile in toto progressu, idem numero erit, nisi ex alio capite obstet.

8. Inquires, *vnde sumant motus suam contrarietatem?* Suppono, non esse idem motus esse diuersos in specie, & esse contrarios: nam calefactio & denigratio v. g. sunt motus diuersæ speciei, & tamen non sunt contrarij: cum possint simul reperiri in eodem subiecto etiam in gradibus intensis. Dicuntur ergo motus contrarij, quando simul in eodem subiecto reperiri nequeunt. Quæ contrarietas oritur à contrarietate terminorum *ad quos* v. g. calefactio & frigefactio opponuntur saltem in gradibus intensis: quia calor & frigus in illis opponuntur. Item motus sursum motus, deorsum, motus ad amorem, motus ad odium, &c.

Aduerte tamen quietem contrariam motui esse persistentiam in termino acquisito, quæ potest esse duplex, alia negatiua idest persistentia in carentia formæ, vt quam habet voluntas v. g. dum est sine amore aut sine odio; alia positiua, quæ est possessio formæ positiuæ, vt v. g. persistentia caloris in subiecto. Vbi nota, quod sicut non potest esse motus ad duos terminos contrarios, ita neque potest esse simul quis sub illis, sed solum sub altero illorum disiunctiue.

DISPVTATIO VI.

In sextum Librum Physicorum Aristotelis.

QVAMQVAM principale intentum Aristot. in hoc libro fuerit tractare de partibus integrantibus motuum, nec non & de indiuisibilibus eos terminantibus & copulantibus, nihilominus quia eadem est omnium continuorum tam successiuorum quàm permanentium quoad integralem constitutionem ratio; idcirco in hac disputatione de continuo absque restrictione, eiusque compositione, inceptione & desitione tractabimus. Et quia materia magis Mathematica quàm Philosophica est, ideoque nostro instituto, quod ad sacram Theologiam tendit, ferè in nullo deseruiens, quàm breuiter pauca attingemus.

QVÆSTIO I.

An continuum constet ex solis indiuisibilibus?

1. Diuisimus in Logica quantum continuum in successiuum & permanens, successiuum vt tempus, permanens vt corpus. Rursus subdiuisimus continuum permanẽs in lineam, superficiem, & corpus. Nunc circa continua permanentia aduerte *primo* corpus esse diuisibile secundum trinam dimensionem longitudinem scilicet, latitudinem, & profunditatem, superficiem vero esse diuisibilem secundum longitudinem & latitudinem, & indiuisibilem

uisibilem secundum profunditatem, item lineam esse diuisibilem secundum longitudinem & indiuisibilem secundum latitudinem & profunditatem. Aduerte *secundo* partes lineæ copulari inter se punctis indiuisibilibus, partes superficiei copulari lineis, partes corporis copulari superficiebus, partes temporis copulari instantibus seu momentis, & partes motus copulari indiuisibilibus quæ vocantur *mutata esse*.

2. Suppono ante solutionem quæstionis, in quolibet continuo tam permanenti quàm successiuo dari actu indiuisibilia terminatiua & continuatiua seu connectentia partes ipsius continui, quæ sunt entia positiua & non merè negationes: Est doctrina communis & probatur: quia in quolibet continuo sunt partes inter se actu vnitæ & copulatæ, ergo sunt in ipso actualiter aliqua eius partes vnientia & copulantia; hæc autem sunt indiuisibilia: nam si essent diuisibilia, cum iterum diuidi possent in alias partes, quærendum esset de illo quo inter se illæ aliæ partes connecterentur, an scilicet sit diuisibile vel indiuisibile? Si dicatur quod diuisibile, dabitur processus in infinitum, ergo ad hunc vitandum docendum est, esse indiuisibile. Dantur igitur in quolibet continuo actu indiuisibilia, quibus eius partes inter se copulantur. Quod confirmatur ex Aristotele dicente, partes continui copulari termino communi, quod non esset verum, si hic terminus non esset indiuisibilis. Patet: quia hic terminus communis quod est continuatiuum, iam non esset secundum se totum commune vtrique parti continuatæ, sed secundum hoc extremum tangeret hanc partem, & secundum aliud tangeret aliam.

Probatur etiam de indiuisibilibus terminatiuis: quia si continuum non haberet à parte rei terminos, quibus terminaretur & clauderetur esset quid infinitum: tale namque dicitur quod caret fine seu termino; sed consequens est falsum, vt diximus lib. 3. ergo ad hoc vitandum fatendum est, lineam aliquo indiuisibili secundum longitudinem, superficiem secundum longitudinem & latitudinem, & corpus secundum longitudinem, latitudinem & profunditatem claudi & terminari à parte rei. Dantur ergo in continuo indiuisibilia terminatiua, quæ ex dictis etiam sequitur esse entia positiua & non merè negationes: Ea enim & multa alia, quæ docuit Aristotel. vt in definitione contiguorum: *Corpora contigua sunt quorum vltima* (idest indiuisibilia terminatiua) *sunt simul & se tangunt*, verificari nequeunt de solis negationibus.

3. Dices *primo*: Præciso per intellectum quocumque positiuo à linea v. g. non minus manebit simpliciter finita, quàm cum illo, ergo non est opus ponere indiuisibile terminatiuum in aliquo positiuo. Resp. Quod tunc esset finita negatiue, sed non positiue. Nec obstat si instes, quod si ratio finiti attendatur, importet præcise quid negatiuum: nam tale dicitur per carentiam maioris perfectionis aut quantitatis; Hoc (inquam) non obstat: quia sicut infinitum dicit in se & habere plures ac plures partes & habere carentiam termini positiui; sic etiam finitum quod opponitur ipsi & dicit carere vlteriori extensione, quæ post punctum terminatiuum subsequatur, & habere positiuam finitatem scilicet indiuisibile terminatiuum.

4. Dices *secundo* contra primam partem: Aristoteles 8. Physicor. docet, indiuisibilia non actu sed solum in potentia esse in continuo, & videtur sic esse dicendum: nam cùm in continuo ponantur infinita indiuisibilia, si hæc omnia essent actu in continuo, daretur infinitum secundum numerum actu, quod est contra prædicta supra disput. 3. quæst. 3. Resp. Aristotel. non loqui de indiuisibilibus, quæ actu terminant continuum, nec de continuatiuis, quæ eius partes actualiter connectant; sed de indiuisibilibus terminatiuis, quæ post diuisionem terminant partes diuisas, de quibus verum est non esse actu, sed potentia in continuo, sicut & partes diuisibiles non sunt in ipso actu, sed solum potentia. Nec sequitur, dari infinitum in actu secundum numerum, eo quod dentur actu in continuo infinita puncta continuatiua: nam cum numerus sit quantitas discreta, non sufficit ad numerum actualem indiuisibilium, quòd sint actu, sed requiritur etiam quod actu sint discreta: nam si actu sint continua, vt de facto contingit, non dicuntur actu infinita secundum numerum, sed potius dicuntur vnum ab vnitate continui, quod ex ipsis & partibus continuatis resultat. His ad intelligentiam quæst. necessario prænotatis,

5. Sit conclusio. *Continuum componitur ex entitatibus diuisibilibus tanquam ex partibus integralibus & ex indiuisibilibus tanquam ex mediis, quibus prædictæ partes integrales copulantur ad faciendum vnum per se.* Est communis Scotistar. Thomistar. & Recentior. cum Philosopho contra Zenonem, quem recentiores aliqui nuper sequuti sunt. Harum sententiarum rationes & fundamenta accurate explorat noster Poncius hic. Nobis sufficiat nostram vtcumque probare. *Primo* quia indiuisibile additum indiuisibili non facit maius in extensione locali, ergo continuum verb. gr. magnitudo secundum extensionem localem quam habet, non componitur seu integratur ex solis indiuisibilibus. Consequentia est euidens, antecedens probatur: nam cum duo puncta necessario penetrentur, & se tangant secundum se tota, infinita puncta, si immediate vnirentur, occuparent eundem locum, quem occupat vnum punctum, atque adeo vnum indiuisibile additum indiuisibili non faceret maius secundum extensionem localem.

Probatur *secundo* linea v.g. est diuisibilis in duas partes æquales; sed si constaret ex solis indiuisibilibus, non esset diuisibilis in duas partes æquales, ergo non constat ex solis punctis: ma. est certa ex Mathematica. mi. probatur; in omnibus lineis, quæ haberent puncta in numero impari v. g. nouem, septem, &c. hæc enim non possent diuidi in duas partes æquales, nisi indiuisibile, quale est punctum, diuideretur & secaretur in duas partes, quod implicat.

6. Ex his colligo cum Aristotele continuum esse diuisibile in semper diuisibilia, idest in partes, quæ vlterius semper diuidi possunt (quod intellige de partibus proportionalibus iuxta dicta supra disp. 3. n. 9. de differentia ipsarum à partibus aliquotis) nam si partes ex quibus integratur non sunt indiuisibilia, sed diuisibiles, profecto non poterit secari in partes ita minimas, quin quantum est ex se adhuc non possint diuidi: probatur: nam si deueniretur ad partem minimam repugantem diuisionem, inquiro, aut

aut habet partes aut non? si habet, ergo est diuisibilis in illas, si non habet partes, ergo est indiuisibilis, sicut punctus, atque adeo continuum constabit ex solis punctis, cuius contrarium probauimus.

7. Inquires, *An detur prima & vltima pars motus ac primum & vltimum mutatum esse in ipso?* ℞. negatiue ad vtrumque cum Philosopho hic: & ratio est: quia nulla est pars motus, quæ non sit vlterius diuisibilis, ergo non potest assignari prima aut vltima pars eius: probatur conseq. nam illa pars non est prima aut vltima, qua potest assignari prior aut posterior, sed omni parte motus potest assignari prior & posterior: nam omnis pars eius est diuisibilis in partes, quæ secundum prius & posterius sibi succedunt, ergo &c. Et per hoc patet ad secundum: quia primum *mutatum esse* est indiuisibile continuatiuum partium motus præsupponens primam partem ipsius, ergo cum non sit assignabilis prima pars motus, neque primum mutatum esse. Et idem cum proportione dicendum est de vltimo.

QVÆSTIO II.

Quomodo res incipiant & desinant esse?

8. Nota duos esse modos incipiendi rerum & duos desinendi, vnus incipiendi est per *primum sui esse*, alius *per vltimum sui non-esse*. Desinendi alius est *per vltimum sui esse*, & alius *per primum sui non-esse*, duo ex his modis sunt intrinseci scilicet incipere *per primum sui esse* & desinere per vltimum sui esse: quia tam primum instans, quo incipit, quàm vltimum quo durat intrinsece pertinent ad durationem, eamque componunt. Alij duo sunt extrinseci: quia *vltimum non esse & primum non esse* sunt extra durationem rei: nam sunt ea instantia quæ vel immediate præcedunt vel subsequuntur esse rei.

Incipere *per primum sui esse* explicatur per hoc quod verum sit dicere: *nunc est res & immediate ante non erat* desinere *per vltimum sui esse* explicatur sic: *nunc est res & immediate post non erit.* Incipere autem per *vltimum sui non esse* sic explicatur: *nunc res non est & immediate post erit.* Desinere per *primum sui non esse* explicatur: *nunc res non est & immediate ante erat.* His præmissis,

9. Sit prima conclusio, *omnia successiua incipiunt extrinsece per vltimum sui non-esse; & desinunt etiam extrinsece per primum sui non-esse.* Est iuxta communiorem modum sentiendi, & probatur, quia in primo instanti non est motus, sed erit, sicut in vltimo instanti, quo terminatur iam non est, sed transiuit; sed hoc est incipere & desinere per instantia extrinseca, ergo &c.

10. Secunda conclusio, *Omnia permanentia quæ producuntur in instanti, & non exigunt produci partem post partem, incipiunt intrinsece per primum sui esse; atque iuxta naturæ ordinem desinunt esse seu corrumpuntur, desinunt esse extrinsece per primum sui non-esse.* Probatur *primum*: nam productio rerum permanentium fit in instanti & tota simul, vt dicemus in libris de generat. ergo incipiunt in instanti, in quo verum est dicere: *nunc res est & immediate ante non erat*; sed hoc est incipere intrinsece, ergo &c. Probatur *secundum*, quia quæ naturæ ordine corrumpuntur: præsertim ad productionem alterius rei permanentis, desinunt esse ad productionem illius,

quod incipit per *Primum sui esse* ergo desinunt extrinsece per primum sui non esse: alias in eodem instanti & daretur forma ligni verbi gratia desinentis & forma ignis incipientis, quod implicat, ergo ad hoc vitandum asserendum est, illud instans intrinsecum ignis incipientis, quod est *primum sui esse* esse extrinsecum ligni desinentis & *primum sui non esse*.

11. Sed contra Argues. Per nos incipere per *vltimum sui non esse* consistit in eo quod verum sit dicere: *nunc non est motus, immediate tamen post nunc erit*, ergo verum est dicere *immediate post nunc erit*, ergo immediate post verum erit dicere de præsenti *: nunc est & immediate ante non fuit*; sed hoc est incipere intrinsece per *primum sui esse*; ergo etiam res successiuæ incipiunt intrinsece: probatur sequela ex Aristot. docente, omnem propositionem de præterito vel de futuro resolui in suam *de in esse* idest de præsenti. Nec enim potest dici: *Petrus fuit*, nisi aliquando potuerit dici: *Petrus est*, ergo si nunc potest dici: *motus non est & immediate post nunc erit*, poterit postea dici, *nunc est motus & immediate ante non fuit*: quia hæc est propositio æquiualens priori, mutata tamen futuritione in actualem existentiam, ergo etiam motus & quælibet res successiua incipit per *primum sui esse*. Ideo argumentum potest fieri mutatis terminis ad probandum motum desinere *per vltimum sui esse*. Item ad probandum res permanentes incipere etiam per *vltimum sui non esse*: nam si verum est dicere: *nunc est Angelus & immediate ante non fuit* ergo immediate ante potest de eo dici: *nunc non est Angelus & immediate post erit*, quod est incipere per *vltimum sui non esse*: quia non potest esse de præsenti vera propositio affirmans præteritionem, si nunquam ea præteritio seu res, quæ dicitur præterita potuit de præsenti affirmari.

Respondeo ad hoc vltimum de rebus permanentibus, quòd quia habent instantia intrinseca suæ inceptionis & desitionis, superfluum esset recurrere ad instantia extrinseca. Quod secus contingit in successiuis. Vnde ad primam partem argumenti. ℞. quòd quando affirmo: *nunc non est res successiua & immediate post erit*, illud *post immediatum*, quod affirmo futurum, non est instans motus aut temporis: non enim sequitur instans post instans: alias constaret ex solis indiuisibilibus; sed est pars; & cum in rebus successiuis non sit assignabilis prima pars, nec etiam est assignabile aliquod determinatum, de quo possim affirmare: *nunc est motus & immediate ante non erat*. Propterea solum assignamus ipsis instantia extrinseca inceptionis. Et idem dico proportionabiliter de inceptione.

DISPVTATIO VII.

In octauum librum Physicorum Aristotelis.

MVLTI interpretes Aristotelis librum septimum vt suppositum & non Aristotelis reiecerunt, eo quod eius & huius octaui libri argumentum & institutum fere idem sit, videlicet dari in rerum natura vnum primum motum ab vno primo motore procedentem; sed dato quòd Aristotelicum opus sit quia tamen omnia, quæ in ipso tractantur, vel in

hoc

hoc octauo libro, vel in libr. de generat. disputabimus, propterea eius tractationẽ prætermittimus. Et in præsenti agemus de mundi duratione & principio; de motu grauium & leuium & de motu proiectorum. Sit ergo quæstio 1.

QVÆSTIO I.

An mundus fuerit vel potuerit esse ab æterno?

1. NOn fuisse est de fide ex illo Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram*, ergo cœlum & terra habuerunt principium. Item ex Ioan. 17. *Clarifica me Pater claritate quam habui prius quàm mundus fieret.* Ex Prouerb. 8. *Antequam quidquam faceret à principio, cum eo eram cuncta componens.* Ergo fuit instans aliquod in quo nondum Deus quidquam produxerat. Eadem veritas definita est in capite. *Firmiter summ. Trinit. & fide Catholica*, vbi docetur esse vnum Deum, qui vtramque ab initio de nihilo creauit creaturam Angelicam & mundanam. Verùm Aristoteles hic pro certo habuit, mundum ab æterno fuisse, quem sequuti sunt antiquiores interpretes Simplicius, Auicena & Auerroes. Argumenta pro ipso nulla sunt quia cum Deus operetur libere (credidit enim Aristoteles Deum ex necessitate operari) etiamsi potuerit (de quo statim) non tamen tenebatur producere; nec vlla potest esse ratio naturalis, qua vel apparenter possit probari, debuisse esse ab æterno.

De possibili est grauis difficultas: vtrum scilicet potuit mundus esse ab æterno? ita vt non fuerit Deus prior duratione illo? Scotus 2. d. 1. quæstio 5. per totam problematice se habet circa resolutionem huius difficultatis. Pro qua oportet prius distinguere duo genera entium, vnum permanentium, quæ simul absque successione producuntur: vt sunt Angeli, materia prima, animæ rationales & similia. Aliud successiuorum, vt motus & tempus & quæ per generationes se multiplicant.

2. Sit prima conclusio, *Res permanentes per potentiam Dei absolutam potuerunt produci ab æterno, & ita mundus quoad illas potuit esse ab æterno.* Est communis & non potest meliori ratione probari, quàm ex eo quòd non implicat contradictionem, & vt in simili pluries diximus, omne tale fatendum est, esse Deo possibile, ergo & res permanentes produci à Deo ab æterno. Maior probatur solutione argumentorum.

3. Obiicies *Primo*, omnis creatura debet produci ex nihilo, creatio enim est productio ex nihilo, ergo ante omnem creaturam debet præcedere nihilum illius, atque adeo non potest esse ab æterno ℞. facile ly *ex nihilo* non significare idem ac ex carentia antecedenti sui, sed negare concursum subiecti, quod verum esset ab æterno. Aliam responsionem habet Scotus 2. d. 1. q. 2. n. 3. vide ibi.

Obiicies *Secundo*, si aliqua creatura fuisset ab æterno, necessario & sine libertate fuisset producta à Deo; sed hoc implicat, ergo probatur sequela: quia non fuit instans ante illius productionem, in quo Deus potuisset esse indifferens ad illam non producendam. Debile argumentum, quo etiam probaretur, Deum ab æterno non habuisse actus liberos de creaturis

ris in tempore futuris : quandoquidem non præcessit instans, in quo Deus non haberet eos actus, ergo non fuit liber ad eos habendos : hæc est obiectionis consequentia : ℞. ergo prioritatem temporis non requiri ad libertatem, sed prioritatem naturæ. Vnde in eodem instanti, in quo est actus liber potuit non esse, & ad hoc solum requiritur, vt quæ se tenent ex parte causæ non habeant necessariam connexionem cum eo actu. Et hinc fit Angelum in primo instanti suæ creationis potuisse libere operari & sic peccare. Potuit itaque Deus libere producere creaturam, etiamsi tempore non exstitisset ante illam.

4. Obiicies *Tertio*, si productus esset ignis ab æterno applicatus stupæ, vt bene posset, sequeretur, quod combureret & non combureret ipsam, quod implicat, ergo non posset sic produci. Probatur sequela : quia combureret, quandoquidem esset causa naturaliter agens : nam secundum Augustin. 6. de Trinitat. capite 1. si ignis esset æternus, etiam splendor qui gignitur ab igne esset æternus; non autem combureret : quia ante introductionem formæ ignis supponitur esse forma stupæ & quidem positiue; sed nihil potest esse positiue ante illud quod producitur ab æterno vt de se constat, ergo non combureret, non igitur posset esse ab æterno : ℞. neg. sequelam & probat. eius pro priori parte : quia licet possit causa naturalis habere effectum suum ab æterno, si non adsit impedimentum ipsius : vt contingeret in effectu assignato ab August. non enim splendor aut lux habet contrarium quod productionem eius impediat; non autem si adesset impedimentum, qualiter in casu argumenti: nam esset forma stupæ ab æterno, quæ incompatibilis est cum forma ignis. Quare sicut ignis non potest in tempore producere formam suam in stupa applicata quomodocumque pro vllo instanti, pro quo forma stupæ existit in stupa : quia alias duæ formæ substantiales non subordinatæ essent simul in materia, quod implicat vt supra diximus, quandoquidem in casu nostro supponatur forma stupæ esse in materia stupæ ab æterno, non potest in ea esse forma ignis ab æterno: alias ab æterno haberet vtramque formam.

5. Obiicies *Quarto*, si aliqua creatura producta esset ab æterno, non posset Deus per totam æternitatem illam destruere : implicat enim aliquid ab æterno existere & non durare per æternitatem; sed consequens est absurdum : quia Deus in quocumque instanti conseruat libere creaturam & posset illam destruere, ergo antecedens est falsum. Et confirmatur, quia talis creatura posset & non posset corrumpi, quod implicat; non posset vt probatum est; posset autem, quia omnis creatura ex se est corruptibilis ergo &c. ℞. neg. mi. nullum enim absurdum est, neque aliquam necessitatem antecedentem ad decretum liberum Dei arguit in Deo conseruandi creaturam, quòd Deus nequeat eam destruere per totam æternitatem, ex suppositione, quod eam ab æterno creauerit : nam necessitas illa non est absoluta, sed ex suppositione quod Deus libere voluit illam ab æterno producere : quod est idem formaliter ac velle illam per æternitatem conseruare : nam in his quæ ab æterno producuntur nec per intellectum secerni potest conseruatio à productione : nam vltra quod conseruatio dicitur communiter continuata productio,

productio, licet in rebus productis in tempore possint considerari vt distincta, vbi productio dicit seu connotat primum instans in quo existit res producta, non tamen in rebus productis ab æterno in quibus non est instans quod sit primum suæ durationis. Quare tam ex parte actus quàm ex parte obiecti idem est decernere Deum, creaturam ab æterno producere & eam per totam æternitatem conseruare. Imo sicut nemo dicet esse contra libertatem Dei non posse per æternitatem creaturam destruere quam decreuisset per æternitatem conseruare, ita nec quam ab æterno produxit. Et ex hoc patet ad confirmationem, quia non posset corrumpi ex suppositione productionis sui ab æterno, quod est esse incorruptibilem extrinsece; & posset absolute & quantum est ex sua natura, quod est esse corruptibilem intrinsece. Vnde in diuerso sensu posset & non posset corrumpi, quod non implicat.

Obiicies *Quinto*, si creatura aliqua esset ab æterno producta, esset æqualis Deo in æternitate, quod repugnat, ergo &c. ℞. creaturam illam longe abfuturam ab æternitate Dei, licet tamdiu duraret, quamdiu Deus: quia hoc haberet creatura accidentaliter. Item esset capax vt in tempore destrueretur; Deus autem à se ipso essentialiter petit ab æterno durare, & in æternum sine capacitate destructionis.

Secunda conclusio, *Res successiuæ, verbi gratia, tempus & motus & generationes rerum corruptibilium sibi inuicem succedentium non potuerunt esse ab æterno, quare neque mundus quoad illas potuit esse ab æterno.* Hanc conclusionem tenent authores omnes qui lib. 3. negant posse dari vllum infinitum categorematicum seu in actu; pro qua est eadem & similis ratio: quia eædem contradictiones inferuntur ex positione æternitatis successiuorum quorumcumque, ac ex positione vllius infiniti actu: cum enim motus ille qui esset ab æterno vsque in hanc diem esset simpliciter infinitus & quoad omnem partem sui productus actualiter, ac propterea includeret infinitas partes æternitatis & æquales vni certæ parti, quod nullus negat: tempus enim æternum includeret infinitos dies & motus æternus infinitas partes correspondentes motui horario aut diurno; hinc est inter eas fore tot partes maiores quot minores, verbi gratia tot annos, quot menses. Et sic in tali tempore vel motu pars esset æqualis toti, adeoque totum non esset totum. Item essent in vno tempore vel motu infinito plures partes quàm in alio, qua ratione vnum infinitum esset maius alio ac proinde non infinitum, v. g. infinita duratio annorum haberet plures dies quàm infinita duratio mensium: cum annus haberet plures dies quàm mensis. Eædem igitur contradictiones inferrentur ex positione huiusmodi æternitatis successiuorum, quæ inferuntur ex positione vllius infiniti actu. Vide quæ diximus supra disp. 3. num. 15. Et Vallesium de Sacrâ Philosophia c. 1.

Nec obstat quòd omnes partes rei successiuæ non existant simul: nam motus continuus per annum v.g. est categorematice maior, quàm motus continuatus per decem menses quamvis partes eius non existant simul. Et potest categorematice dici de ipso, quod includat tot partes determinatas æquales vni certæ parti, ergo similiter motus æternus potest dici quòd includat categorematice infinitas partes determinatas, licet omnes tales partes non existant simul.

7. Opposi

7. Oppositam sententiam tuentur in præsenti Complutenses, cum lib. 3. sustinuerint cum sententia communi, repugnare infinitum vllum in actu, quos propterea non minus in consequenter processisse notare possemus, quàm eò quod asserentes hic posse esse ab æterno reliquas generationes & corruptiones, hoc negant de humana: nam vt manifeste probat noster Poncius hic num. 59. eadem prorsus est ratio de ista ac de reliquis: quia vt nuper dicebamus, non minus repugnat infinitum actu, cuius partes sibi succedunt, ac cuius partes simul existunt, ergo vel non repugnant animæ rationales infinitorum hominum simul existentium, vel repugnat etiam formæ cæterorum animantium, quarum vnæ desinerent ad introductionem aliarum: omnes enim contradictiones quæ opponi possunt contra illas, possunt & contra istas.

Dubium.

An mundus in æternum durabit.

8. Inquires: *An mundus sit in æternum duraturus*? Resp. Affirmatiue: Quod debet intelligi quantum ad exigentiam petitam ex eo quod non possit perire actione vlla causarum naturalium, aut defectu virtutis alicuius, quæ ad eius conseruationem necessaria sit; & etiam quia connaturaliter exigit influxum conseruatiuum Dei, sic vt miraculum censendum esset, si Deus nollet influxum illum præstare: quemadmodum miraculum esset, si non conseruaret semper Angelos & animas rationales semel productas.

Probatur: nam corpora Cœlestia, animæ rationales & materia prima non dependent ab vlla causa creata in fieri aut conseruari: cum sint effectus solius Dei creantis; Nec possunt destrui per actionem aliquam positiuam, sed solum per subtractionem influxus, quo conseruatur à causa prima. Quem concursum æque connaturaliter petunt ex natura sua pro omni tempore futuro in æternum, ac pro tempore præsenti: Est enim eadem ratio quoad vtrumque, ergo quantum ad ista mundus non potest naturaliter perire. Rursus materia prima nequit esse naturaliter absque vlla forma, vt constat ex dictis in lib. 1. & proinde quoties, desinit vnum indiuiduum, debet produci necessario aliud, ergo fieri nequit quin hæc sublunaris mundi pars repleta sit corporibus, sicut de facto est. Item non videtur imaginabile quâ ratione inuerti possit naturaliter ordo, quem de facto habent partes principaliores mundi, ità scilicet vt terra non sit sub aqua hæc sub aere, aer sub igne, ignis sub Cœlo lunæ, & orbes Cœlestes eo modo, quo de facto sunt. Igitur mundus quoad omnia ista exigit ex natura sua in æternum durare. Nec est ratio ad negandum, quod durabit etiam in æternum: nam si miraculum esset quod periret, nec constat ex scriptura, quod Deus facturus sit tale miraculum, potius censeri debet, quod sit conseruandus in æternum, quam oppositum. De quo videndus noster Poncius in libris de Cœlo & mundo disp. 50. q. vltima & Suarez tomo 2. in 3. p. disp. 58.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

Vtrum Grauia & leuia moueantur à se ipsis?

9. RAtio dubitandi pro parte negatiua sumitur ex Arist. hic capite 4. & aliis in locis vbi expresse docet, nihil moueri à se primo, *sed quidquid mouetur ab alio mouetur.* Imo ex hoc principio colligit dari primum motorem à quo res omnes productæ moueantur. Dicere ergo quod grauia & leuia moueantur à se ipsis non solum erit contra Aristotelem, sed reddit etiam inanem & futilem rationem, quâ vtitur ad probandum dari, vnicum primum motorem. Item secundo de anima text. 3. docet; moueri à se esse officium vitæ; sed grauia & leuia inanimata non habent vitam, ergo &c.

Propter istas & alias rationes, quæ adduci solent D. Thom. 1. p. quæstio. 18. art. 1. cum suis tenet, grauia & leuia non moueri à se ipsis tanquam à causis principalibus immediatis, sed ab aliquo extrinseco: quod non dicunt esse remouens, prohibens, aut impellens (vt nonnulli dixerunt) quia tale est causa per accidens, quæ reduci debet ad causam per se, neque influentiam cœli: quia esset negare causas particulares; sed dicunt esse ipsum generans, quod licet causa principalis sit motus sursum leuium & motus deorsum grauium, vtitur nihilominus ad hoc præstandum forma ipsorum corporum & grauitate & leuitate tanquam instrumentis, non secus ac proiiciens lapidem vtitur ad mouendum ipsum impulsu; sed de censura huius sententiæ ac vera intelligentia Philosophi consulendus est Vallesius de Sacra Philosophia c.47. ad illud Iob: *Qui ligat aquas &c.* in fine.

10. Sit nostra conclusio: *Grauia & leuia non à generante, sed à se ipsis mouentur* ita Scotus 2. dist. 2. quæstio 10. sequuntur discipuli & plures alij. Probatur à priori: Ab illo dicitur res moueri, quod respectu eius motus habet principium actiuum, sed grauia & leuia respectu suorum motuum naturalium habent principium scilicet grauitatem & leuitatem teste Aristotele in hoc libro tex. 32. & 4. Physicor. capite de vacuo, ergo mouentur à se ipsis.

11. Respondent Thomistæ grauitatem & leuitatem esse quidem principia actiua motus, sed instrumentalia, non vero principalia. Sed contra: quia non minorem proportionem habet forma ignis, verbi gratia simul cum leuitate ad motum sursum, quàm forma viuentis simul cum potentia vitali ad operationem vitalem, verbi gratia ad augmentationem vel motum progressiuum; sed forma viuentis & potentia vitalis augmentatiua vel progressiua in omnium sententia est principium actiuum principale motuum vitalium, ergo idem erit dicendum de formis grauium & leuium respectu suorum motuum naturalium. Deinde si grauitas & leuitas vllo modo sint principium actiuum talium motuum gratis dicitur quòd non sint principium principale: & posset ita facile dici, quòd intellectus non sit principium principale intellectionis, & voluntas volitionis.

12. Rursus probatur, quòd generans nullo pacto possit esse principium horũ

motuum: nam ex Aristot. 2. physicor. effectus in actu requirit necessario causam in actu, sed sæpe contingit grauia & leuia actu moueri, quando eorum generans iam non existit; ergo generans nullo modo est principium aut causa talium motuum. Et confirmatur *Primo* quia non minus naturale est igni calefacere, quàm moueri sursum, item & aquæ reducere se ad pristinam frigiditatem, quàm moueri deorsum, ergo sicut à se ipsis & non à generante ignis calefacit & aqua frigefit, ita à se ipsis & non à generante mouentur ignis sursum & aqua deorsum. Confirmatur *Secundo*, quia gratissime & absque vlla prorsus necessitate recurritur in his productionibus ad generans; & æque posset ad ipsum recurri in omnibus causarum secundarum productionibus, quod absurdum fatebuntur ipsi aduersarij, probatur antecedens, quia vel ideo recurritur ad generans tanquam causam principalem, quia communicauit his mobilibus virtutem instrumentalem siue actiuam, siue passiuam, vel quia repugnat idem moueri à se tanquam à causa principali, & quia alia causa principalis assignari nequit, propterea ad generans fit recursus; sed neutrum ex his capitibus sufficit; non primum: quia etiam generans communicauit agentibus quibuscumque omnem virtutem, quam habent, & consequenter ipsi tanquam causæ principali deberet omnis actus ab illis virtutibus procedens attribui; nec etiam secundum: quia non magis implicat, aliquid mouere se motu physico, quàm mouere aliud, cuius non apparet disparitas assignabilis. Item quia ipsimet aduersarij fatentur aliquid posse mouere se motu intentionali tanquam causa principalis & totalis videlicet voluntas producens in se volitionem, ergo & motu physico etiam.

13. Ad hoc respondent dupliciter, *Primo* ad hoc vltimum, voluntatem non moueri à se tanquam à causa principali ad aliquam volitionem, nisi vt afficitur alia volitione anteriori, primam autem volitionem determinatiuam ipsius ad alias volitiones in se producendas esse volitionem finis, quæ volitio in ipsa producitur ab authore naturæ. Sed de hoc est specialis disputatio cum ipsis in Theologia tractatus de actibus humanis. Et interim contra est, quod volitio talis est libera, ergo non potest non se mouere voluntas ad illam, eo modo quo ad reliquas; nec sufficit si dicas, esse liberam elicitiue, non vero applicatiue: nam actus necessarij voluntatis etiam sunt ab ipsa elicitiue, ergo si volitio finis libera est elicitiue, etiam applicatiue est à voluntate.

14. Respondent *Secundo*, ideo recurri ad generans in his motibus: quia cum genitor alicuius grauis aut leuis in instanti generationis tribuat ipsis suum proprium esse, debet etiam tribuere ipsis quidquid ad naturalem eorum dispositionem in eo instanti spectat: alioquin in necessariis deficeret, sed esse in loco ipsis connaturali spectat ad naturalem eorum dispositionem, ergo hoc tribuendum est ipsis à generante, & consequenter motus quo postea, eo peruenitur, ipsi adscribendus est: quia ab eodem principio à quo oritur aliquis terminus, debet esse motus ad illum, & quia alias deficeret generans in necessariis non tribuens generato motum, qui est via ad acquirendum motum naturalem, quem deberet ipse tribuere.

Sed

Sed contra quia posset impediri à dando illi illam perfectionem & deficere in necessariis ob tale impedimentum : sicut contingit in pluribus generationibus , è quibus oriuntur monstra : verbi gratia homo sine aliquo pede vel manu , vel cum alio defectu ; & sane magis necessarium est homini habere suos oculos & reliqua membra , quàm lapidi esse in suo centro , ergo non est ita necessarium quod generans tribuat omnem dispositionem naturalem, quin possit in aliquibus necessariis deficere.

Sed nihilominus ℞. dist. conseq. debet tribuere ipsis , quidquid ad naturalem dispositionem spectat vel immediate vel mediate , hoc est quatenus dat ipsis virtutem , qua mediante , ipsamet possunt , ablatis impedimentis , reducere se ad illum statum , concedo conseq. immediate , nego conseq. sufficit enim vt non deficiat in necessariis , quòd det ipsis illud vel immediate vel mediate , & concessa mi. subsumpta dist. similiter consequens. Quæ doctrina meo iudicio verificatur euidenter ex confirmatione priori superius adducta in probatione conclusionis : non enim magis naturale est lapidi , aut magis ad complementum naturale eius spectat esse aut moueri ad suum locum naturalem , quàm igni calefacere , aquæ frigefieri , homini intelligere , velle , & augere se ; sed omnes istæ actiones non attribuuntur per se generanti , sed ipsis mobilibus , quæ verè sunt principia *quod* talium actionum , ergo similiter grauia & leuia respectu suorum motuum naturalium sunt principia principalia immediata , nec opus est recurrere ad generans.

15. Ad rationem dubitan[illegible] ductam ex Arist. ℞. illud dictum: *Nihil mouetur à se*, vel *quidquid mouetur , ab alio mouetur* non esse intelligendum de solo actu secundo : alias falso concederet Aristoteles & contra se ipsum , viuentia moueri à se ipsis ; sed esse intelligendum de motu vel quoad actum secundum vel quoad actum primum , ita vt sensus sit : quid mouetur in mundo vel moueri ab alio : vt contingit in proiectis ; vel si mouentur in actu secundo à seipsis vt contingit in viuentibus secundum omnes & etiam in grauibus & leuibus secundum nos , saltem non habere à se formam seu virtutem , qua se mouent , sed illam recepisse per motum ab alio. Et quòd hæc sit mens Aristotelis patet ex fine , ad quem assumpsit hanc propositionem , nempe ad demonstrandum dari vnum primum motorem & vnum primum motum : hæc enim conclusio optime deducitur ex hoc principio : scilicet omne quod mouetur in mundo vel mouetur in actu secundo ab alio , vel si mouetur in actu secundo à se , saltem formam vel principium motus non habet à se , sed receptum ab alio. Ex hoc enim recte infertur vel dandum esse in his , quæ mouentur processum in infinitum , vel dari vnum primum motum & vnum primum motorem qui à nullo mouetur , eo quod principium motus habet à se & non receptum ab alio , per alium motum priorem. Ad aliud Aristotelis 2. de anima , ℞. esse verum in his , quæ mouentur sponte nec ad hanc vel illam partem , de quibus ibi loquebatur Philosophus. Quod etiam debes notare vt explices Philosophum hic tex. 33. asserentem grauia & leuia non moueri à se ipsis , sed à generante vel à tollente impedimen-

tum: nam si aduertas contra positionem quam facit inter grauia & leuia contra agentia animata, facile constabit, non esse contrarium nobis. Vide Poncium disputatio. 48. numero 9. & Vallesium, vbi supra.

16. Inquires: *Quid sint grauitas & leuitas; & an sint res distinctæ à substantia graui & leui?* Ad *primum* ℞. grauitatem esse virtutem illam à qua habet corpus, si ponatur supra aliud corpus fluidum, descendere sub ipso, sicut habet lapis, si ponatur supra aërem aut aquam descendere sub ipsis; leuitatem vero esse virtutem, qua corpus aliquod ex se, si ponatur sub alio corpore, mouet se supra illud, sicut aër, si includatur in vesica, & ponatur sub aqua, mouet se supra aquam.

17. Ad *Secundum* probabilius existimo, non distingui realiter à rebus grauibus & leuibus, sicut de potentia loco-motiua & aliis materialibus communior sententia tenet in lib. de anima: ratio est quia nullum est argumentum ad probandum grauitatem esse qualitatem distinctam: eam enim in se non cognoscimus neque sentimus, sed ex effectu nempe ex motu deorsum aut ex impulsu producto; hæc autem non ostendunt causam illius esse distinctam à substantia. Et confirmatur in nostra sententia non distinguente in animali & viuentibus potentias ab ipsa anima, etiam loco-motiuam, ergo grauitas & leuitas quæ sunt quædam potentiæ loco-motiuæ non distinguuntur à substantia mouentis. Nec obstat, quod formæ substantiales non sint eiusdem speciei, grauitas autem est eiusdem speciei in omnibus corporibus: nam bene potest formalitas eiusdem speciei identificari realiter rebus distinctæ speciei: vt animalitas identificatur homini & bruto. Deinde quamvis grauitas sit res distincta à rebus grauibus, si sit eiusdem speciei in omnibus, illa corpora necessario debent conuenire inter se in aliqua ratione vna, ratione cuius exigunt illam qualitatem grauitatis, quæ sit eiusdem speciei in omnibus illis. Et illam possumus dicere quantum ad hanc difficultatem esse grauitatem: vnde formæ substantiales vt dicunt formaliter ipsam, non sunt diuersæ speciei, licet bene secundum alias considerationes.

18. Dices, in venerabili Eucharistiæ Sacramento datur grauitas specierum, & ibi non est substantia panis aut vini, ergo non potest non esse res distincta grauitas à re graui: siquidem hîc separantur: ℞. ibi non esse grauitatem proprie & in rigore, sed effectum illius, nempe impulsum impressum in corpore, vel motum deorsum, qui causatur à Deo, vt occultetur miraculum; nec hoc est multiplicare miracula sine necessitate, imo potius contraria sententia multiplicat: nam si ponatur grauitas distincta, ea debet conseruari efficienter à substantia rei grauis: non enim resultat aut emanat ab illa, ergo si hæc grauitas conseruatur in Eucharistia, datur duplex miraculum, vnum quòd ea conseruatur sine subiecto, alterum, quòd sine causa efficiente; nos vero vnum tantum ponimus miraculum, quo Deus supplet defectum causæ efficientis substantialis ad producendum in alia corpora sustentantia species, impulsum, & motum deorsum.

QVÆSTIO III.

A quo moueantur proiecta?

PEr *Proiecta* intelliguntur illa corpora, quæ mouentur localiter, non ex virtute sibi innata, qualiter grauia & leuia; sed ex eo quòd aliqua causa extrinseca cum impetu quodam ea aliquo impellat. Et non est dubium quin causa principalis secunda, vnde principium motus proiectorum oritur, sit ipsamet causa impellens; sed difficultas est postquam semel sunt proiecta & separantur à causa proiiciente, à quo moueantur.

19. Sit nostra conclusio, *Proiecta mouentur à proiiciente non immediate, sed media quadam qualitate in eis impressa, quæ à Philosophis impulsus seu impetus appellatur, eo quod causatur medio impulsu seu impetu, quo vnum corpus ab alio localiter impellitur vel impetitur.* Est communis & recepta apud omnes, probatur, quia proiecta mouentur immediate vel à proiiciente vel à se ipsis, vel ab aere medio vel à qualitate illis à proiiciente impressa; sed non à proiiciente tanquam à causa immediata: quia quando proiectum multum distat à proiiciente, adhuc mouetur proiectum, imo etiamsi proiiciens desineret esse in rerum natura: nec etiam mouentur à se ipsis: quia quando lapis proiicitur sursum, mouetur violenter, qui motus nequit causari ab ipso lapide; nec etiam mouetur ab aere: quia sæpe contingit lapidem moueri contra vehementem impetum aeris, quo casu potius esset principium impediens, quàm adiuuans & causans motum, ergo à sufficienti partium enumeratione non nisi ab impulsu seu qualitate aliqua ipsis proiectis à proiiciente impressa mouentur.

20. Obiicies *Primo* Aristoteles 4. Physicor. tex.68. vbi negat posse fieri motum violentum in vacuo, quod negare non posset si existimaret, proiecta moueri à proiiciente medio impulsu seu qualitate impressa, ex hoc ergo negauit, quia tenuit talem, motum causari ab aere medio: ℞. (quidquid dicant alij, Aristotelem argumentari ad hominem contra veteres Philosophos, non ex propria mente) ipsum non posse in nostrum sensum adduci; & ideo dico cum multis aliis, de hac re minus bene Philosophasse, sicut ratio ipsa ostendit, cui magis deferendum est, nam vt ipsemet de suo magistro dixit: *Etsi amicus Plato, magis amica veritas.*

21. Obiicies *Secundo*: non potest ostendi quo pacto desineret ista qualitas, ergo non est ponenda: probatur antecedens, quia nulla forma absoluta desinit in subiecto, nisi per productionem contrariæ formæ, vel per destructionem subiecti aut alicuius conditionis se tenentis ex parte subiecti ad illius conseruationem prærequisitæ, vel per defectum causæ conseruatiuæ; sed nullum horum deficit, neque adest forma contraria, ob quod desinat esse hæc qualitas, ergo &c. ℞. desinere simili modo, quo desinit sonus, quem nemo negat & esse & desinere esse aliquando; & quacumque ratione dicatur desinere sonum, eadem potest dici desinere hanc qualitatem quæ est impulsus, & non potest congruentior assignari, quàm ex eo quòd non petat connaturaliter

conseruari, nisi tanto tempore iuxta conditionem subiecti & circumstantiarum sicut etiam de sono debent Philosophari omnes, de quo suo loco.

Et hæc dicta sufficiant pro nostro instituto, nec quæ restant sunt magni momenti, aut vllo pacto deseruire possunt Philosopho, qui ad Theologiam Sacram progreditur. Quòd si aliquis curiositatis gratia plura de his inquirere velit: vt de *qualitate motus grauium in centrum, an velocior sit in fine quam in medio? An omnia grauia æqualiter descendant deorsum?* Et de *motu proiectorum, an sit velocior in medio? & à quo proueniat motus eorum quando resiliunt?* Consulat Arriagam in lib. de generat. disp. 4. à num. 93. & nostrum Poncium ibidem disputatio. 56. à num. 71. & hic disp. 49. quæstio 2. & 3. qui accurate satis vsque ad experientiam ipsam hæc inquisierunt.

Finis libror. Physicorum.

IN DVOS LIBROS ARISTOTELIS, DE GENERATIONE ET CORRVPTIONE, DISPVTATIONES.

Procœmium.

POSTQVAM *in primâ Philoſophiæ parte (in octo videlicet libb. Phyſicorum) diſſeruit Ariſtoteles de ente mobili in communi ſeu de compoſito ſubſtantiali, vt habet in ſe principium motus vt ſic; & in ſecundâ (ſcilicet in libb. de Cælo & Mundo) de ente mobili ad* Vbi *ideſt motu locali; Iam in hac tertiâ parte de ente mobili motu generationis, ideſt provt habente in ſe principium talis motus, & aliorum qui eidem generationi ſunt aliquo modo annexi, ſermonem inſtituit. Eſt ergo obiectum horum librorum corpus naturale in quantum generabile, eo quod generatio ſeu*

aptitudo

aptitudo ad generari sit pracipua paßio, quæ hîc de corpore naturali demonstratur: sicut aptitudo ad moueri in genere demonstratur de eodem in octo libb. Physicor. Et licet ob hoc sit præcipuum obiectum huius tractatus generatio substantialis. Quia tamen huius notitiam ex accidentalibus acquirimus. De illis etiam à nobis differendum erit. Disputabimus ergo hoc ordine 1. de Generatione. 2. de Corruptione 3. de Alteratione. 4. de Nutritione & Augmentatione. 5. de Actione Physica. 6. de Elementorum mixtione & Contrarietate. Si ergo:

DISPV.

DISPVTATIO I.

DE GENERATIONE SVBSTANTIALI.

GENERATIO latè sumpta significat idem quod productio rei ex aliquo subiecto, in quo opponitur creationi, quæ est productio entis ex nihilo. Et in hac latâ acceptione est quasi genus ad accidentalem & substantialem, illa est quâ producitur forma accidentalis ex subiecto, hæc quâ producitur substantialis, quæ propriè dicitur generatio. Et de qua est disputatio præsens, propterea dixi, *de generatione substantiali.*

QVÆSTIO I.

Quid sit generatio substantialis?

1. SVppono ex dictis lib. 1. Physicor. n. 13. & 56. dari de facto veram generationē substantialem, & de hac inquirimus rationem formalem. Pro quo recolenda sunt quæ diximus ibidem n. 61. ex quibus habemus productionem formæ, cuius materia non præcessit tempore, esse verè generationem : cum sit productio entis ex subiecto præsupposito saltem prioritate naturæ. Ex quo oritur controuersia (solum de nomine) in præsenti inter authores : An productio, in qua materia præcedit tempore formam, sit distincta in specie à productione, in qua materia solum prioritate naturæ præcedit formam, eò quod ibi priuatio seu non esse termini producti verè præexstiterit in materia, secus vero hic. In quo pars negatiua vt melior eligenda est cum nostro Poncio hic n. 8. quam optime probat ex non variatione actionis seu productionis prouenientis ab agente, siue tempore, siue solum naturâ præexstiterit non agens seu non producens: v.g. eadem illuminatio esset à Sole prius tempore existente, ac modo est ab ipso, qui solum prioritate naturæ præcessit.

2. Est tamen circa hoc alia controuersia aliqualiter de re: Vtrum scilicet hæc præcedentia solum naturæ sufficiat, vt vere & in rigore materia dicatur mutari de non-esse ad esse formę, quandoquidem in ea non vere præexstiterit nō-esse seu priuatio formæ, sed præexisteret nisi adesset forma. Verùm cōtrouersia ista meo iudicio etiam est de nomine : vtrum scilicet illa præexistentia priuationis in materia, quam Poncius, & alij Scotistæ vocant negatiuam, quæ significatur per hoc, quòd priuatio

præexisteret, quamuis positiue non præexstiterit, sit appellanda absolute præexistentia seu præcisio, ob quod materia verè possit dici mutari, atque adeo mutationem esse de ratione cuiuscumque generationis.

In quo, vt propriorem loquendi modum obseruemus partem negatiuam etiam amplectimur. Nec gratis (quidquid dicat Poncius hic num. 11.) excludimus rationem mutationis ab aliquibus generationibus: quandoquidem Philosophus asserens generationem omnem esse mutationem, non cognouit aliquam, in qua materia non præcesserit tempore formam: ipse enim primas productiones rerum existimauit esse ab æterno; nec cognouit alias, quas ex fide nos cognoscimus: vt est illa quæ contingit, quando corruptis accidentibus Eucharisticis, nouum compositum substantiale producitur, vbi simul tempore producitur forma & creatur materia. Est ergo dicendum, non omnem generationem esse mutationem: iuxta ea quæ diximus lib. 1. Physicor. n. 6. & 55. His præmissis,

3. Sic potest definiri generatio: *Est productio compositi substantialis dependens à subiecto tanquam à causa materiali.* In re debet esse communis & teneri ab omnibus qui mutationem non requirunt essentialiter ad generationem. Nec multum curandum est de diffinitionibus Philosophi propter rationem dictam. Quod si placet de illis inquirere, videatur Poncius hic à n. 1. Notanter diximus *productio compositi non formæ:* quia hæc, vt alibi diximus, non tàm generatur, quàm congeneratur: terminus enim per se intentus à generatione totum est, non forma; per ly *dependens à subiecto* excluduntur omnes creationes; nec existimes non includi in hac definitione generationem hominis, cuius formæ productio nempe animę rationalis non depēdet à subiecto, cum creetur: nam productio compositi nempe hominis à materia quidem dependet: Est enim quid constans tam corpore quam anima. Vnde per ly *productio dependens à subiecto* debet intelligi & productio compositi, cuius forma educitur de subiecto, & cuius non educitur etiam, dum in subiecto producatur, & subiectum seu materia sit altera pars constituens compositum, quod producitur. Cum qua explicatione omnem omnino generationem comprehendimus; nec opus est ad improprium loquendi modum recurrere de præexistentia negatiua priuationis in materia, ob saluandam cum Philosopho rationem mutationis in omni generatione.

QVÆSTIO II.

Quis sit terminus per se generationis forma, vnio, an compositum?

4. NOtandum & supponendum, vnionem, formam & compositum non accipere esse in generatione per plures & distinctas actiones, sed per vnicam tantum (loquor de forma, quæ educitur de potentia materiæ:) eductio enim formæ ex potentia materiæ, vnio ipsius cum materia, & actio terminata ad totum non sunt actiones inter se realiter distinctæ, sed vnica tantum provt in diuersis instantibus seu signis naturæ considerata. Quod sequitur ex dictis lib. 1. Physicor. q. 11. & 2. q. 5. vbi ad vitandam superfluitatem diximus, non esse ponendā in materia aliam causalitatem respectu formæ, quæ ex eius potentia educitur, & aliam respectu compositi, quod constituit. Et probatur ratione sic: quia si hæc diuersis actionibus fierēt, sane forma posset manere educta, quin esset vnita, & vnita quin

quin resultaret totum, quod est falsum ergo &c. probo sequelam : quia omne prius natura alia, distinctum ab illo & diuersa actione productum potest manere sine posteriori ; sed forma vnita vt vnita distinguitur realiter & est prior natura composito, ergo posset manere sine productione totius, si diuersa actione fieret ab illa, qua fit totum.

5. Sit ergo conclusio, *Tam forma quàm compositum est terminus per se generationis, forma tamen est terminus formalis & vt quo, compositum vero terminus totalis & vt qui.* Est communis & probatur prima pars quantum ad compositum. Illud est terminus per se primarius & adæquatus generationis, qui primo intenditur à generante & accipit suum esse præcise per talem actionem generatiuam ; sed compositum est huiusmodi, ergo &c. ma. patet, mi. probatur : quia gratia compositi agens intendit & producit formam ; item compositum semper terminat generationem, forma vero non semper : vt patet in generatione hominis, ergo compositum primo intenditur à generante, atque adeo est primarius per se terminus generationis, probatur quantum ad formam : quia aliqua productio terminatur ad formam tanquam ad terminum per se : cum sit entitas creata ; sed non alia quàm generatio, saltem vt plurimum : cum plerumque producatur dependenter à materia, ergo est terminus per se generationis. Et quòd sit terminus formalis, patet : quia talis est quod est formalis ratio essendi termino primo, quale est compositum ? sed forma est talis, ergo &c.

6. Secunda conclusio, *Vnio non est terminus per se generationis, sed tantum concomitans.* Probatur, vnio non est substantia, ergo non est terminus per se productionis terminatæ ad substantiam, ergo neque generationis substantialis. Deinde vnio non est terminus totalis nec formalis generationis substantialis, ergo nullus anteced. patet : quia neque est forma, nec compositum, ergo est terminus concomitans.

Et hæc quæ diximus de terminis generationis substantialis, intellige etiam de terminis alterationis & cæterorum motuum. Eadem enim in omnibus est ratio quantum ad hoc.

QVÆSTIO III.

Quodnam sit subiectum generationis?

NOn procedit quæstio de generatione sumpta, quatenus est relatio : hoc est quatenus est productio actiua vel passiua : sic enim eius subiectum denominationis & inhæsionis erit quod denominatur generans & quod denominatur genitum. Procedit ergo de generatione sumpta pro re genita siue pro effectu, siue pro forma in fieri. Et supponendo ex Aristot. hic quòd materia prima sit subiectum generationis, oritur difficultas satis controuersa: vtrum scilicet materia prima sit subiectum generationis nuda & absque vlla omnino forma ? Et dato quòd non nuda, an debeat habere formam accidentalem, an vero substantialem ? Quam quæstionem sub aliis terminis proponere solent authores: vtrum scilicet in corruptione substantiali detur resolutio vsque ad materiam primam ? Sed isti via resolutionis, nos via compositionis procedimus. Sit ergo dubium primum.

Dubium 1.

An materia prima sit subiectum in generatione vt præuenta aliqua forma accidentali?

Loquimur in præsenti præcise de generatione inanimatorum seu non viuentium. De viuentibus enim est grauior difficultas & in sequenti dubio agitanda: quæritur ergo hic, an accidentia quæ disponunt & concomitantur generationem, subiectentur immediate in materia prima, an vero in toto composito ex materia prima & forma substantiali? Pro quo,

Notandum, non esse dubium de formis spiritualibus & incorporeis, quas certum est apud omnes, non recipi immediate in materia prima; nec de quibuscumque accidentibus materialibus: quia relatiua quandoque subiectantur in materia vt vnio ex parte ipsius ad formam, quandoque in ipsa forma, quandoque denique in ipso toto. Est ergo dubium de formis accidentalibus absolutis corporeis seu materialibus: vt sunt quantitas & qualitas.

7. Sit nostra conclusio, *Huiusmodi accidentia materialia non subiectantur immediate in meteria prima, sed in toto coalescente ex materia prima & forma substantiali. Vnde quando huiusmodi totum resoluitur, resolutio fit vsque ad materiam primam, ita vt nullum accidens quod erat in corrupto, maneat post corruptionem in genito; sed forma substantialis primo & immediate afficit materiam primam, quæ vt nuda est subiectum generationis inanimatorum seu non viuentium*, ita Scotus 2. d. 3. q. 4. num. 5. & d. 11. quæst. 2. Quem sequuntur discipuli paucis exceptis, quorum placitum & intelligentiam Scoti merito explodit Poncius disp. 35. n. 68. est communis etiam inter Thomistas. Contra ferè omnes Iesuitas, Suar. Hurtad. & Arriagam in Physica disp. 5. sect. 2. probatur *Primo* ex Aristot. hic tex. 23. vbi dicit, generationem fieri ex materia, nullo sensibili remanente, ergo sentit Philosophus, illa subiectari in toto composito: alioquin non perirent præcise ex defectu formæ. Respondet Arriaga, non inde inferri, Philosophum sensisse, accidentia sensibilia subiectari in toto composito: nam etiamsi in illo non subiectarentur, possent tamen ab illo pendere in aliquo alio genere causæ vel vt à conditione, & ex eius defectu corrumpi. Sed contra, quia saltem ex hoc dicto Philosophi, quod non negant aduersarij nec istæ auctor, ruit præcipuum fundamentum eorum: nam ex eodem Arriaga num. 19. potissimum inde colligit, quantitatem & qualitates non subiectari in toto, sed in materia prima: quia remanent eædem qualitates ac quantitas in genito & corrupto, ergo cum hoc sit falsum secundum Philosophum, falsa erit etiam secundum eumdem sententia aduersariorum.

8. Probatur *Secundo* ratione à priori susceptiuum quod recipit plures formas secundum ordinem prioris & posterioris, prius recipit formam, ad quam primò est in potentia, quàm cæteras alias; sed materia prima est in potentia ad formas substantiales & accidentales, ergo prius recipit substantialem, quàm accidentales: conseq. patet, ma. est certa mi. probo: prius est esse primarium & esse simpliciter, quale est esse substantiale, quàm esse secundarium & secundum quid videlicet accidentale, ergo prius est esse in potentia ad formam substantialem, quàm ad accidentalem, & consequenter prius recipit.

Respondet idem Arriaga num. 13. esse

esse substantiale non esse semper prius executione, quàm accidentale, imo potius è contrario, natura enim exorditur ab imperfectioribus & progreditur ad perfectiora, vnde prius quam in ligno introducatur forma ignis, introducitur calor & alia accidentia, quæ sunt dispositiones ad ignem. Sed contra: quia esse secundum quid & accidentale etiam in executione præsupponit esse simpliciter & substantiale, siquidem pendet essentialiter ab eo: ad illud de progressu naturæ dico, quòd non vtitur ignis calore ad disponendam immediate materiam: quo enim nudior, eo dispositior est, vt dicemus infra; sed ad destruendam formam ligni, vnde calor nunquam est immediate in materia prima, sed vel in toto corrumpendo, vel in toto de nouo genito.

9. Probatur *Tertio*, proprium est substantiæ subesse accidentibus; sed quod proprie sortitur nomen substantiæ est ipsum compositum habens iam formam & non sola materia ergo non recipiuntur immediate in ipsa materia. Respondet etiam Arriaga n. 26. animam rationalem esse tam perfecte substantiam ac reliquas formas, & tamen in toto constituto per animam rationalem non recipiuntur quæcumque accidentia. Sed contra, quia cum anima sit principium vitæ, solum recipiuntur in toto constituto per ipsam accidentia vitalia, videlicet sensatio, phantasiatio &c. Reliqua vero accidentia quæ sunt quasi mortua videlicet quantitas, calor &c. quia ipsa experientia nos docet post discessionem animæ manere in corpore, ideo asserimus non subiectari in toto constituto per animam sed in alio toto coalescente ex materia prima & forma corporeitatis. De qua dubio seq.

10. Obiicies *Primo*, si aliqua accidentia non manent in materia in instanti corruptionis, ergo forma noua introducitur in materiam omnino indispositam, quod est falsum: ergo probatur, quia materia esset sine vllo accidenti, ergo indisposita: ℞. neg. ma. ad probat. dist. conseq. esset indisposita negatiue idest non habens aliquas dispositiones positiuas conuenientes formæ introducendæ conced. conseq. esset indisposita positiue idest habens dispositiones contrarias neg. conseq.

Sed dices, Prærequiruntur in materia dispositiones positiuæ seu qualitates conuenientes formæ generandæ, ergo probatur anteced. quia materia per habitas dispositiones alicui formæ conuenientes debet determinare agens ad producendam hanc & non aliam, ergo prærequiruntur in materia dispositiones positiuæ probatur anteced. quia si materia per talem dispositionem præuiam non determinaret agens, iam non esset ratio cur agens producat hanc formam potius, quàm illam ℞. neg. anteced. in omnibus argumentis. Et ratio cur agens v.g. ignis in materia spoliata omni accidente producat formam ignis potius quàm aquæ est: quia est agens naturale continens in se formam ignis & non aquæ. Et sic in materia indisposita negatiue producit formam ignis.

Sed instabis contra hoc. Quando agens est æquiuocum productiuum formarum specie distinctarum, non est ratio assignabilis cur v. g. Sol potius producat formam auri quam argenti: cum vtramque æqualiter possit producere: ℞. Solem posse dici determinari ad producendum hunc effectum ex ordine actionum causarum naturalium inter se: qui ordo talis est: quando agens continet in sua virtute plures formas substantia-

les & etiam poteſt producere plures accidentales connaturales iſtis formis ſubſtantialibus; tunc ſi præceſſit vna actio productiua aliquorum accidentium diſponentium ad certam formam, ordo agendi requirit quod agens præmittens illa accidentia producat poſtea formam illam, cui iſta accidentia ſunt connaturalia: v. g. ſi ſol produxit in ligno calorem, qui diſponit ad corruptionem formæ ligni, naturale eſt quod poſt expulſionem formæ ligni producat ignem, cui calor diſponens ad corruptionem ligni eſt connaturalis.

Quòd ſi dicas, iſte calor in ligno antequam forma ignis introducatur, corrumpitur, ergo non magis diſponitur per illum materia ad vnam formam, quam ad aliam: ℞. conceſ. anteced. neg. conſeq. Ideo enim cenſetur diſpoſuiſſe & determinaſſe ſolem ad illam formam ignis producendam, quia calor eſt connaturalis igni potius quam alteri formæ. Et ſi inquiras A quo determinaretur agens ad producendas diſpoſitiones ad hanc formam potius, quam diſpoſitiones ad aliam? Reſpondetur quod ab aliis cauſis circumſtantibus vel ab ipſomet Deo tamquam cauſa vniuerſali: Ad quam pertinet determinare cauſas efficientes quoties ex ſe ſunt indeterminatæ: Et hoc idem debent reſpondere contrarij, ſi inquiratur ab ipſis, vnde habet talis cauſa producere in tali compoſito deſtruendo diſpoſitiones ad vnam formam potius quam ad alteram, vnde quemadmodum quæcumque cauſa productiua formæ ſubſtantialis determinatur ad producendas tales diſpoſitiones potius quam alias: cum tamen ſubiectum, in quo illas producit, ſit ex ſe ad illas indeterminatum, ita poteſt determinari ad producendam vnam formam ſubſtantialem præ alia, quamuis materia ſit indeterminata.

11. Obiicies *Secundo* ad omnem formam ſubſtantialem pro omni inſtanti requiritur aliqua diſpoſitio; ſed alia diſpoſitio eſt qualitas præparans & aptans materiam ad formam recipiendam, ergo in inſtanti generationis primò requiritur aliqua qualitas diſponens: Reſpondetur, duplicem eſſe diſpoſitionem, præuiam & concomitantem: præuia dicitur præparatiua & eſt qualitas remotiua contrariarum diſpoſitionum, quæ obſtant introductioni nouæ, eſtque ſemper in compoſito corrumpendo, quo corrupto ipſa etiam corrumpitur, vt calor in ligno; concomitans quæ conſeruans ſeu conſeruatiua dicitur, eſt qualitas connaturalis ipſius rei genitæ & ſemper in ipſa manet, ſaltem in aliquo gradu quamdiu forma geniti manet. Nunc in forma Reſpondetur ad argumentum conceſſ. ma. ſuo modo. diſt. mi. eſt qualitas concomitans conced. mi. præparatiua neg. mi. quia hæc in quantum remouet diſpoſitiones contrarias & conſequenter diſponit ad corruptionem formæ prioris, dicitur præcisè præparare materiam; non vero quod materia, ſi ſit nuda ab omni forma, indigeret aliqua qualitate ipſam ad formam ſubſtantialem adaptante: quia ex ſe eſt diſpoſita. Quod magis confirmo: quia materia non eſt magis apta & diſpoſita ex natura ſua ad recipiendam formam accidentalem, quam ſubſtantialem; ſed poteſt recipere accidentalem ſine priori adaptante, ergo & ſubſtantialem.

Dices, accidentia diſpoſitiua in eo ſubiectantur quod diſponunt; ſed diſponunt materiam primam & non totum: ipſa enim eſt ſuſceptura formam, non vero totum, ergo ſubiectantur in ea & non in toto. Reſpond. gratis admiſſâ ma. Et dico *gratis*, quia

quia susceptio sacramenti quæ fit in corpore, est dispositio ad gratiam, quæ recipitur in anima. *Sufficit enim* (inquit Scotus 4. d. 1. num. 13.) *quod dispositio & forma sint in eodem supposito.* Ad mi. dico, quod in tantum disponunt materiam, in quantum inhærendo toti, disponunt ad eius corruptionem, ex cuius interitu denudatur materia, in quo consistit eius dispositio ad nouam formam.

12. Obiicies *Tertio*, si non remanet aliqua dispositio in materia, ergo dabitur forma substantialis in aliquo instanti temporis sine aliqua dispositione; hoc est falsum, ergo mi. patet. quia ignis nunquam est sine calore ma. vero probatur, quia non potest assignari causa productiua talis dispositionis. Respondetur neg. ma. cum sua probatione: quia forma rei genitæ in eodem instanti, quo ipsa producitur, producit qualitates sibi connaturales in gradu sufficienti ad sui conseruationem.

Sed Dices, Agens naturale non producit in passo qualitatem intensam in instanti, sed necessario id debet præstare successiue; sed qualitas disponens ad formam substãtialem debet esse valde intensa, ergo non potest produci in instanti generationis. Resp. dist. ma. in passo habente aliam formam contrariam conced. ma. in passo non habente talem, quale est genitum neg. ma. Imo talis dispositio, quæ sunt accidentia conseruatiua formæ, genitæ ab ipsa formâ substantiali genita immediate producuntur, vt diximus 2. Physicor. num. 50. Et ratio est, quia sicut qualitas non habens contrarium v. g. lux producitur in instanti, eodem modo qualitas habens contrarium, si contrarium non adsit, ab agente satis efficaci produci potest etiã in gradu intenso in instãti.

13. Obiicies *Quarto*, si in corruptione non viuentium pereant omnia accidentia, periret etiam & quantitas; hoc est falsum, ergo probatur mi. si periret quantitas, agens naturale posset agere in materiam non quantam; hoc est contra communem experientiam, ergo. Probatur ma. In instanti corruptionis materia non habet vllam quantitatem, quia non illam, quæ erat in corrupto, nec etiam habet quantitatem geniti: quia forma substantialis est prior quam quantitas & vllum accidens geniti, ergo &c. Respondetur concess. ma. neg. mi. Ad probat. Respond. agens naturale tunc non agere in materiam non quantam: quia materia semper: id est in omni instanti temporis est quanta: tempore enim præcedenti instans generationis est quanta quantitate corrupti; in ipso vero instanti generationis quantitate geniti: quia in eodem instanti in quo inducitur forma substantialis, fit compositum, & simul inducitur quantitas, licet quodam ordine naturæ.

Dices. In instanti generationis, agens naturale prius inducit formam, quam ibi sit quantitas, ergo in illo priori agit in materiam non quantam: R. concess. anteced. neg. conseq. quia cum nullum detur instans reale, in quo matèria sit sine forma & consequenter sine quantitate, nec datur instans reale in quo verificari possit, agens naturale agere in materam non quantam. Solum ergo requirit subiectum quantum vel præsuppositiue vel concomitanter, præsuppositiue in productione accidentium, quæ quantitati inhærent, & concomitanter in productione formæ substantialis. Ita Scotus 2. d. 3. quæstione 4. numero 17. & 4. d. 11. q. 3. numero 50. Vbi docet subiectum generationis vt tale non requirere

requirere esse in loco quantitatiue: quia quantitas non est ratio receptiua formæ substantialis, sicut accidentalis, licet concomitetur ipsam quantitas in eodem instanti temporis. Quamuis enim subiectum generationis aliquando præsupponatur quantum: vt patet in generatione hominis propter formam corporeitatis (de qua statim,) hoc tamen ad generationem vt sic est per accidens.

Dubium 2.
Vtrum materia prima sit subiectum in generatione viuentium vt præuenta aliquâ formâ substantiali Corporeitatis.

Duæ sunt his temporibus in solutione huius dubij oppositæ sententiæ. Prima & communissima in schola D. Thom. sustinet nullam substantialem formam mediare inter materiam primam & actum vltimum dantem esse specificum viuentibus; sed dicunt vnam partem viuentis, quæ corpus dicitur, esse solùm materiam primam cum quibusdam accidentibus disponentibus ad animam. Scotus verò cum omnibus suis & vno vel altero Thomistar. formam quamdam substantialem, quam corporeitatis vocat, ponit in materia, per quam corporetur & disponatur ad susceptionem animæ. Quæstio sane grauis & difficilis, quod vel ex vno aduersariorum Arriaga abundè dignoscitur, qui licet difficultatem eius verbis extenuet, re autem auget, tot argumentis & solutionibus excogitatis.

14. Si ergo prima conclusio, *datur in viuentibus forma quædam substantialis corporeitatis præueniens & disponens materiam primam ad introductionem animæ, realiter que ab ipsâ animâ distincta.* Ita Scotus 4. disp. 11. quæst. 3. contra Thomistas omnes, quorum aliqui & sunt fere omnes Iesuitæ, cum ponant accidentia immediate in materia prima, aliter respondent nostris argumentis; aliter vero fideliores Thomistæ cum ponant accidentia non immediate in materia prima, sed in toto composito. Probatur nostra conclusio *primo.* Viuens constat anima & corpore tanquam ex partibus essentialibus; sed corpus illud est substantia quædam composita ex materia prima & formâ corporeitatis, ergo datur talis forma. Probatur mi. non est materia prima, vt concedunt omnes, quia licet materia prima sit pars essentialis materialis tam animati, quàm inanimati, corpus tamen solius animati est pars materialis; non enim potest dici, quod lapis constat corpore & formâ lapidis: Neque hoc pendet præcise ex vsu loquendi (vt respondet Ouiedo Complutens. de Anima controuers. 1. punct. 1. num. 11.) quia nemo potest negare, materiam organizatam, quæ est corpus includere essentialiter aliquid vltra materiam primam; & hoc etiam in sensu proprio & philosophico, ergo corpus non dicit præcise materiam primam etiam philosophice; Nec etiam est materia cum quibusdam accidentibus. Quod probo sic: quia sequeretur quodlibet viuens esse ens per accidens, quod est falsum: probatur; quia illud est ens per accidens, quod essentialiter (intellige, si sit substantia) includit accidentia; sed tunc viuens includeret essentialiter accidentia, ergo esset ens per accidens. Probatur mi. quia viuens constat essentialiter corpore; sed corpus, quod est altera pars eius constat essentialiter accidentibus: cum hæc simul & materia prima constituant essentialiter corpus, ergo, &c.

15. Respondet Arriaga in Physica disp. 3. sect. 6. n. 54. corpus solùm dicere essentialiter & in recto materiam

riam primam: quia hæc solùm est de essentia hominis philosophicè loquendo: accidentia vero solum connotatiue & in obliquo secundum vulgi considerationem sunt de essentia hominis: Sed contra, quia si corpus est de essentia hominis, impossibile est, quin sit de essentia eius quod est de essentia corporis, ergo cum materia constituatur essentialiter in esse corporis per accidētia, hæc nequeūt non esse de essentia hominis: patet quia in hoc distinguitur pars materialis compositi viuentis à parte materiali compositi, quod non est viuens, quod illa includat essentialiter talia accidentia, ob quod materia organizata & corpus dicitur; secus vero ista, ergo cum accidentia ingrediantur tanquam pars essentialis constituens corpus in esse talis, non in obliquo, sed in recto includuntur in ipso.

16. Nec etiam potest dici, esse quid compositum ex materia primâ & animâ secundum aliquam considerationem: quia tunc non posset dici, quod viuens constaret corpore & animâ: sicut non potest dici, quod res alba constat albo & albedine: quia ipsum album constituitur formaliter in esse talis per albedinem. Nec valet si dicas, materiam constitui in esse corporis per animam, non secundum omnes formalitates, quas dicit, sed secundum aliquam ex ipsis, & propterea posse dici: viuens constare corpore, hoc est, materia informatâ ab anima secundum illam formalitatem, & animâ, quatenus anima dicit reliquas formalitates. Nam contra est quod ly *anima* positum in definitione viventis: *Est quid constans corpore & animâ*, dicit omnes formalitates suas; ergo sensus nugatorius esset dicere, quod viuens constet corpore & animâ, si anima secundum vllam formalitatem constituit formaliter corpus, sicut esset dicere, quod coloratum constet colorato & albedine: quia per aliquam formalitatem inclusam essentialiter in albedine constituitur in esse colorati, licet albedo præter illam formalitatem dicat alias formalitates, non ergo potest corpus constitui in esse talis per animam.

17. Probatur *secundo*, quando viuens moritur, non introducitur forma aliqua substantialis ibi, ergo debet manere aliqua antiqua, ne detur materia sine vllâ formâ substantiali. Non dubitat prædictus Arriaga concedere antecedens, & negat conseq. quia sibi valde probabile videtur, posse in aliquo casu manere materiam sine omni forma substantiali; sed postea vt probabilius propter communem authoritatem defendit, introduci tunc formam cadaueris. Contra quam sic argumentor: non est assignabilis causa, à qua talis forma producatur, ergo nulla producitur de nouo, sed antiqua, quam nos dicimus corporeitatis, manet, probatur anteced. quia siue homo ex defectu vel excessu caloris, siue ex defectu, siue ex abundantia cibi, siue ex quocumque alio accidenti moriatur; item si ex defectu concursus Dei in cōseruatione cordis: vt quando ad vltimam ætatis maturitatem accedens intrinseca marcedine ex defectu humidi radicalis perit, semper remanet idem corpus; sed non est possibile eumdem effectum à tam diuersis causis produci. Item casu substractionis concursus minus probabile videtur aliquam formam tunc de nouo produci, ergo non talis noua, sed antiqua corporeitatis manet.

Respondet Arriaga, hoc argumentū nullum esse: quia eadem ratione & nos debemus ponere in igne aliam formam corporeitatis: nam carbo accēsus, in quo iam est introducta forma ignis, siue extinguatur aqua, siue cineribus,

siue oleo calido, siue aqua frigida, siue hoc, siue illo modo, semper tamen manet idem numero carbo. Quis ergo introduxit ibi formam carbonis? Resp. quod in pruna est duplex substantia scilicet carbo porosus & ignis subintrans poros illius, vt in ferro candenti apparet: quod habet Scotus 4. d. 47. quæst. 2. ergo non est eadem ratio de carbone accenso, in cuius poris per exstinctionem desiuit esse ignis, & mansit ipse carbo, ac de homine moriente, cuius forma substantialis discessit, & remanet materia prima sine forma, nisi permaneat in ea forma corporeitatis, quam nos ponimus.

18. Probatur *Tertio*, Grauitas in homine non potest prouenire ab anima: nam anima est principium motus progressiui, qui est contrarius motui deorsum; nec etiam potest prouenire à materia; quia hæc ex se non grauitat, nec leuitat, ergo prouenit à forma corporeitatis. Et confirmatur quia homo cadens è turri, & in aere suffocatus eodem modo descendit, ergo grauitas non oriebatur ab anima.

19. Probatur *Quarto* specialiter contra puriores Thomistas: eadem accidentia sensibilia, quæ fuerunt in homine vivo v. g. manent post eius mortem; sed non in materia secundum ipsos, ergo in composito aliquo ex materia & forma substantiali, quæ erat antea in homine: alias transiret idem accidẽs de subiecto in subiectum, ergo datur talis forma. Respond. quod re vera non sint eadem accidentia, sed similia de nouo producta, idque colligi non per experientiam sensus, sed per discursum, quo sæpe corrigendi sunt errores sensus.

Sed contra, quia non est vllus discursus ex quo colligi possit, quod decipiatur sensus: quod probo sic, quia si essent alia accidentia & non illa ipsa quæ erant antecedenter, deberet esse causa aliqua, à qua de nouo producerentur; sed non est, ergo: probatur mi. ex dictis supra n. 17. si enim non est assignabilis causa, à qua noua forma producatur, nec etiam quæ noua accidentia introducat. Quod vero non detur causa productiua talis formæ, de nouo probatur: quia non causa particularis: vt constat ex ibidem dictis; nec etiam vniuersalis: quia hæc non producit aliquam formam particularem & determinatam, nisi quatenus determinatur à causis vel dispositionibus particularibus; sed non dantur vllæ, quæ determinent ad formam aliquam nouam cadaueris: si enim essent aliquæ, maxime accidentia illa, quæ sunt in cadauere & subiectantur in materia, vt dicunt aliqui ex aduersariis; sed non subiectantur in materia prima, & si subiectantur, adhuc non deberent determinare ad aliam formam omnino dissimilem formæ præcedenti: nam formæ dissimiles exigunt dispositiones & causas determinatiuas dissimiles. Vnde dispositiones illæ, quæ connaturaliter ordinabãtur ad animam non debet dici, quod exigant connaturaliter formam cadaueris nouam, quæ non ordinabatur ex natura sua ad animam, nec habet similitudinem vllam cum anima quantum ad functiones illas, ad quas deseruiebant illa accidentia & dispositiones; Et nisi ipsa forma corporeitatis quam nos ponimus, esset ordinata ad animam, ipsique subordinata, non deberet dici, quod dispositiones illæ quæ conducebant ad introductionem animæ, possent exigere illam formam.

20. Probatur *Quinto* argumento Theologico: quia sequeretur, non esse idem corpus Christi Domini in sepulchro, quod erat vivium sumptum ex Virgine & pendens in patibulo; sed hoc

hoc est contra torrentē S.S. Patrum & Doctorum, ergo probatur sequela, tunc non manet eadem numero substantia, quando non manet eadem forma substantialis; sed anima rationalis, quàm solùm volunt aduersarij, dari in homine, non mansit in sepulchro, sed separata fuit & descendit ad lymbum, & alia noua cadaueris secundum ipsos successit, ergo corpus Christi Domini non mansit idem numero. Respondent, vel corpus Christi Domini esse idem sensibiliter, hoc est affectum eisdem accidentibus sensibilibus, forma, figura, colore &c. sic Iesuitæ omnes ex Suarez, vel esse idem secundum identitatem suppositi diuini, cui etiam in triduo materia erat vnita: sic Thomistæ ex Caietano.

Sed contra *Primum* est, esse omnino falsum, manere eadem accidentia sensibilia, nisi maneret eadem forma: vt constat ex dictis. Deinde si sufficeret ad hoc vt diceretur corpus Christi Domini esse in sepulchro, esse accidentia sensibilia eius, posset dici quòd substātia panis maneat in Eucharistia: quia manent ibi accidentia sensibilia eius omnia, sed hoc est falsum, ergo & illud. Contra *Secundum* est, quia si esse idem in materia & supposito saluat identitatem corporis, ergo idem esset corpus Christi Domini in sepulchro, si formam lapidis aut carnem latronis assumpsisset, quod est falsum. Deinde non esset fundamentum ad redarguendos hæreticos, qui asserebant, corpus Christi Domini in morte eius fuisse resolutum in elementa; probatur, quia hic error non redarguebatur bene à Patribus, per hoc quod dixerunt, idem corpus fuisse sepultum, quod natum ex Virgine, intelligendo per idem corpus, idem suppositaliter, & non etiam formaliter: nam quamvis resolueretur corpus in elementa & succederet aliud phantasticum seu aëreum, vt alij hæretici somniabant, adhuc posset dici, quod esset idem corpus Christi suppositaliter, quod fuit sepultum & natum ex Virgine.

21. Probatur *vltimò* conclusio etiam argumento Theologico desumpto ex Scoto supra. Si aliquis Apostolus consecrasset corpus Christi, quando erat in cruce, similiter & consecraret, quando erat in sepulchro. Inquiro an idem esset corpus Christi in duabus illis hostiis consecratis? Et certum est quod non, si vera sit sententia aduersariorum: nam in hostia consecrata, quando corpus Christi Domini pendebat in cruce, esset verum corpus Christi, quod traxit ex Virgine: quia tunc adhuc habebat animam rationalem, quæ secundum ipsos dat esse corpori; in alia vero hostia consecrata in triduo non esset verum corpus Christi: quia non esset eadem forma, quæ fuit in cruce, sed alia specie diuersa scilicet cadaueris. Plura vide apud nostrum Poncium supra.

22. Obiicies *Primo*. Ex conclusione sequitur, fieri corruptionem substantialem sine generatione sequenti; sed hoc est falsum & contra Philosophum ergo: ℞. fieri partialem corruptionem. Quòd si dicas, generatio vnius est corruptio alterius, ergo quando generatur homo, forma præexistens in materia corrumpitur, ergo non manet in eo vlterius forma corporeitatis: ℞. dist. anteced. generatio vnius est corruptio alterius mediate vel immediate, concedo; immediate semper nego: sufficit enim ad intentum Philosophi, quod materia, quæ iam est in genito, fuerit in corrupto, siue illud corruptum fuerit immediate per formā geniti vltimam, siue non vltimā. In viuentibus autē corruptio formæ præexistentis fit per formā corpo-

reitatis, ac proinde eius generatio est corruptio immediata alterius; at verò per animam aduenientem nihil corrumpitur immediate :.quia est compatibilis cum formâ corporeitatis præexistente, sicut actus cum sua potentia; vna autem forma nunquam corrumpitur per aliam, nisi quia sunt incompatibiles. Et quòd illud Philosophi nequeat stricte intelligi patet:quia aliàs nunquam fieret generatio, quam non præcederet corruptio, & sic iretur in infinitum in generationibus & corruptionibus.

23. Obiicies *Secundo*, sequeretur dari de facto vnum indiuiduum generis de prædicamento substantiæ, quod sub nulla specie substantiæ contineatur; hoc est impossibile, ergo probatur sequela, illud compositum ex materia primâ & formâ corporeitatis est indiuiduum corporis, quod est genus in prædicamento substantiæ, non tamen est sub vlla specie infima: quia non includit formam vltimam, quæ constituat in esse specifico, ergo &c. ℞. neg. ma. ad probat. neg. anteced. quia indiuiduum contentum sub genere substantiæ in recta linea, debet esse physice completum & includere formam specificam seu vltimam. Quod secus est in isto composito.

Sed dices, illud includit totam essentiam corporis de prædicamento substantiæ, ergo: probatur anteced. quia ad illud corpus non requiritur essētialiter, nisi quod sit cōpositū ex materia & forma substantiali sensibili;sed compositum ex materia & forma corporeitatis esset tale, ergo:℞. neg. anteced. & probat. ma. quia requiritur vlterius, quod sit physice completum & constans materia & formâ vltimâ, qualis non est forma corporeitatis,& ita quòd sit substantia vltimate completa.

Instabis,forma corporeitatis non potest contineri sub communi ratione formæ substantialis, quin sit in aliqua vltima specie formæ substantialis,ergo compositum ex tali forma erit sub aliqua vltima specie substantiæ compositæ, ergo non tantum reductiue in genere corporis, sed directe debet collocari:℞.disting.primum conseq.Erit sub aliquâ vltimâ specie substantiæ cōpositæ incompletæ conced. conseq. vltimate completæ neg.conseq.quia etiam secundum aduersarios tam materia quàm forma est in aliqua vltima specie suo modo idest substantiæ incompletæ; nec inde sequitur,quòd ponantur directe in aliquo prædicamento. Similiter illud compositum erit in vltima specie entis incompleti, non tamen ideo sub vltima specie prædicamentali.

24. Obiicies *Tertio*, quod aduenit enti in actu est accidens; sed si daretur forma corporeitatis, anima aduenirer enti in actu: adueniret enim materiæ informatæ & actuatæ per illam formam,propthereaque materia esset ens in actu,ergo non datur talis forma:℞.dist. anteced. quod aduenit enti in actu completo vltimate, transeat, in actu in completo seu non completo vltimate nego.Et ex hoc patet ad reliqua.

Dices, si totum illud esset substantialiter imcompletum & perfectibile vlterius per animam,non posset naturaliter existere absque aliquâ animâ, aut alia formâ substantiali supplente defectum animæ:sed hoc est falsum secundum nos,ergo,probatur sequela: quia ideo materia prima nequit existere naturaliter absque aliqua forma substantiali:quia est ens per se incompletum & per se perfectibile per aliquam formam substantialem, ergo si totum conflatum ex materia prima & formâ corporeitatis est huiusmodi respectu animæ, non poterit existere naturaliter absque vlla

vlla anima, aut alia forma æquiualenti; ℞. neg. sequelam cum sua probatione; sed potius ratio est, quia materia prima est ex se sufficienter disposita ad aliquam formam substantialem & semper ex ordine naturæ applicatur aliqua causa sufficiens ad producendam aliquam formam talem in illa, ac propterea necessario debet habere aliquam formam; totum autem illud quod est constitutum ex materia & formâ corporeitatis non semper habet dispositiones requisitas ad animam aut aliam formam vlteriorem, ac propterea non debet semper ex ordine naturæ habere animam aut aliam formam ei æquiualentem.

Inquires: *An hæc talis forma corporeitatis constet partibus integralibus, heterogen is aut homogeneis?* Arriaga supra, existimauit Scotũ ponere vnicã formã corporeitatis; sed re vera cũ Scotus non possit asserere hanc formam esse indiuisibilem, sed partibus pluribus integralibus constare; solum posset esse dissidium eius cum recentioribus (quod excogitauit prædictus Arriaga) an hæ partes sint eiusdem rationis & homogeneæ, an verò heterogeneæ seu diuersæ rationis. Pro quo,

25. Sit secunda conclusio, *Partes heterogeneæ viuentium constant formis partialibus diuersæ rationis vnam totalem corporeitatis integrantibus*, ita Scotus supra. De quo videndus Vallesius de sacrâ Philosophia c. 4. probatur, si pars illa formæ quæ est in oculo esset eiusdem rationis cum parte, quæ est in aure aut naribus, deberet habere accidentia eiusdem rationis cum accidentibus, quæ sunt in aure; sed non habet, vt de se cõstat, ergo: Et cõfirmatur, quia in oculo debet esse aliquod principium intrinsecum, substantiale, ratione cuius habeat illa accidentia quæ habet, potius quàm accidentia alia diuersæ rationis, v.g. accidentia similia accidentibus auris vel manus; sed nisi pars formæ corporeitatis, quam habet, esset diuersæ rationis à parte formæ correspondente auri vel manui, non haberet tale principium, ergo illa pars est diuersæ rationis. Et re vera hoc idem fundamentum habemus ad distinguendam formam aquæ à forma lapidis: videlicet exigentiam diuersorum accidentium.

QVÆSTIO IV.

Quid sit generatio viuentium & quæ sint eius causæ?

26. INter generationis species præcipua est generatio viuentium. Quam sic communiter definiunt omnes: *Est origo viuentis à viuenti à principio coniuncto in similitudinem naturæ.* Probatur simul & explicatur definitio: illud *origo* est genus ad productionem omnem: quia idem est origo ac productio: Ly *viuentis à viuenti* est differentia propria generationis viuentium. Ly *à principio* significat viuens debere concurrere actiue, ad differentiam earum, quæ sunt sine concursu actiuo viuentis: vt cum ex Adami costa producta fuit Eua, vel cum ex animalis sudore, aut morbo generantur alia animalia, ad quæ non concurrit actiue. Neque existimes excludi à generatione viuentium has productiones ex defectu cognitionis aut volitionis, qua viuens debeat influere in aliud, vt nonnulli dixerunt: tum quia animantia non habent talem appetitionem, nec de prole tunc cogitant; tum etiam quia si fœmina dormiens concipiat aut vir etiã dormiens semen emittat: vt contigit in Lotho, est ibi vera generatio viuẽtis.

Ponitur ly *coniuncto* ad significandum non quidem approximationem inter causam & effectum, sed debere in viuente generato manere aliquid quod fuerit in generante, quod in hominibus, animalibus & plantis fit per materiam sementinam: In Deo autem fit per communicationem eiusdem numero naturæ, quæ in Deo generante reperitur. Per hanc particulam excluduntur à ratione generationis illæ, quæ fiunt à Dæmonibus incubis, quæ fiunt per diffusionem seminis in vas fœminæ: cum enim semen illud non sit pars Dæmonis, homines, qui ex illo nascuntur, nec sunt à principio coniuncto cum Dæmonibus, nec eorum filij; sunt tamen filij eorum hominum, à quibus decisum est semen: cùm hoc sit verè pars eorũ, & cõcurrat actiue; Nec impedit separatio localis, quando emissum est semen: cum sit plane accidentalis, & hæc datur semper, quando generatur fœtus. Per ly *in similitudinem naturæ* denotatur viuens genitum debere esse eiusdem naturæ & essentiæ cum generante.

27. Quod si Inquiras: *Quanta debeat esse ista similitudo?* Nam si requiratur specifica, mulus non erit filius asinæ & equi: quia non est eiusdem speciei cum ipsis; Si autem solum requiratur similitudo generica, fere nulla res est, quæ non sit alteri genericè similis in ratione substantiæ. Propter hæc dicendum est, similitudinem requisitam inter patrem & filium, neque esse tantam vt sit specifica, nec tam exiguã vt præcise sit in ratione aliqua generalissima substantiæ debet ergo esse in aliquo genere vltimo, quale est inter mulum & equum.

28. Dubitabis, *An generationes anomalæ seu irregulares id est quæ non seruant leges naturæ, sint vniuoce generationes?* Et non est dubium de generatione vt sic, de qua quæstione r. sed provt specialiter generatio viuentium est, & provt dicit *à principio coniuncto*. Respond. *Primo*, si generatio fiat ab extrinseco, qualis fuit productio Adami, & aliorum animalium à Deo, non esse proprie generationes, de quibus in præsenti: quia non sunt *à principio coniuncto*. Idem dico de resurrectione mortuorum. Item & de generatione Euæ ex Adamo: nam licet ab ipso fuerit accepta costa & ex hac parte videatur à principio coniuncto: quia tamen illa costa non erat corpus, cuius forma erat intenta à natura tanquam via ad vlteriores formas, sed se habeat tanquam massa respectu figuli, ideo non fuit proprie generatio, de qua hic: Resp. *Secundo*, quod si generatio fiat ex solo fœmineo semine: vt Christi Domini generatio in B. Virginis vtero, illa erit vniuoce generatio comparata cum matre, quæ æqualiter quantum est ex se concurrit, & tam ab intrinseco, siue Deus viri concursum suppleat & generatio ideo sit anomala, siue vir per se ipsum.

29. Inquires curiositatis gratia: *Quam veritatem habeat fieri generationum, quæ à Dæmonibus confici dicuntur?* Respondetur mihi non esse dubium posse prædicto modo à Dæmonibus generationes hominum & animantium fieri: possunt enim semen ab homine decisum accipere ac mediis agentibus calidis conseruare per breuissimum illud tempus & fere instantaneum, quo ipsi ad fœminas etiam ex longinquo accedere possunt; Vtrum autem de facto Deus id eis permiserit, & ita contigerit aliquando, non est ita certum: multæ similes histotiæ narrantur, sed non deductæ

deductæ ex sacris litteris. Nonnulli dicunt ita genitum Merlinum necromanticum Angliæ. Et Aristoteles apud Plutarchum idem sentit de Homero.

QVÆSTIO V.

Quâ ratione concurrant viuentia ad generationem.

NOn disputo de actiuitate substantiæ aut accidentis in generationem substantialem, de quo iam dixi 2. Physic. q. 8. sed præcise à quo ex parentibus & quâ ratione filius producatur media virtute seminali. De qua Quæstione, quod nostro instituto satis sit, breuiter adducemus.

30. Scotus 2. d. 18. à num. 8. tria dubia mouet, ex quorum solutione tota fere quæstio decidetur. *Primum* est, *Quid est semen*? Et respondet, *quod semen est corpus quoddam, cuius forma non est intenta propter se, sed propter aliud, vt scilicet ex illo generetur aliquid simile generanti.* Et paulo inferius clarius explicat: *Semen igitur est quoddam corpus imperfectum productum à generante, vt sit via ascendendi ad vlteriores formas perfectas.* Medici vero sic definiunt: Est portio optima & validissima, totius humoris residentis in corpore, corpus humidum, spumosum & album ex reliquiis alimenti vltimi elaboratum. Et vocatur communiter excrementum quatenus non animatur, non quia inutile sit & redundans; imo est maxime necessarium ad sustentandum corpus & conseruandas vires, vnde vel qui illud emittunt assidua libidine, vel qui illud non producunt vt spadones, carent viribus: Neque ex hoc sequitur semen decidi ab omnibus partibus corporis (assignare autem à quibus relinquo medicis:) quia causa huius debilitationis est, quod euacuato subiecto seminis, in quo est potentia generatiua, tunc pars corporis effectrix seminis attrahit sanguinem à partibus vicinis & illæ ex aliis.

31. *Secundum* dubium est: *Ad quid sit semen*? Et supposito quod sit propter generationem, quærit, *an sit principium eius actiuum*? Et respondet negatiue, & probat: *quia quod non est, non potest esse principium productiuum substantiæ; sed semen non est in instanti generationis, ergo tunc non est principium inductiuum vel productiuum generationis vel termini generationis; Nec etiam dum est, potest esse principium actiuum tale: quia imperfectius non est causa efficiens actiua perfectioris: sed semen est imperfectius, quàm res generanda etiam cum omnibus spiritibus suis*, ergo, &c.

Respondent Thomistæ, quod semen tunc agit in virtute generantis. Sed contra: in virtute non entis nihil potest effici; sed per accidens est, quòd emittens semen existat, quando producitur forma geniti; & contra hoc procedunt argumenta Scoti, quibus 4.d.12. q.3. & dist.13. q.1. ostendit, accidens in virtute substantiæ non attingere ad productionem substantiæ.

32. *Tertium* dubium est: *An semen sit saltem principium præuium alteratiuum corporis organici, quod generatur*? Respondet etiam negatiue: Et probat: *quia si semen est vniforme* (vt supponit ex paulo ante dictis) *non potest per aliquem gradum entitatis suæ vel per qualitatem suam se ipsum corrumpere vel præmouere ad vlteriorem gradum. Præterea principium vniforme non est principium actiuum difformitatis, nisi passiuum sit difforme, sed semen est vniforme & vnigeneum, etiamsi est actiuum; & similiter materia, igitur non potest alterare ad tantam diuersitatem, quanta appa-* ret

ret in organis ipsius geniti scilicet corporis organici. Quid ergo? Dico, quod recurrendum est ad virtutem Diuinam, sicut & Auerroes facit: vt patet in dissolutione illarum quæstionum difficilium 2. Cœli & Mundi. Et Galenus etiam virtutes seminum vocat Diuinas. Illa igitur virtus quæ facit diuersitatem organorum in corpore animalis, oportet quod sit agens difforme, & huiusmodi est difformis actio caloris vel corporis cœlestis, quæ consona est virtuti Diuinæ. Quod & confirmari potest tum ex ratione adducta pro solutione dubij præcedentis, quæ hic omnino etiam quadrat; tum etiam quia re vera productio corporis organici vt & augmentatio eius videtur esse productio vitalis vegetatiua & consequenter exigens procedere cónaturaliter ab anima, ergo cum semen non sit animatum nequit attingere ad talem productionem.

33. Dices, si semen non produceret animam, nec vltimo disponeret ad organizationem corporis, sed Deus aut alia causa vniuersalis, ergo non magis posset generari homo ex semine hominis, quàm equi. ℞. Scotum non negare omnino actiuitatem in semine: agit enim suo speciali modo semen maris in semen fœminæ, qua actione disponitur vtrumque semen: est enim corpus determinate inductum à generante, & à natura propter animal generandum, & agit vsque ad certum gradum, quo habito Deus vel alia causa vniuersalis perficit quod semen attingere non potest: non enim potest negari actiuitas aliqua semini ad introductionem formæ organicæ: cum sanguineum & spirituosum sit constans spiritibus vitalibus ad hoc ipsum ordinatis determinate à natura. Vide suprà toto n. 10. Negat igitur Scotus virtuti seminali actiuitatem ad attingendam effectiue formam organicam (quod in nostra sententia ponente formam substantialem corporeitatis & organicam; & accidentia non attingere effectiue ad productionem substantiæ, à nullo ex nostris potest consequenter negari) item & actiuitatem etiam ad sufficienter alterandam materiam pro receptione diuersarum formarum partialium componentium formam corporeitatis organicam. De quo, si placet vide Poncium disp. 62. à n. 45.

Ex his sequitur quod generans videlicet pater & mater eatenus dicuntur causæ fœtus: quatenus vtrumque est principium decisiuum seminis determinati à natura ad formationem talis fœtus. Et quoad hoc par est in vtroque ratio. De quo videndus Scotus 3. d. 4. Solet etiam hic disputari de partibus, quæ primò informantur anima in generatione humana, & de numero dierum, quibus disponitur materia ad animam rationalem. Quæ & similia vt ad scholasticam tractationem parum vtilitatis habentia non est nostri instituti prosequi.

DISPVTATIO II.
De Corruptione substantiali.

QVÆSTIO I.
Quid sit Corruptio substantialis?

NOTA corruptionem non dici proprie actionem, sicut generationem, sed potius esse desitionem seu carentiam actionis seu conseruationis: Quare cũ vocatur actio videlicet *actio corruptiua*, hoc dicitur improprie & per accidẽs: quia cõcomitatur actionẽ scilicet productionẽ geniti.

Nomine

Nomine etiam corruptionis intelligitur aliquando, licet impropie etiam, ipse terminus corruptionis nempe *non esse rei* & sic dicitur res tendere ad corruptionem scilicet ad non esse. Proprie ergo tantum habet rationem mutationis.

1. Sit prima conclusio, *Corruptio substantialis est mutatio cuius terminus per se ad quem est negatio seu non esse substantiæ à materia depēdentis.* Est communis, licet sub alijs terminis ab alijs proponatur: Probatur sic ly *mutatio* ponitur pro genere; ordo autē talis mutationis ad terminum *ad quem per se* idest ad non esse substantiæ à materia dependentis, ponitur loco differentiæ, vnde per *non esse* excluditur generatio per ly *à materia* dependentis excluditur annihilatio.

Sed obiicies, Hæc definitio conuenit annihilationi, ergo non est bona; probatur āteced. quia si Deus destruat cum toto composito formam simul & materiam, ibi erit annihilatio; & tamen fieret mutatio ad non esse rei dependentis à materia, ergo &c. Resp. neg. anteced. ad probat. dist. ma. ibi erit anihilatio latè sumpta conced. ma. stricte neg. ma. anihilatio enim proprie est mutatio ad non esse rei omnino independentis à materia.

Dices, ibi nullum remanebit subiectum, ergo erit anihilatio & non corruptio. Resp. neg. conseq: nam sicut ad generationem: vt patet in productione Cœli, de quo supra 2. physicor. n. 6. non requiritur quod subiectum prius tempore præexstiterit, ita neque ad corruptionē quod postea maneat, modo sit mutatio ad non esse rei dependentis à materia.

Dubium

2 Inquires, *An corruptio sit naturalis & an intendatur à natura.* Pro solutione, Nota aliquid dici tripliciter naturale: *primo* quod nec à solo Deo, nec necessario per artem fit, & sic distinguitur contra supernaturale & artificiale; Corruptionem autem sic esse naturalem satis constat. *Secundo* illud dicitur naturale, ad quod res ex natura sua inclinatur & sic opponitur violento. Tertio quod concomitatur naturam rei & est ipsi consentaneum. Nunc. ℞ ad *primum*, quod corruptio non est naturalis formæ aut composito, si sumatur naturale per esse ad quod res naturaliter inclinatur; Si vero sumatur pro eo quod concomitatur naturam rei, corruptio naturalis est formæ & composito materiali, loquendo de sublunaribus. Primum patet, quia nulla res inclinatur ad sui non esse; Sed quod inclinatur ad corruptionem, inclinatur ad sui non esse, ergo. Secundum etiam probatur: quia qualibet forma materialis & compositum in sublunaribus ex natura sua est obnoxia corruptioni, ergo corruptio concomitatur naturam eius de quo videndus Scotus 2. disp. 15. num. 9.

℞. *ad Secundum*, quod corruptio non intenditur per se à natura idest ab agente naturali, sed tantum per accidens gratia alterius nempe generationis: probatur, quia non intendit per se non esse; sed corruptio est non esse, ergo. ma. patet ex communi modo agendi agentium naturalium: quæ quidem abhorrent non esse & cum in indiuiduo manere non possint, conantur ad minus se conseruare per generationem in sua specie. Vide quæ diximus 1. physicor. n. 42.

QVÆSTIO II.

An, Et quo modo verum ſit Generationem vnius eſſe corruptionem alterius?

3. PRima concluſio. *Generatio vnius non eſt realiter nec formaliter eadem cum corruptione alterius.* Probatur. Poteſt materia prima de potentia abſoluta formam, quam habet, amittere, ita quod aliam non recipiat, ſed tunc eſſet corruptio ſine generatione, ergo &c. Probatur ſecundo: Poteſt creari materia ſine forma, & poſtea forma educi de eius potentia: quia ex dictis in Phyſica nulla eſſet in hoc contradictio; Sed tunc eſſet generatio ſine corruptione, ergo.

4 Secunda concluſio, *Generatio vnius compoſiti concomitatur naturaliter corruptionem alterius vt in plurimũ non tamen ſemper; & hoc tam in ſubſtantia quàm in accidenti. In quo ſenſu intelligendum eſt dictum Ariſtotelis.* prima pars conſtat: quia corrupto ligno, generatur ignis, & deſtructo igne, generãtur cineres? Et deſtructo calore generatur frigus: quæ omnia patent experientia. Secunda pars quoad accidentia probatur: quia lumen, intellectio, volitio & cæteri actus mentis generantur nullo alio corrupto, & corrumpuntur, nullo alio genito. Item quoad ſubſtantiam patet ex dictis diſp. præced. à num. 17. quia in generatione hominis ibi nulla præcedit immediata corruptio compoſiti, ſaltem quoad eas partes, quæ prius erant organizatæ; ſimiliter in corruptione, vel potius morte hominis nulla ſuccedit immediate generatio. Quod intellige loquendo de iſtis generationibus & corruptionibus viuentium inadæquate ſumptis: nam ſi adæquate & complete ſumantur, quatenus ſcilicet generatio hominis includit etiam generationem corporis, & corruptio includit etiam corruptionem eiuſdem corporis, illa annexam habet corruptionem formæ præexiſtentis. Et hæc generationem v. g. vermium. Et in hoc nulla poteſt eſſe controuerſia.

5. Sed inquires: *Suppoſito quod generatio vnius concomitetur corruptionem alterius, quiſnam ſit inter ipſas ordo?* Pro ſolutione Nota, aliquid dici prius alio dupliciter, tempore ſcilicet & natura, vt ſæpe diximus, prius tempore eſt, quando vnum eſt in tempore præcedenti, in quo nondum eſt aliud. Naturâ aliquid dicitur prius alio dupliciter; *Primo* ordine executionis, quando ſcilicet ab eſſe & poſitione illius dependet eſſe alterius: ſic partes ſunt priores toto, & media fine. *Secundo* ordine intentionis, quando ſcilicet vnum principalius intenditur quam aliud; Et propter ſe,

6. Sit ergo tertia concluſio, *Generatio & corruptio ſunt ſimul tempore, corruptio tamen prior naturâ ordine executionis, generatio vero ordine intentionis.* Hæc concluſio eſt communis & clarior, quam apponitur à noſtro Poncio hic n. 45. probatur quoad primam partem, generatio fit in inſtanti & conſequenter corruptio fit etiam in inſtanti: quia non requiritur maior duratio ad vnam quam ad alteram; tunc ſic, ſed non in alio inſtanti ab eo, in quo fit generatio, ergo &c. Probatur mi. quia ſi eſſet in alio, vel eſſet in alio mediate, & ita materia eſſet in aliquo tempore ſine forma, vel eſſet in alio immediate, & ita darentur duo inſtantia ſibi immediate ſuccedentia in tempore, quorum, vtrumque

vtrumque est falsum. Item in illo instanti realiter daretur materia sine forma, quod etiam repugnat naturaliter. Si vero expulsio esset posterior tempore ad introductionem formæ nouæ, ergo in instanti ante illam expulsionem fuerunt simul in materia forma de nouo introducta & forma antiqua expellenda. Quod etiam repugnat.

7. Probatur conclusio quoad secundam partem: quia corruptio formæ antiquæ prærequiritur tanquam conditio sine qua non ad introductionem nouæ sequentis, & ita ab ipsa tanquam ab aliquo priori dependet generatio seu introductio nouæ formæ. Tertia denique pars probatur quia generatio primario & per se intenditur à natura; corruptio vero per accidens & secundario, ergo generatio in ordine intentionis est prior corruptione. Confirmatur vlterius secunda pars: quia omnis dispositio præcedit natura formam ad quam disponit, ergo prius natura est dispositio in materia, quam forma noua introducatur; sed ex dictis supra optima dispositio materiæ est eius nuditas ab omni forma; hæc autem nuditas fit per expulsionem formæ antiquæ, ergo hæc prius natura antecedit, quam forma generetur.

Respondet Arriaga in Physica disp. 8. num. 35. ex hoc non sequi, debere expulsionem formæ veteris antecedere introductionem nouæ; sed sufficere si eam concomitetur, id est si sint simul: Et rationem reddit: quia si dum contrarium ingreditur in passum, ibi non reperiat alterum contrarium, parum interest quod fuerit ante expulsum, vel quod tunc primo expellatur. Sed contra: quia si secundum te vt contrarium ingrediatur, necesse est non reperiri in passo alterum contrarium, ergo prius est in executione expulsio vnius, quam introductio alterius, nec amplius exigit conclusio.

8. Obiicies *Primo*, Introductio formæ nouæ est causa expulsionis formæ corruptæ, ergo introductio seu generatio est prior expulsione, quæ est corruptio. Respondetur dist. anteced. est causa finalis conced. anteced. est causa efficiens. neg. anteced. Et hinc dist. conseq. est prior corruptione ordine intentionis conced. conseq. ordine executionis neg. conseq.

Contra, Introductio vnius formæ est causa formalis expulsionis alterius formæ, ergo est prior ipsa, patet anteced. quia communiter dicitur vnam formam formaliter expelli per aliam, ergo altera est causa formalis expulsionis alterius. Respondetur neg. anteced. ad probat. disting. anteced. vna forma expellitur formaliter per alteram id est tanquam per formam sibi repugnantem conced. anteced. tanquam per causam formalem proprie dictam neg. anteced. quia nihil est causa formalis proprie alicuius, nisi sit pars essentialis eius.

9. Obiicies *Secundo* cum eodem Arriaga ibid. n. 31. Ex ista doctrina sequi Deum eiicere prius natura gratiam, vt locum faciat peccato, quando aliquis iustus à gratia discedit. Quod concedere valde durum videtur in Theologia. Respondetur cum Scoto 2. d. 37. q. 1. n. 10. neg. sequelam: quia *cum peccatum non possit effectiue corrũpere gratiam, sed tantũ demeritorie, ita quod prius voluntas auertit se naturaliter, quam Deus cesset naturaliter conseruare gratiam*, ideo datur prius peccatum, quam expellatur gratia; at vero in formis, quarum vna alteram formaliter expellit, id est inter quas est formalis oppositio, prius debet expelli vna, quam altera ponatur; inter

peccatum autem & gratiam solum est oppositio demeritoria: De quo in Theolog a.

DISPVTATIO III.
De Alteratione.

QVÆSTIO I.
Quid sit Alteratio?

NOTANDVM, alterationem variè sumi posse, *Primo* nimis late pro quacumque mutatione per quam subiectum fit alterum ab eo, quod ante fuit & sic comprehendit omnem mutationem subiecti ad formam accidentalem quamcumque: nam sicut differentia essentialis facit aliud, ita differentia accidentalis facit illud, cui aduenit, alterum. *Secundo* magis stricte pro quacumque mutatione ad solam qualitatem, siue sit mutatio successiua siue instantanea, siue qualitas, ad quam terminatur, sit sensibilis: vt calor, frigus, albedo, nigredo, siue spiritualis vt intellectio, volitio. *Tertio* sumitur strictissime pro sola mutatione successiua, qua qualitas sensibilis, quæ proprie habet contrarium vel medium acquiratur. Vt verò de ea agit in præsenti Philosophus, solum est mutatio ad quatuor primas qualitates calorem frigus, humiditatem & siccitatem.

1. Sit prima conclusio, *Alteratio stricte sumpta ad mentem Philosophi est mutatio ab vnâ qualitate sensibili contraria vel media ad aliam contrariam vel mediam.* Probatur *mutatio* est genus, ordo autem talis mutationis ad tales terminos est differentia: vnde per ly *qualitatem* excluditur *accretio*, quæ est ad quantitatem; Et *latio* quæ est ad *vbi*. Per ly *sensibili* excluditur mutatio ad actum vel habitum mentis, vt ad scientiam, volitionem &c. Per *contrariam* vel *mediam* excluditur illuminatio: quia lumen licet sit qualitas sensibilis, non tamen est contraria vel media. Dicitur etiam vel *media*: quia subiectũ aliquando alteratur, licet non transeat ab vna qualitate contraria in aliam contrariam, sed tantum ad mediam: puta ab albedine ad flauedinem. Quod si velis describere alterationem, provt de ea Philosophus in præsenti, dic quod est: *Mutatio qua aliquid mutatur successiue ab vna qualitate ad aliam diuisibiliter oppositam.*

2. Secunda conclusio: *Sumendo alterationem paulo latius. Est mutatio ad qualitatem.* Probatur, omnes particulares mutationes, quæ habent terminos eiusdem generis, comprehenduntur sub eodem genere mutationis; sed omnes mutationes ad qualitates habent terminos *ad quos* eiusdem generis nempe generis qualitatis, ergo comprehunduntur sub eodem genere mutationis; sed non sub alio quam sub genere alterationis, ergo; ma. patet: quia omnes mutationes ad quantitatem comprehenduntur sub augmentatione omnes ad substantiam sub generatione vel creatione &c.

3. Obiicies *Primo*, Mutatio debet esse semper inter terminos contradictorie vel priuatiue oppositos, ergo si alteratio est mutatio non debet esse inter qualitates contrarias: quia tales non sunt, termini priuatiuè oppositi. Respondetur dist. anteced: omnis mutatio simplex, si termini sint per se & essentiales conced. anteced. si vnus ex eis sit per accidens neg. anteced. Quando ergo *alteratio* est simplex, in quo sensu *alterare* idem est, ac facere

vt

vt subiectum aliter se habeat, quam antea, quod nequit intelligi nisi antea præcesserit carentia formæ, tunc terminus *à quo* per se & essentialis est priuatio qualitatis producendæ; qualitas vero deperdita tantum est terminus per accidens & non spectans ad essentiam eius. Dixi *si est mutatio simplex*: quia forte est mutatio composita ex duabus simplicibus, quarum vna est perditiua qualitatis prioris, altera acquisitiua alterius priori contrariæ, & si dicatur composita, tunc requirit priorem qualitatem essentialiter vt terminum *à quo* per se prioris mutationis, sicut & aliam qualitatem vt terminum *ad quem* per se posterioris mutationis.

Obiicies *secundo*. Philosophus 1. de Cœlo c. 3. docet: quod Cœleste corpus non alteratur, sed mutatur de nouo ad qualitatem nempe ad lumen, ergo non omnis mutatio ad qualitatem est alteratio. ℞. neg. conseq. Ad Philosophum dico, ipsum loqui de alteratione corruptiua, quæ ex communi acceptione applicatur accidentibus corruptiuis disponentibus subiectum ad nouam formam substantialem. Qualem non potest recipere naturaliter cælum: non vero de alteratione latè sumpta, quæ est ad quamlibet qualitatem.

4. Sed inquires, *an si esset impossibilis generatio, daretur in rerum natura alteratio? Quandoquidem in Cœlis, vbi est impossibilis naturaliter generatio, negemus dari alterationem corruptiuam.* ℞. Cum nostro Poncio hic q. 1. quod simpliciter & absolute loquendo, alteratio esset possibilis, etiamsi generatio possibilis non esset; & quod si de facto daretur subiectum calidum & frigidum, quamuis de facto non posset dari naturaliter generatio aut corruptio, adhuc daretur alteratio de facto: Quod constat ex dictis: cum sint mutationes realiter distinctæ: nec tam intima connexio ex natura intrinseca terminorum ipsarum, quin sub propriis conceptibus possit esse vna absque alia. Vide Poncium ibi, vbi exacte hoc probat contra Ruuium.

QVÆSTIO II.

An alteratio sit mutatio instantanea an successiua? & an continua?

NOtandum *primo*, mutationem instantaneam esse mutationem ad terminum in instanti acquisitum; & successiuam vt in plurimum ad terminum, cuius vna pars acquiritur post aliam. Dixi *vt in plurimum* quia forte melius diceretur mutatio ad terminum in tempore acquisitum: potest enim esse mutatio successiua ad terminum indiuisibilem: v. g. animam rationalem: talis namque forma acquiri potest in tempore à diuersis partibus materiæ, non tamen acquiritur vna pars post aliam, quia partes non habet. Quare.

5. Notandum *secundo*, successionem in motu maximè prouenire tam ex diuisibilitate materiæ quam formæ: Et ex vtraque parte oriri potest successio dupliciter. Et quidem ex diuisibilitate materiæ seu subiecti primò respectu formæ diuisibilis: quia vna pars subiecti potest prius acquirere vnam partem talis formæ, quam aliæ alias: vt patet in generatione ignis ex ligno. *Secundo* respectu formæ indiuisibilis, quando vna pars materiæ prius informatur quam alia: verb. gr. vna pars materiæ hominis nempe cor prius informatur anima rationali, quam pes aliæque partes. Similiter contingit successio dupliciter ex diuisibilitate formæ, primo in partes extensiuas: quia prius vna pars talis formæ v. gr. ignis producitur & informat vnam partem materiæ quam alia aliam. *Secundo*

ex diuisibilitate in partes intensiuas: quia prius vna pars producitur quàm alia in eadem parte subiecti, vel in eodem subiecto indiuiduali. Et de successione proueniente ex diuisibilitate formæ in hoc duplici sensu procedit hæc quæstio. Vnde fit vt alteratio sit duplex intensiua & extensiua, sumpta denominatione à suo termino, idest à partibus formæ in diuersis vel in eadem parte subiecti receptibilibus.

6. Notandum *tertio*, mutationem instantaneam esse duplicem, prima, quæ proprie est talis, est quando subiectum mutatur à priuatione ad formam indiuisibiliter, idest non secundum partem post partem, sed ad totum in instanti: in quo sensu generatio & corruptio dicuntur instantaneæ. Secunda quæ improprie est talis, est qua subiectum in aliquo instanti accipit indiuisibile alicuius formæ, cuius partes diuisibiles accepit tempore immediate præcedenti illud instans: v. g. quando lignum successiue recipit quatuor gradus caloris, in vltimo instanti talis motus successiui dicitur instantaneè moueri: quia tunc acquirit punctum indiuisibile caloris: v. g. sicut instans dicitur terminus copulans vel terminans partes temporis, & punctum partes lineæ in continuo, ita hæc mutatio instantanea dicitur terminus partium motus successiui.

Nota *quarto*, infinitas esse partes in tempore, quarum nullæ sunt simul, sed semper vna post aliam, & inter singulas esse instãs illas copulans inter se: Simile est in qualitate sicut & in quantitate cum proportione. Vnde fit, quod quando motus est pure successiuus & continuus, nullas duas partes habeat simul, sed semper vnam in vna parte temporis & aliam in alia, & indiuisibile has copulans in instanti temporis intermedij. Quæstio ergo petit, an alteratio sit ita successiua, vt partes non producantur in eodem instanti, sed vna post aliam? Et hoc admisso, an continua? idest sine aliqua interruptione, ita vt nulla pars temporis vel instans prætereat, in qua pars aliqua vel indiuisibile formæ non producatur, donec tota sit producta?

Aliqui ex antiquioribus Thomistis vt Soncinas, Ferrara, & alij, quos ex modernis sequutus est Arriaga hic disputat. 2. num. 33. diuidunt motum successiuum in continuum & discretum. Discretum vocant, cuius vna pars producitur post aliam cum interruptione: hoc est interiecta morula non solum instantanea, sed etiam temporanea; Continuum vero cuius vna pars acquiritur post aliam sine interruptione vlla, seu quod idem est, cuius partes copulantur termino communi nempe *mutato esse*. Ex hoc docent alterationem omnem tam intensiuam quam extensiuam esse quidem successiuam mutationem, non tamen continuam, sed discretam, hoc est interruptam morulis temporaneis imperceptibilibus: dicunt enim quod minima pars formæ, idest qua minor dari non potest, producatur in instanti in minima parte subiecti, v. g. in minima parte ligni minima pars caloris, sed in tempore immediate sequenti illud instans nihil caloris producitur in illa vel in alia parte subiecti, fit enim interruptio, & tunc tantum disponitur pars eadem in ordine ad illam formam intendendam, & alia in ordine ad eandem extendendam; in instanti vero sequenti hoc tempus in eadem parte intenditur calor, non per additionem nouæ partis (de quo quęst. sequenti) sed per maiorẽ radicationem in subiecto; in eodemque instanti producitur alia pars caloris in alia parte subiecti & ita extenditur

tenditur. Requirit ergo hæc opinio ad vtramque alterationem interiectas morulas & interruptionem motus.

7. Sit prima conclusio, *alteratio tam secundum intensionem quam extensionem potest fieri in instanti.* Est communis & probatur. Potest Deus in instanti alterare subiectum tam ad partes intensiuas, quam extensiuas formæ, ergo alteratio potest fieri in instanti, consequ. patet. anteced. probatur. Quascumque partes formæ potest Deus producere successiue, potest easdem simul & in instanti producere, si nulla sit inter ipsas repugnantia quoad esse seu existere; sed potest successiue producere partes qualitatis, & inter has nulla est repugnantia quoad existere: quia de facto simul existunt in eadem parte subiecti, vel in diuersis, ergo, &c.

8. Secunda conclusio, *non dantur in qualitate quadam minimæ partes, quibus minores dari non possint.* Probatur illud minimum est diuisibile vel indiuisibile in partes? Si secundum, ergo qualitas constat ex solis indiuisibilibus: quia iuxta aduersarios ex solis istis minimis constat, quod est contra ipsos & communem. Si primum, ergo minimo potest dari minus: quia eius pars est minor toto, cuius est pars.

9. Tertia conclusio, *alteratio tam intensiua quam extensiua provt de facto fit, est mutatio successiua continua.* Est communissima inter Scotistas & Thomistas contra præfatos auctores præcipue Arriagam, cuius rationes optime improbat noster Poncius hic q. 2. Et nota, sensum conclusionis non esse, quin possit vnquam aliquod subiectum alterari successiue cum morulis temporaneis: nam certum est quod pro hac parte temporis possit aliquid caloris recipere, & postea amota causa quiescere pro aliquo tempore, ac rursus applicata causa plus caloris recipere; Sed sensus est, quod non possit agens alterare siue extensiue siue intensiue, quin aliqua pars saltem alterationis sit successiua absque morulis temporaneis, & quod agens debite applicatum, quamdiu sic applicatum est, si alteret, omnino successiue alterare debeat absque morulis.

In hoc sensu: probatur conclusio, Actio productiua qualitatis tam extensiue quàm intensiue est in omnibus partibus & instantibus temporis absque interruptione; ergo est successiue continua. probatur anteced. quia in qualibet parte temporis & in quolibet instanti est passum sufficienter approximatum agenti, vt supponimus, & agens habet sufficientem virtutem ad causandum; Nec video quid conferat agenti illa quies, quam ponunt contrarij: Quandoquidem non augetur per illam eius virtus, nec minuitur passi resistentia. Item ex alio capite effectus non habet indiuisibilitatem, propter quam petat produci instanti, ergo impertinenter se habet illa interruptio seu morula.

Et confirmatur ex Philosopho 5. Physicor. tex. 39. dicente, omnem motum proprie dictum esse continuum; sed nullus est magis proprie dictus, quàm motus alterationis, ergo. Nec obstat, si dicas intelligendum esse de motu continuo cum interruptione morularum imperceptibilium. Nam ex hoc sequeretur quod aliqua pars ipsius deberet produci in instanti, sed hoc est contra eumdem Philosophum 6. Physicor. vbi dicit, motum proprie dictum non fieri in instanti. Deinde si morulæ intercedentes sunt imperceptibiles, ergo absque fundamento asseruntur: non enim potest colligi per rationem quod dentur, nisi constet experientia aliqua; non potest autem

colligi

colligi experientia, si imperceptibiles sint, ergo.

10. Obiicies *Primo*, Philosophus 6. Physicor. tex. 68. docet, quòd vniuersaliter motus, qui versantur circa terminos contrarios, non possint continuari; sed alteratio est inter motus contrarios, ergo: ℞. dist. ma. non possunt continuari comparati inter se mutuo, idest vnus comparatus cum alio non potest continuari cum illo conced. ma. non possunt continuari comparati ad proprias partes, idest quilibet ex illis consideratus in ordine ad suas partes, non potest in se ipso continuari neg. ma. conclusio autem non dicit, quòd illæ mutationes simplices ad qualitates contrarias, quæ aliquando requiruntur ad alterationem, faciant vnum motum continuum, sed vtraque in se sit continua.

Obiicies *Secundo*, Philosophus 8. physicor. tex. 23. dicit alterationem non esse motum continuum, ergo &c. probatur anteced. ex his eius verbis: *dicere alterationem fieri continuè est aduersari manifestis*: ℞. neg. anteced. ad Philosophum dico: *motum fieri continuè* posse intelligi dupliciter, *primo* pro fieri semper sine termino durationis. *Secundo* pro fieri sine interruptione inter eius partes, licet in se habeat finem suæ durationis. Aristoteles loquitur de fieri continuè primo, non secundo modo.

11. Obiicies *Tertio*, res permanentes incipiunt per primum sui esse; sed qualitas est res permanens, ergo: subsumo, sed non inciperet per primum sui esse, nisi prima eius pars producatur in instanti, ergo &c. ma. & mi. conceduntur, subsumptum probatur: nam quod successiuè & continuè producitur, incipit per vltimum sui non esse & in tempore, ergo non per primum sui esse & in instanti: ℞. dist. ma. res permanentes quæ per mutationem instantaneam acquiruntur conced. ma. quæ per motum neg. ma. & concess. mi. in hoc eodem sensu neg. conseq.

Obiicies *Quarto*, si alteratio fieret continuè & in tempore, daretur infinitum penes intensionem; Hoc est falsum, ergo: probatur sequela: quia in tempore sunt infinitæ partes, & in qualibet parte temporis produceretur pars intensiua qualitatis, ergo in toto tempore infinitæ partes intensiuæ: Respond. dist. ma. daretur infinitum secundum quid, conced. ma. infinitum simpliciter neg. ma. Ad proba. dist. etiam ma. in tempore sunt infinitæ partes proportionales conced. ma. infinitæ partes aliquotæ neg. ma. & dist. similiter consequens.

QVÆSTIO III.

Quo modo fiat intensio & remissio qualitatis?

12. Alteratio intensiua vt constat ex dictis *Est additio eiusdem qualitatis in eadem parte subiecti*; quo d ffert ab extensiua, quæ non in eadem parte, sed in diuersis fit: vt cum paulatim calor percurrit lignum nouas calefaciendo partes; Intensiua vero est quando idem aër v. g. per aduentum solis clarior redditur, quando manus, quæ iam erat calida, incalescit amplius. Huic alterationi intensiue opponitur alteratio remissiua, quando subiectum paulatim amittit aliquid qualitatis, quam antea habebat. Dari autem, hanc remissionem, & intensionem supponit titulus

titulus quæstionis : quia est certo certius : videmus enim in eodem aëre iam maiorem, iam minorem lucem ; in nobis sentimus iam maiorem, iam minorem calorem , quàm antea difficultas ergo est quo modo fiat hæc intensio & remissio.

Et omissis duabus opinionibus tanquam omnino iam reiectis à scholis , quarum prior asserebat , fieri intensionem per productionem qualitatis perfectioris & destructionem prioris ; remissionem vero per productionem imperfectioris qualitatis destructa perfectiori: Posterior asserebat , fieri intensionem qualitatis per hoc præcise , quod diminuatur alia qualitas ipsi contraria. Quarũ refutationes vide apud nostrum Poncium hic : Duæ sunt his temporibus frequentes sententiæ. Priorem tenent rigidiores Thomistæ asserentes, qualitatem intendi absque productione nouæ partis aut gradus eiusdem aut diuersæ rationis à priori per solam maiorem radicationem in subiecto ; remissionem vero per minorem radicationem. Posteriorem tenet Scotus 1. d. 17. quæst. 4. quem sequuntur omnes sui & recentiores communiter Suar. Hurtad. Arriaga , Ouiedus & alij. Hæc sententia affirmat qualitatem intendi per additionem gradus ad gradum in eadem parte subiecti , & remissionem è contra per amissionem alicuius gradus.

13. Sit prima conclusio , *Intensio non fit per maiorem radicationem eiusdem qualitatis in subiecto.* Probatur , quia impossibile est , quòd aliqua forma de nouo habeat formaliter maiorem radicationem in subiecto , quin aliquid producatur de nouo aut in ipsa, aut in subiecto aut in aliquo extrinseco ; sed non debet potius in subiecto aut in extrinseco illud produci , quàm in ipsamet qualitate , quæ dicitur magis radicari , vt fatentur ipsimet aduersarij, ergo vt magis radicetur, quomodocumque explicetur illa maior radicatio , debet aliquid de nouo produci ; tunc sic vel illud quod de nouo producitur , & ratione cuius magis radicatur forma , est compatibile cum illo , quòd in forma productum fuit prius , & ratione cuius minus radicabatur ; vel est incompatibile cum illo priori? Quod sit incompatibile est omnino falsum: alias esset incidere in priorem illam veterem sententiam , de intensione per productionem qualitatis perfectioris , destructa priori imperfectiori , cuius contrarium est iam communiter in scholis receptum ; si vero dicatur quòd sit compatibile, ergo intensio fit per additionem entitatis ad entitatem ; sed si sic fiat , nihil impedit , quominus intensio caloris v. g. fiat per additionem vnius partis caloris ad aliam partem : eadem enim est ratio. Imo multo facilius intelligitur: quo modo fiat intensio hoc modo , quàm per additionem cuiuscumque alterius entitatis ad entitatem, si posset hoc modo fieri , ergo ita fit ,

Propter hanc rationem , quæ procul dubio euidens est & manifesta , varios modos excogitauerunt Thomistæ ad explicandam hanc radicationem in subiecto : aliqui enim dicunt consistere in noua existentia illius eiusdem qualitatis in subiecto ; alij in maiori eductione eiusdem qualitatis ex subiecto ; alij dicunt fieri per maiorem ac perfectiorem vnionem eiusdem qualitatis cum subiecto , aut per hoc quod vniatur secundum plures formalitates ; alij denique vt complutens. & Ioan. à S. Thomâ aliter hos eosdem modos proponunt , fere in re cum aliquo eorum coincidentes.

14. Sit secunda conclusio , *qualitas*

litas non intenditur per hoc, quòd accipiat nouam existentiam perfectiorem existentia, quam antea habebat. Probatur *primo.* Quia nititur falso fundamento de distinctione essentiæ ab existentia: vt constabit in Metaph. Probatur *secundo*, ista existentia est indiuisibilis entitatiue, vel habet partes, quarum vna producitur post aliam? Si primum, ergo vna existentia indiuisibilis non erit perfectior alia existentia indiuisibili. Si secundum, ergo dabitur additio partis ad partem saltem in existentia qualitatis, & ita intentum, ergo etiam in essentia: quia non est ratio cur essentia minus constet partibus, quam existentia, ergo. Probatur *tertio* qualitas intensa perfectius agit, quam minus intensa, ergo habet aliquam differentiam præter differentiam existentiæ, atque adeo non habet esse intensa formaliter ab illa perfectiori existentia. Hæc secunda consequentia patet, prima probatur: quia existentia non est ratio formalis agendi, sed conditio sine qua non, ergo illa maior actiuitas prouenit ab alio, quam ab existentia formaliter, & consequenter si qualitas intensa sit magis actiua, hoc debet habere ex alia differentia quam ex differentia existentiæ. Probatur *quarto* ex Scoto supra n. 3. impugnante opinionem illam veterem priorem, quæ fuit Gotfredi (quam impugnationem sibi & Hurtado arrogat & Arriaga hic num. 10.) Quando producitur actus supernaturalis charitatis per concursum Physicum habitus charitatis (& idem dici debet de actu naturali elicito per concursum habitus acquisiti) ipse habitus charitatis in illo instanti existit per existentiam priorem: aliàs non posset causare actum illum physice; sed in illo eodem instanti intenditur: vt est euidens, ergo si intensio fiat per productionem nouæ existentiæ charitatis, simul & semel pro eodem instanti habebit duas existentias, perfectiorem scilicet & imperfectiorem: sed hoc est absurdum & contra intentum sententiæ, quam impugnamus, quæ asserit producta perfectiori existentia destrui imperfectiorem, ergo, &c.

15. Tertia conclusio, *intensio qualitatis non fit per hoc, quod eadem indiuisibilis entitas magis educatur de potentia subiecti.* Probatur, forma indiuisibilis semel educta de potentia subiecti, tota & secundum se totam educitur, ergo non potest secunda vice magis vel perfectius educi, quam prima: consequentia patet, quia educi de potentia subiecti, est illud, quod erat in potentia poni in actu, ergo magis educi est magis poni in actu; sed forma secundum se totam & tota posita in actu non potest adhuc magis poni in actu, ergo nec magis educi.

Ex hoc probatur etiam, quod non fiat intensio per maiorem aut perfectiorem vnionem: Est enim forma remissa æque vnita suo subiecto, sicut intensa; neque assignabilis est formalitas, quæ in forma remissa non vniatur, sic vero in intensa. Deinde: quia ex hoc sequeretur, vnionem & non qualitatem esse terminum per se *ad quem* motus & intensionis. Quod est contra Philosophum hic cap. 4. & 5. tex. 18. Et denique inquiro, an & quomodo qualitas possit intendi & remitti extra omne subiectum: v. g. in Eucharistia: cum tunc non habeat vnionem ad illud. Neque recurri potest ad quantitatem, quæ sit subiectum illorum accidentium: quia si Deus (vt potest) conseruaret ea accidentia sine quantitate, adhuc posset esse maior aut minor calor vel albedo (quis hoc neget?) ergo intensio illorum accidentium non consistit in vnione perfectiori cũ subiecto.

16. Quarta

16. Quarta conclusio, *intensio qualitatis fit per additionem noui gradus ad gradum seu partis integralis ad aliam præexistentem in eadem parte subiecti, vel in eodem subiecto indiuisibili; sicut extensio eius fit per additionē nouæ partis in diuersis partibus subiecti. E contra vero remissio fit per destructionem alicuius partis.* Ita Scotus supra. Probatur *primo* qualitates contrariæ in gradu remisso compatiuntur in eodem subiecto; & quando sunt summè intensæ vel vna tantum, tunc sunt incompatibiles, ergo causa talis repugnantiæ erit aliqua noua entitas, per quam formaliter expellatur forma contraria: alias non esset ratio cur modo essent magis incompatibiles quàm antea; sed illa noua entitas non est vnio vel eductio, vel alia noua habitudo ad subiectum: nam prius formæ contrariantur inter se, quam in subiecto: ideo enim sunt incompatibiles in subiecto, quia sunt contrariæ inter se; tum quia nihil horum contrariæ opponitur formæ expulsæ: quia inter solas qualitates est contrarietas; tum ob rationes supra factas contra hoc, ergo illa entitas erit pars formæ præexistentis. Probatur *secundo* ex tertia ratione pro secunda conclusione: nam cum actiuitas formæ sit vel formalis entitas eius vel propria passio, vbi perfectior actiuitas est, perfectior entitas debet esse, & vbi nouus gradus actiuitatis, ibi & nouus gradus entitatis.

17. Obiicies *primo*, Ex Philosopho: hæc propositio est vera, ex calido fit magis calidum, nullo facto de nouo calido, ergo non producitur nouus gradus caloris in intensione qualitatis. ℞. neg. conseq. quia licet producatur in intensione nouus gradus caloris, adhuc est verum, non fieri aliquid de nouo calidum, quod non fuerit antecedenter calidum: nam nouus ille gradus producitur in eodem subiecto, in quo fuit præcedens calor, & quod consequenter fuit calidum antecedenter. Et ex hoc patet, improprium & cōtra Philosophum esse modum dicendi Lorcæ in 2.2.sect.3. disp. 1. n. 14. qui conueniens nobiscum in re conclusionis ob explicandum D. Thom. in vero sensu & propriori modo loquendi, deuenit in impropriorem, imo falsum, dicens, intensionem non esse proprie additionem formæ ad formam, sed additionem concreti & subiecti. Nam in intensione nihil subiecti producitur, sed tantùm quod producitur, formæ est, atque adeo proprie & in rigore additio formæ ad formam est, quæ sufficit, vt concretum dicatur augeri: hoc est fieri magis calidum.

18. Obiicies *secundo*, gradus qui de nouo adduntur in intensione, debent esse aliquo modo diuersi à præcedentibus saltem numero; sed neque hoc potest esse: cum duo accidentia eiusdem speciei nequeant esse in vno subiecto: sumitur enim indiuiduatio accidentis à subiecto, & consequenter diuersa numero accidentia debent habere diuersa numero subiecta. ℞. neg. mi. & eius probat. de quo in Metaph. vbi de principio indiuiduationis. Sed quia hæc est præcipua ratio Thomist. argumentor sic ad hominem, non minus implicat, duo accidentia esse in eodem subiecto, quàm vnicum in duobus subiectis adæquatis (si à subiecto sumatur indiuiduatio accidentis;) sed hoc non implicat: cum duo corpora possint de potentia absoluta esse in vno loco: tunc enim idem *vbi* esset in duobus illis corporibus, ergo signum est, accidens non ita necessario indiuiduari, per subiectum, quin possint duo eiusdem speciei esse in vno subiecto, sicut vnum in duobus subiectis. Nec valet si dicas, illa duo corpora esse

penetrata, atque adeo sic se habere sicut si esset vnum: nam sufficit, quod quodlibet quantum est ex se sit adæquate occupatiuum illius loci: sicut D. Thomas dicit: quod sufficit, quod quilibet gradus sit sufficiens ad reddendum subiectum calidum v. g. licet vt vniti in intensione iuxta nostram sententiam non sint nisi vnum numero accidens: sicut ergo hoc infertur ab ipso vt inconueniens, ita & illud deberet inferri.

Obiicies *tertio*, Nulla forma habet partes nisi quantitas aut ratione quantitatis; nec potest habere partes ratione quantitatis, nisi quatenus respicit diuersas partes quantitatis; sed forma intensa non est quantitas, nec respicit vt intensa plures partes eius, ergo. Et confirmatur: quia si forma haberet plures partes, non esset pura forma, sed constitutum seu compositum ex pluribus partibus; sed hoc est absurdum, ergo. ℞. neg. ma. Nec sanè à quantitate posset habere partes, nisi eas haberet à se ipsa; vel posset distingui maior: nulla forma habet partes extensas absque quantitate, transeat; intensas. nego. Ad confirmat. Dico, si per puram formam intelligatur aliquid simplex & incompositum integraliter siue quoad extensionem siue quoad intensionem, conced. ma. & neg. mi. sic enim omnis forma materialis habet partes, vt diximus lib. 1. Physicor. n. 5. imo & forma spiritualis habet etiam partes intensiue diuisibiles; Si vero per puram formam intelligatur aliquid quod non inuoluit rationem subiecti aut materiæ neg. ma. nam licet qualitas sit composita integraliter, neutra tamen ex partibus eius habet rationem subiecti aut materiæ respectu alterius: non enim vna alteram informat: vt diximus ibidem n. 94.

QVÆSTIO IV.

An gradus intensionis seu partes intensiua qualitatis sint heterogeneæ, an vero homogeneæ?

GRadus seu partes homogeneas dicimus similes omnino, heterogeneas vero dissimiles inter se. Inquirimus ergo, an sicut duo primi gradus caloris sunt omnino similes inter se, ita etiam sint primus, secundus & tertius inter se: verbi gratia, An quemadmodum illa pars qualitatis, quæ de nouo acquiritur, dum extenditur ad nouas partes subiecti, est homogenea cum partibus præcedentibus, idem dicendum sit de partibus, quæ in intensione acquiruntur, ita scilicet vt pars primo acquisita, quantum est ex sua natura, tam bene posset esse secunda pars, quam ipsamet pars, quæ postea producitur; vel an secunda pars sit omnino dissimilis primæ parti, & inæqualis perfectionis cum ipsa, ita vt connaturaliter non possit primò loco produci ante primam partem?

19. Sit nostra conclusio, *gradus intensionis qualitatis sunt inter se similes & eiusdem rationis, ita vt nullus ex se & ex natura sua petat esse secundus vel tertius.* (Quod intelligo tam in qualitatibus operatiuis, quam non operatiuis.) Dixi notanter *ex se & ex natura sua*: quia accidentaliter & extrinsece, hoc est in ordine ad subiectum habent ordinem prioris & posterioris: verbi gratia gradus afficiens subiectum calidum vt vnum, erit secundus, & si afficeret calidum vt sex, esset septimus; sed iste ordo est ipsis accidentalis, propter intensionem scilicet

scilicet qualitatis, quæ præcedit in subiecto. Conclusio est Scoti 1.d.17. quæstione 4. & 4.d. 12. quæstione 3. numero 23. & 24. Vbi & præfatam distinctionem innuit dicens: *Quod gradus possunt esse eiusdem rationis vel in se tantum, vel in se & in comparatione ad subiectum.* Scotum sequuntur plures ex discipulis & extra eius scholam Ouiedus & Arriaga hic disp. 3. sect. 3. vbi pro ea citat Vasquez Conimbricens. Tolet. & Ruuium. Eandem tenuit D. Bonauent. Ricard. Occam. Gabriel. Gregor. & alij. Est contra Suarez disp. 46. Metaphys. sect. 3. Hurtadum & alios.

Probatur ex ratione communi: quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla est necessitas aut experientiæ aut rationis aut authoritatis ad ponendos gradus heterogeneos, ergo sufficiunt homogenei; nec ponendi sunt heterogenei. Confirmatur, quia ad intensionem non requiritur aliud, nisi vt plures partes qualitatis ponantur in eodem subiecto, & quod mediantibus illis possit subiectum illud plus facere, quam aliàs potuisset; sed si ponerentur plures gradus homogenei, in eadem parte subiecti, potuisset plus facere, quam sine illis; ergo: mi. Probatur experientia: quia negari non potest, quin si ponerentur plures, gradus caloris v. g. in manu, etiamsi omnino similes inter se, adhuc sentiretur maior calor in manu, quam si esset vnicus gradus, ergo intensio consistit in multiplicatione graduum similium. Patet conseq. quia fundamentum, quod modo habemus ad concedendam eam maiorem intensionem, est quia aliquando sentimus maiorem calorem, aliquando minorem, ergo si hoc possit fieri cum gradibus similibus non est vllum fundamentum ad ponendos dissimiles. Antecedens est certum: Quis enim neget, maiorem calorem sentiendum esse in manu si sint sex gradus, quam si vnicus.

20. Respondebis, tunc sentiendum maiorem calorem extensiue, non vero intensiue. Sed contra, quia maior ille calor sentitur in eadem parte manus, in quâ antea: Vnde ergo potest inferri per sensum, eum esse maiorem extensiue, non vero intensiue? Certe hoc est incredibile: nam sensus ille percipit maiorem & minorem calorem; intellectus autem maiorem calorem in, eadem parte vocat intensionem, ergo si in eadem parte perciperetur maior calor, non esset vnde intellectus posset affirmare, eum esse maiorem extensiue, non vero intensiue: Alioquin inquiro, ex quo alio principio infertur, maiorem calorem, qui modo datur in manu, esse maiorem intensiue & non præcisè extensiue.

Respondebis forte *Secundo.* Hoc argumento etiam nos vrgeri: nam si penetrarentur plures partes aëris lucidi, vel tunc appareret maior lux vel non. Si non appareret maior, ergo etiam si, ponerentur in manu plures gradus similes, non sentiretur maior calor; Si autem dicas, tunc maiorem lucem in aëre videndam, ergo & intensiorem. Atqui hoc etiam est contra nos: nam licet ad intensionem non requiratur gradus inæquales in nostrâ sententia, debent tamen illi esse vniti in eodem subiecto: aliàs intensio fieret per extensionem. In eo autem casu gradus illi lucis essent in diuersis subiectis, ergo non facerent intensionem, atque adeo ex casu nostri argumenti nihil potest inferri de graduum similitudine.

Sed Contra & hinc confirmo meum argumentum: quia per te in eo

casu maior lux appareret in aëre, quam si non essent ibi tot primi gradus lucis, ergo ex eo quod appareat modo, in aëre maior lux, non potest inferri ibi esse plures diuersos, gradus & inæquales. Cumque aliunde nunquam videris similem casum miraculosum, sine fundamento à te dicitur, tunc eam lucem apparituram quidem maiorem, & oculos eam esse maiorem conspecturos, non tamen maiorem eo modo, quo iam est. Fateor ergo tibi, tunc non futuram ibi intensionem, id tamen non posset per sensum percipi; sed quia aliunde nouerat intellectus, ibi esse plures aëris partes penetratas, quamlibet cum proprio gradu lucis. Item si hoc miraculum ignoraretur, non esset vnde posset negari, ibi esse maiorem intensionem lucis, ergo cum modò, appareat maior lux in eadem parte aëris, & aliunde sciamus saltem naturaliter loquendo, nullam esse penetrationem corporum, sed omnes partes lucis, quæ simul sunt, esse etiam in eodem subiecto, non est vnde inferamus, non esse maiorem intensionem, imo potius debemus inferre esse maiorem. Igitur maior intensio lucis rectè potest saluari ex pluribus gradibus similibus vnitis eidem subiecto. Non est ergo vnde possit inferri, eos esse heterogeneos & inæquales.

21. Obiicies *Primo*, ex conclusione infertur, quod æquè accidat qualitati intensio & extensio; sed hoc est falsum, ergo: probatur ma. quia æquè accidentaliter, competeret partibus esse in vna, ac in diuersis partibus subiecti mi. etiam probatur: quia aliàs non esset qualitas perfectior per intensionem, quam per extensionem. Respondetur concess. ma neg. mi. ad probat. dist. anteced non esset perfectior secundum aliquod prædicatum essentiale conced. anteced. secundum accidentale neg. anteced. quia quod perfectius agat qualitas intensa, quam extensa solum prouenit ex intimiori coniunctione graduum, non vero ex additione alicuius partis essentialis diuersæ.

Obiicies *Secundo*, si ad intensionem albedinis v. g. sufficeret coniungi duos gradus similes in eadem parte subiecti, ergo si Deus poneret duas partes quantitatis in eadem parte subiecti (vt videtur posse facere de potentia absoluta, non minus quam potest eas ponere penetratiue in eadem parte spacij) sequeretur quod quantitas intenderetur, quod videtur absurdum. ℞. quod si per illas duas partes quantitatis subiectum possit aliquid perfectius agere, quam per vnam ex illis concedo sequel. Nec id est absurdum; si autem non possit neg. sequelam: Et ratio disparitatis constat: quia per plures partes qualitatis in eodem subiecto potest aliquid fortius agere ac citius, quam per vnam ex illis: vt constat experientia; Hoc autem non esset verum de pluribus partibus quantitatis in hypothesi. Quod si inquiras à me, quid dicerem de casu posito? ℞. mihi probabilius videri, tunc non plus aut perfectius acturum subiectum per plures illas partes quantitatis: Et ratio est, quia à quantitate non habet nisi extensionem impenetrabilem, quam tamen æque haberet ab vnâ, ac à pluribus.

22. Obiicies *Tertio*, si gradus intensionis sunt omnino similes, quilibet eorum haberet eamdem proportionem cũ quolibet gradu qualitatis contrariæ, ergo si vnum ex eis introducatur in subiectum affectum qualitate contraria, vel omnes gradus qualitatis contrariæ simul expellerentur, vel nullus; vtrumque est falsum ergo, probatur

batur conseq. quia non est ratio cur potius vnum expelleret, quam alterũ, aut cur vnus cum vno compatiatur, quam cum altero. ℞. dist. anteced. cum quolibet indeterminato conced. anteced. determinato. neg. anteced. quia vnus gradus caloris non opponitur vlli gradui determinato frigoris, quia nec huic nec illi: cum possit compati cum singulis; Sed bene alicui indedeterminato videlicet vel huic vel illi: quia aliquando hunc, aliquando illum expellit: nam qualescumque sint in subiecto gradus, semper expellit vnum ex eis.

Instabis, Introductio primi gradus frigoris v. g. causat destructionem octaui gradus caloris: opponitur enim octauus vndus qualitatis cum primo alterius contrariæ? Sed si gradus sint homogenei, non potest esse prædicta oppositio & expulsio: quia cum omnes sint similes, non est proprie octauus gradus vel primus; nec est maior ratio cur potius hic, quam ille expellatur, ergo vt prædicta oppositio & expulsio saluetur, dicendum est gradus non esse similes, sed octauum ex se esse octauum, nec posse esse primum aut secundum. ℞. quod sicut aduersarij in solum Deum vt in causam primam reducunt, quod hic primus gradus ex alijs infinitis primis producatur; Ita etiam nos dicimus pertinere ad Deum determinare, quis ex illis octo introductis expellendus sit ad introductionem vnius gradus oppositi; Vtrum autem sit qui vltimo loco introductus fuit, an qui primo? non potest à nobis determinari. Quod si dicatur communiter primum gradum frigoris expellere octauum caloris, non est ita intelligendum, vt expellatur aliquis, qui ex se sit octauus, sed quo complebatur numerus octauus cum alijs.

23. Obiicies *quarto* (Et est præcipuum fundamentum pro opposita sententia) si gradus qualitatis sint similes, non est ratio cur simile non agat in simile: nam si gradus sint similes, tam perfectus erit primus, quàm secundus, ergo potest secundus, imo & octauus produci à primo, atque adeo non solum in simile, verum in perfectius posset aliquid agere. Probatur seu explicatur assumptum: quia posset calidum vt duo intendere calorem alterius calidi vt duo: nam tale potest producere aliquem gradum caloris in quocumque subiecto capaci, & calidum vt duo sibi applicatum est capax vlterioris gradus caloris eiusdem rationis cum illo, quem potest illud calidũ vt duo producere; Et si reciperet illum, intenderetur eius calor, si intensio fiat per gradus homogeneos, ergo calidum vt duo posset intendere calorem alterius calidi vt duo, imo vt septem. ℞. neg. anteced. Ad cuius probationem dico, non posse calidum vt duo producere vnum gradum caloris in quocũque subiecto capaci talis gradus nisi sit capax illum recipiendi ab illo calido; aliud autem calidum non est capax recipiendi vllum gradum à calido sibi simili, vt constat experientia.

Quod si dicas, in nostra sententia non posse dari rationem à priori huius experientiæ, in aduersa vero posse, dicendo scilicet, quod calidum præcise intensum vt duo non continet tertium caloris, qui deberet produci in calido vt duo, quia perfectiorem duobus, qui sunt in ipso, vnde non mirum, si non possit illum producere, ergo aduersa sententia nostræ præferenda est. Resp. non esse necesse, vt cuiuscumque experientiæ possimus dare rationem à priori, nisi quod ex ipsamet experientia constat, talem esse naturam

rerum,

rerum, ex quibus oritur effectus, quem experimur. Ad quod probandum optimam excogitauit instantiam noster Poncius hic: nimirum, quod calidum vt duo sit productiuum caloris vt vnum in quocumque subiecto capaci applicato, siue intendat calorem ipsius siue non; & quod calidum vt tria sit capax talis gradus caloris, qualem posset producere calidum vt duo: nam licet in sententia aduersariorum non intenderetur calor vt tria per additionem talis gradus, & licet calidum vt tria habeat talem gradum ante, tamen cum nulla sit incompatibilitas ininter duos gradus similes (v. g. inter duos primos vel duos secundos, loquor in sententia aduersariorum) cum non opponantur vllo genere oppositionis, æque sequitur quantum ad rationem, quòd calidum vt duo possit producere aliquem gradum in calido vt tria similem primo vel secundo gradui, ac in calido vt vnum. Et si experientia constet oppositum, illius experientiæ videtur non posse dari rationem vllam magis, quàm experientiæ nobis obiectæ.

Quod si dicas, dari pro ratione in hac experientia, quòd frustra produceretur ille gradus, quandoquidem non intenderet neque extenderet formam, ergo non deberet produci; sed non esset frustra productio gradus similis in altera experientia, si posset produci, quia intenderet formam secundum nos. Contra: quia licet esset frustraneus ad hæc, tamen deberet produci, si contineretur in virtute agentis, & passum esset capax eius. Deinde sicut ex eo quòd ille gradus esset frustraneus, agens non posset illum producere, quamvis alias posset; & hoc sufficeret pro ratione experientiæ, qua constaret, quòd non posset illum producere; ita etiam inconueniens quod sequeretur ex eo quod simile ageret in simile (de quo inferius) deberet sufficere ad hoc, vt dicatur id non posse fieri, quamvis ex aliis capitibus videatur id fieri posse. Vnde constat etiam in nostrâ sententiâ posse dari rationem, cur calidum vt duo nihil caloris possit producere in alio calido vt duo.

Inquires *Primo*: *vtrum qualitates habeant terminum suæ intensionis*? Solutio huius dubij habetur supra lib. physicor. disp. 3. à num. 11.

24. Inquires *Secundo*, *quænam qualitates intendi possint*? Sententia communis de omnibus id affirmat; sed noster Poncius hic num. 55. probabilius iudicat debere excipi ab hac regula communi actus potentiarum vitalium: v. g. quod visio albedinis, quæ altera visione eiusdem albedinis intensior est, non habeat hoc ex pluribus partibus seu gradibus, quorum quilibet esset visio. Quod probat sic in exemplo: quia si quis à longe videt imperfectiùs album, & postea accedens amplius, videt perfectius illud, non constat, quod actus ille, quem primò habuit, permaneat, sed potius constat oppositum: nam si maneret, deseruiret ad aliquid; sed constat experientiâ, hoc esse falsum: nam si quis primò poneretur in illâ distantia, in qua habet perfectiorem actum, non præcederet ille actus imperfectior & haberetur ille actus perfectior in eadem omnino perfectione. Constat ergo non manere priorem actum. Vnde quoad intensionem harum qualitatum coincidit cum opinione veteri Gotfredi q. præced. reiectâ & ab ipsomet ibid. impugnata.

Sed fundamentum hoc nullum est, si res in exemplo adducta semel explicetur: nam vel continuatur visio à longiori vsque ad proximiorem distantiam vel

vel non? Si continuatur, certum est eamdem, quæ modò intensa est vt duo, in proximiori distantia esse intensam vt sex, cuius oppositum voluntarie solum assereretur; si vero discontinuetur, & cesset quis à videndo, eliciens, dum est proximiùs, alteram visionem, tunc nullus asseruit permanere priorem actum: talis enim est natura huiusmodi qualitatum, scilicet cito transire. Tunc autem omnes gradus illius intensioris visionis producuntur simul: quia agentia ita possunt in tali distantia. Sicut si calidum vt octo non posset omnes octo gradus caloris simul producere in aliquo passo nisi sublato aliquo impedimento; & si impedimentum paulatim & successiue auferretur, paulatim etiam & successiue produceretur calor; Sic similiter si obiectum visionis non posset ad actum intensum vt octo concurrere in tali distantia, nisi magis & magis approximetur, tamen si primò poneretur in distantia, in qua alias non nisi successiue & paulatim esset, posset tunc ad visionem intensam vt octo concurrere. Quæ omnia explicatis terminis nullam prorsus videntur habere difficultatem. Et idem dici debet de speciebus expressis, quas etiam ibidem excipit Poncius.

QVÆSTIO V.

Vtrum qualitates contrariæ possint simul existere in eodem subiecto?

SVppono *Primo*, qualitates, de quibus hic, vere & proprie, ac in toto rigore dici contrarias: nam oppositio quam per experientiam ex mutua expulsione vnius ad introductionē alterius comperimus: cum non possit esse contradictoria nec priuatiua, si quidem vtrumque extremum positiuum est; nec etiam relatiua: cum neutrum sit relatio, necesse est quòd sit contraria. Suppositum est commune inter Doctores, contra singularem modum sentiendi Arriagæ disp. 5. metaph. n. 37. quem efficaciter satis refutat noster Poncius hic à num. 66. ego autem non aliter, quam ipsiusmet Authoris ratione & discursu ipsum refutarem, quo hic disp. 3. n. 43. satisfacit difficili argumento contra homogeneitatem graduum qualitatis. Vbi saltem hæc inconsequentiæ nota debet sufficere pro improbatione sententiæ. Videatur vtrobique: nam de re adeo communi non oportet amplius dubitare.

25 Suppono *Secundo*, duas tales qualitates sensibiles posse esse naturaliter simul in eodem subiecto in gradibus remissis: v. g. Ponamus summum harum qualitatum esse octo gradus, dico, posse simul existere naturaliter septem frigoris cum vno caloris, & sex cum duobus, & sic de reliquis vsque ad quatuor ex quolibet. Suppositum & patet experientia, & constabit ex dicendis inferius; experientia, quia sentimus manum calidam admotam niui frigefieri paulatim, vbi tantum frigoris expellitur, quantum caloris introducitur; constabit etiam ex dicendis inferius, vbi ex eo quod detur actio & reactio in qualitatibus contrariis, constabit manifeste eas coexistere in gradibus remissis.

Dixi notanter *Qualitates sensibiles*: quia spirituales, qui sunt actus mentis: vt scientia & error, assensus & dissensus, amor & odium nec de potentia Dei absoluta possunt esse simul in eodem etiam in gradibus remissis; sed adueniente vno illorum in gradu remississimo destruitur seu

expellitur præexistens etiam intensissimus. In quo nulla etiam est dissensio inter authores. Est vero circa qualitates sensibiles contrarias intensas in summo, vtrùm possint simul compati in eodem subiecto supernaturaliter & de potentia absoluta: nam naturaliter & de potentia ordinaria certum est, non posse.

26. Sit nostra conclusio, *Contrariæ qualitates in summo intensæ non possunt inesse eidem subiecto simul etiam de potentia Dei absoluta.* Est sententia Philosophi 4. Metaph. dicentis: *Quoniam autem impossibile est, contradictionem simul esse veram de eodem, palam quia nec contraria simul in esse eidem contingit: contrariorum enim alterum est priuatio &c.* (quæ verba clarè explicat Scotus 4. Metaph. summ. 2. capite 4. numero 84.) vbi ita impossibile reputat Philosophus, contraria inesse simul eidem, ac contradictoria prædicari verè de eodem; sed hoc implicat contradictionem, nec de potentia Dei absoluta est possibile, ergo & illud. Idem tenet expresse Scotus 3. physicor. quæstio 5. & 3. d. 1. quæstio. 1. numero 6. vbi: Respondendo huic argumento: contraria non possunt esse simul in eodem subiecto, ergo neque natura diuina & humana in eodem supposito, sic loquitur: *Dico, quòd contraria, non quia diuersa idest in nullo conuenientia, ideo sunt incompossibilia, sed quia in illis est repugnantia, licet in multis conueniant; qualis repugnantia non est in illis, quæ in nullo vel in paucis conueniunt. Natura igitur diuina & humana, licet sint magis diuersa, quàm contraria, non tamen magis repugnantia &c.* vbi ex extremo paritatis constat, ipsum loqui de incompatibilitate etiam supernaturaliter & de potentia absoluta. Et 4. d. 49. quæstione 16. numero 5. & 6. apertè affirmat reperiri repugnantiam formalem inter contraria. Vnde negat posse virtute diuina esse simul in eodem subiecto duo contraria, quamvis concedat, duo corpora posse esse simul in eodem loco. Igitur numero 5. sic obiecerat. *Quodcumque inducit vnum contrarium, expellit reliquum, ergo qui mouet vnum corpus ad locum expellit reliquum; sed hoc non fieret, si possent esse simul in eodem loco ergo &c. Quod autem duo accidentia contraria non possint esse simul in eodem subiecto per nullam potentiam, patet per Philosophum 4. Metaph. qui dicit: quod eadem ratione contradictoria sicut contraria essent in eodem.* Respondendo ergo huic argumento, totam solutionem ponit, in hoc quòd duo corpora non repugnent formaliter respectu eiusdem loci, bene tamen duo accidentia contraria respectu eiusdem subiecti. Et ideo de potentia absoluta duo corpora possunt esse simul in eodem loco, non tamen duo accidentia contraria in eodem subiecto. Sentit ergo Scotus contraria adhuc diuinitus esse incompatibilia in eodem subiecto. Vide quæ diximus lib. physicor. disp. 1. num. 69.

27. Probat Scotus tertio physicor. citato: *Impossibile est formas contrarias stare simul, imo hoc implicat contradictionem: quia contrarietas formarum attenditur penes non posse stare simul in eodem subiecto. Et ideo si starent simul, iam non essent contrariæ. Itaque probatio huius conclusionis stat in quid nominis huius termini contrarium.* Probatur etiam ex verbis Philosophi 4. Metaph. supra. Et sic formatur argumentum quod est essentialiter consequutum ad formam contrariam summè intensam,

ſam, eſt incompatibile etiam de potentia abſoluta cum alia forma contraria, ergo & ipſæ formæ contrariæ, ſi ſemel altera ſit in ſummo intenſa. conſeq. patet. anteced. probatur. forma contrarie ſumme intenſa habet tanquam quid eſſentialiter ad ſe conſequutum priuationem ſuæ contrariæ: vt colligitur ex verbis Philoſophi citatis. Quæ explicat Scotus dicens: *Quia alterum contrariorum includit priuationem ſiue negationem alterius licet aliquid poſitiue addat vltra priuationem*; Sed forma & eius priuatio non poſſunt ſtare ſimul etiam de potentia abſoluta, ergo, &c.

Dices *primo* cum noſtro Poncio hic q. 7. qui oppoſitam ſententiam tenet & communiſſimam repetat, Philoſophum non agnouiſſe potentiam ſupernaturalem Dei, ſecundum quam poſſit facere de rebus aliter, quàm exigerent connaturaliter. Propterea non admittenda eſt in hac re eius authoritas. Reſpond. Quod licet verum eſſet, Philoſophum non agnouiſſe potentiam ſupernaturalem Dei, eſt tamen magni æſtimanda authoritas eius, dum eandem impoſſibilitatem inuenit in compatibilitate contrariorum in eodem, ac in verificatione contradictoriorum de eodem; & licet interpretatio Scoti pateretur hanc explicationem, provt conformis menti Philoſophi; non tamen dicta eius in 3. & 4. ſententiar. quæ adeo expreſſa ſunt.

Dices *ſecundo* cum eodem, non eſſe ita neceſſario connexam expulſionem vnius qualitatis contrariæ cum poſitione alterius in ſummo, quin poſſit eſſe ſine ipſa: nam hæc expulſio v. g. frigoris habetur formaliter per negationem concurſus conſeruatiui frigoris, quæ negatio poſſet haberi, quamuis calor non introduceretur in ſubiecto, ergo, &c. ℞. Licet expulſio frigoris ponatur formaliter per negationem concurſus conſeruatiui eius, & ex hoc haberi poſſit abſque introductione vlla caloris; tamen impoſſibile eſt poni calorem in ſummo, quin expellatur omne frigus: quia expulſio eſt conſequutio formalis poſitionis caloris in ſummo & effectus formalis ſecundarius eius. Sicut licet expelli poſſit à Deo odium abſque introductione amoris per ſubtractionem concurſus conſeruatiui; & poſſit amor induci naturaliter, quin odium præceſſerit; tamen non poteſt impediri etiam à Deo, quin ſi odium præcedat, amor expellat illud: quia illius expulſio eſt conſequutio eſſentialis introductionis iſtius. Et ſicut licet effectus formalis primarius formæ ſit reddere ſubiectum tale verbi gratia albedinis reddere album, tamen impediri nequit etiam à Deo, quin expellat priuationem ſui: quia hæc expulſio eſt effectus formalis ſecundarius inſeparabilis & tanquam eſſentialiter conſequutus ad ipſam, ita etiam cum ex Ariſtotel. & Scoto ſupra alterum contrariorum includat priuationem ſeu negationem alterius, tam neceſſario connexa debet eſſe expulſio vnius contrarij ad poſitionem alterius in ſummo, ac expulſio priuationis formæ ad poſitionem eius (licet non ita primario) & etiam ac expulſio odij ad poſitionem amoris.

28. Obiicies *primo*, ſi negatio inexiſtentiæ vnius contrarij eſt paſſio poſitionis alterius, ergo conuenit etiam formæ in gradu remiſſo: probatur conſeq. quia paſſio naturæ communis conuenit omni indiuiduo, ergo illa negatio conuenit etiam formæ remiſſæ. Reſp. neg. conſeq. & eius probat. quia illa negatio non eſt paſſio naturæ ſpecificæ abſolutè, ſed tantum quan-

do forma est summè intensa. Quod si dicas, passionem quæ conuenit vni indiuiduo eiusque speciei, conuenire alteri; sed qualitas remissa & summè intensa sunt eiusdem speciei, ergo, &c. Resp. neg. ma. nam aptitudo ad occupandum naturaliter locum tripedalem conuenit lineæ tripedali, non tamen bipedali, quæ est eiusdem speciei cum ipsa. Item negatio Pauli est propria passio Petri, non tamen est passio ipsius Pauli.

Obiicies *secundo*, ignis non potest introducere suam formam in ligno, nisi ipsum disponat per summum calorem; sed lignum ad minus requirit pro sui conseruatione vnum gradum frigoris, ergo in illo vltimo instanti dispositionis ligni compatitur summus calor cum aliquo gradu frigoris. Respond. neg. ma. nam ignis disponit lignum, per calorem sufficientem ad extenuandam virtutem conseruatiuam ligni: nam si per summum calorem destrueret lignum, destrueret omnes gradus frigoris, quibus conseruabatur forma ligni, atque adeo destrueret ipsam formam ligni, non vt ignis, sed vt calefactiuus, idest media sua virtute instrumentali, quæ est accidens. Et non minus est impossibile accidenti destruere substantiam, quàm producere substantiam: vt inquit Scotus 4. d. 12. q. 3. n. 21. vbi totam hanc doctrinam perspicua resolutione tradit. Disponit ergo vltimo ignis lignum per calorem vt septem (suppono quod calor summus sit vt octo) cum quo compatitur vnus gradus frigoris. Quo calore posito & extenuata virtute resistitiua ligni, ipse ignis immediate destruit formam ligni per se; & per accidens destruit etiam septem gradus caloris, quibus disposuerat lignum & gradum frigoris, quo vltimo resistebat lignum. Deinde producit in se immediate summum calorem, qui ad sui conseruationem requiritur. Et hic ordo seruatur cum debita proportione in omni generatione.

DISPVTATIO IV.
De Nutritione & Augmentatione.

QVÆSTIO I.
Quid sit Nutritio, & quo modo peragatur.

NOTANDVM, Nutritionem sumi aliquando pro mutatione, aliquando pro actione, & vtroque modo dupliciter, late & stricte, sumitur *primo* late pro conuersione alicuius pabuli in substantiam rei conuertentis: sic dicitur ignis nutriri conuertendo lignum in suam substantiam. *Secundo* proprie pro conuersione, quâ viuens conuertit alimentum inter suas partes receptum in suam substantiam. Sumpta etiam pro actione sumitur *primo* late pro aggeneratione partium substantiæ ad alias partes præexistentes siue viuentis siue alterius cuiuscumque. *Secundo* stricte pro aggeneratione partium viuentis ad alias partes præexistentes. Et de ista agimus hic,

1. Sit conclusio: *Nutritio vt actio est aggeneratio partis substantialis ad aliam facta per virtutem viuentis transmutantis materiam alimenti in suam substantiam.* Ita Scotus 4. disp. 44. quæst. 1. *Vt mutatio vero est conuersio alimenti*

alimenti facta virtute vitali viuentis in partes ipsius aliis praeexistentibus aggeneratas in suam substantiam praeexistentem aggeneratam. Probatur facile: quia in vtraque ponitur aliquid pro genere, & aliquid loco differentiae, vt constabit, si singulas particulas inspiciamus, & aliis actionibus & conuersionibus comparemus. Dicitur *facta virtute vitali agẽtis*, vt excludatur nutritio late sumpta, de qua in Notab. Reliqua ponuntur, vt distinguatur à generatione, per quam viuens producit sibi simile, sed non aggenerat illud sibi; hoc est non coniungit secum integraliter.

Obiicies *Primo*, Aggeneratio partium viuentis potest fieri ab aliquo agente à nutrito distincto: posset enim fieri à solo Deo, ergo male definita est nutritio. Respondetur, quod hoc contingeret extra ordinem naturae; nostra autem & communis definitio intelligitur de nutritione, vt fit viâ naturali; Neque hoc videtur esse semper necessarium: nam forte modò fit à matre, quando foetus nondum est maturus.

Obiicies *Secundo*, species Eucharisticae nutriunt; sed ibi non est conuersio alicuius alimenti: quia nulla est substantia & consequenter nec alimentum, ergo male dicitur, quod nutritio sit conuersio seu corruptio alimenti. Respondetur concess. ma. neg. mi. & eius probat. quia licet ante corruptionem specierum nulla sit ibi substantia, tamen ipsis iam calore naturali in stomacho corruptis, succedit ibi talis substantia, qualis ex digestione substantiae panis, si adesset, virtute eiusdem caloris naturalis succederet. Et huius fit conuersio in substantiam aliti. Sed de hoc in Theologia tractat. de Eucharistia.

2. Inquires primo, An prius vniatur materia alimenti materiae viuentis, quam recipiat vllam partem formae viuentis: An vero primo informetur, & pars sic generata postea vniatur? Respondetur quod debet primo generari & postea vniri: quia sicut generans potest generare aliquid, ipsum sibi non vniendo, ita potest primo aliquid generare, & postea idem sibi advnire. Item propter formam vnitur materia, & non è contra, atque adeo prius debet habere formam, quam vniatur.

3. Inquires Secundo, *in quibus partibus fiat nutritio?* Respondeo, dum animal crescit, tunc fieri nutritionem in omnibus illius partibus: experientia enim docet, maiora esse omnia membra in homine procerae staturae, quam in ipso paruulo fuere, ergo omnia illius membra nutritione aucta sunt. Maior difficultas est, An postquam stetit illius incrementum v. g. expleto vigesimo quinto anno, detur postea nutritio in omnibus partibus illius, tam duris, quam mollibus in ossibus & carne? Respondeo partes duras ab hoc tempore non nutriri, vt dentes & ossa: quia omnes huiusmodi partes ita exsiccantur, & illarum pori clauduntur, vt non possint sugere alimentum, quo nutriantur à posteriori etiam probatur: quia si ossa essent capacia nutritionis toto tempore vitae, sicut caro, posset homo in altum crescere, quod est falsum: sequela probatur, quia eo ipso, quo ossa augeantur & crescant, necessariũ est, vt crescat animal, ergo &c.

4. Ad secundam partem quaestionis, quâ inquiritur: *Quo modo fiat nutritio in viuentibus?* Respondeo & explico breuiter ex communi Philosophorum sententia. Cum primò cibus ore excipitur ibi non tantum conteritur, sed & alteratur primâ

vice per admixtionem saliuæ quia iuxta Galenum & experientiam magnam habet virtutem alterandi. Deinde in partes conscissus & notabiliter alteratus, agitatione linguæ & attractione gulæ in stomachum euocatur: Vbi secunda vice mire alteratur & per calorem naturalem ita coquitur, vt in massam albam, quam medici Chylum vocant, reducatur. Exinde Chylus via naturali per orificium internum, quod Latini ianitorem vocant, perpellitur ad intestina, vbi id, quod vtile est, venæ quædam dictæ mesaraicæ attrahunt, & ad dexterum latus stomachi: ad iecur, transmittunt, excrementis ad inferiorem intestinorum partem reiectis. Iecur chylum attractum iterum alterat & coquit, conuertitque in chymum seu massam quamdam quatuor humoribus consistentem nempe sanguine, pituita seu phlegmate, flaua bili seu cholera, & atra bili seu melancholia; Qui in loca specialia à natura destinantur, flaua bilis in vesiculam, quæ iecori adhæret, vbi iam dicitur fel; atra bilis ad latus sinistrum stomachi in splenem relegatur, pituita vero non dimittitur in singularem locum, aut quia iuxta nonnullos est vehiculum sanguinis, aut quia iuxta Conimbricens. est sanguis semicoctus, ideoque facile perficitur & cedit in alimentum, aut denique quia deseruit ad humectanda membra omnia, ne frequenti agitatione arescant; Sanguis vero è iecore ad cor transmittitur, vbi eleboratus, in omnes partes corporis transfundatur. Ad omnes has concoctiones iuuatur altrix facultas humore aquæ, vini aut alterius liquoris. Illis autem concoctionibus peractis, quia iam humor aquæ & vini superfluus est per venas emulgentes primo in renes, deinde in vesicam deiicitur, vt possit extra animal pelli, & hæc est vrina, ita Philosophus.

Verum communis medicorum sententia tenet, sanguinem è iecore, seruato tamen ad sui nutrimentum sufficienti, in venam quamdam, quam cauam magnam vocant, recipi, quæ vena in superiorem & inferiorem ventris partem distenditur; & hinc omnia membra virtute vegetatiua per minores venulas ad hanc cauam terminatas ad se sanguinem trahunt. In qua attractione hoc seruatur, quod membra per quæ ad remotiores partes defertur, aliquid sanguinis sibi reseruant: singula enim membra in suis poris continent quemdam humorem subtiliorem, qui sanguini facile dat locum, & sic sanguinem per venas ad deriuatum imbibunt: & instar spongiæ in se recipiunt, vbi existens, sanguis aliam vlterius coctionem subijt, & vltimate disponitur, quo facto in partes, corporis conuertitur, & loco partium deperditarum per potentiam nutritiuam aggenerantur. In qua conuersione seu aggeneratione ratio *nutritionis* consistit.

QVÆSTIO II.

Quo modo Viuens maneat idem toto tempore nutritionis?

NOtandum *primo*, tripliciter dici aliquid idem numero, *primo* totaliter, quando scilicet omnes partes tam integrales quàm essentiales manent eædem numero. *Secundo* partialiter, si maneat tantum aliqua pars eadem numero, sic diceretur Petrus idem numero: quia anima eius eadem manet, licet caro fluat. *Tertio* secundum

secundum continuationem. Et est id quod simpliciter nullas habet partes easdem siue essentiales siue integrales; dicitur tamen idem numero : quia partes succedentes sunt eiusdem rationis & retinent ordinem cum præcedentibus : Hoc modo dicitur idem numero fluuius v. g. *Pisoraca* nunc, qui antea fluxit.

5. Notandum *Secundo*, Scotum 4. d. 44. quæstione 1. obiter dixisse aliqua ex quibus aliquatenus colligere, possumus mentem ipsius quantum ad præsentem quæstionem. Aduertendum igitur, partem tam secundum materiam, quam secundum formam esse partem integralem singularem compositam scilicet ex materia & forma, cum hoc tamen discrimine quod pars secundum formam possit agere, non tantum coagendo toti, sed etiam propriâ actione existens in toto; pars vero secundum materiam non possit sic agere. Item pars secundum formam est prior & à natiuitate in viuente; pars vero secundum materiam impurior & per nutritionem acquisita. Ratio vero talis appellationis est, quod forma dicatur dare esse & agere rei, materia vero non. Vnde pars secundum formam dicitur pars actiua propria actione. Quare etiam ad partem secundum formam requiritur determinata intensio, & extensio & determinata agendi virtus; ad partem secundum materiam neutra.

Hinc etiam dicitur, partes secundum formam manere easdem numero : tum quia habent quantitatem & extensionem sufficientem, vt eis aliæ partes aggenerentur; & virtutem agendi per quam, defendantur ab actione contrarij corruptiui; partes vero secundum materiam ob defectum vtriusque fluere & corrumpi, Et sic dicitur viuens manere idem numero semper ratione partium secundum formam, quæ eædem semper numero manent, licet partes secundum materiam, deperdat & acquirat sæpius. Hanc doctrinam colligo ex Scoto supra, vbi sic videtur explicare Philosophum, qui in hoc libro text. 35. inquit, partes formales viuentis manere easdem, non vero materiales. Et ex nostro Hiquæo ibidem n. 54.

6. Suppono quantum ad homines, posse dici, quod maneant ijdem numero toto tempore vitæ, cum semper maneat anima rationalis eadem, quæ est eorum præcipua pars, quamuis succederēt aliæ & aliæ partes, nec pars aliqua ex receptis à parentibus maneret. Et idem posset dici etiam quantum ad animantia perfecta: cum ex multorum sententia habeant animas indiuisibiles. Est tamen dubium, An vltra hanc rationem debeant dici permanere eadem numero : quia aliquæ partes ex acceptis à generante manent vsque ad finem vitæ, An vero quia etsi omnes omnino nouæ succedant, seruant tamen ordinem continuationis cum prioribus, qui est tertius modus supra assignatus; Et idem inquiritur de reliquis animantibus quantum ad omnes partes.

7. Sit prima conclusio, *viuens in nutritione non tantum acquirit nouam partem materiæ, sed & nouam partem formæ, & consequenter non manet idem numero identitate omnium partium formæ.* Est communis & Scoti supra. Probatur, si pars materiæ de nouo acquisita in nutritione non acquirat nouam partem formæ, ergo acquirit aliquam partem formæ: quæ antea erat in aliqua alia materia, quia non potest naturaliter esse sine vllâ forma; sed hoc est falsum, ergo. Probatur subsumptum : quia sequeretur vel dari materiam sine

sine vlla forma, vel duas formas in vna materia, vel vnam in duabus; sed horum quodlibet est naturaliter impossibile, ergo. Probatur ma. quia vel illa materia in qua hæc pars formæ antea erat, manet sine vlla forma, vel hanc adhuc retinet, & sic vna forma erit in duabus materiis, vel habuit aliam simul cum hac & ita duas, ergo dicendum est quod viuens non solum nouam partem materiæ, sed & nouam partem formæ etiam acquirat in nutritione.

8. Secunda conclusio, *viuens non manet idem numero toto tempore nutritionis, eo quod maneant eædem partes eius secundum essentiam, licet sint diuersæ secundum indiuiduum.* Est contra nostrum Poncium hic n. 11. Probatur, identitas specifica cum diuersitate numerica partium non sufficit ad identitatem numericam totius, ergo. Probatur anteced. quia plura indiuidua numero distincta habent identitatem specificam cnm diuersitate numerica omnium suarum partium. Respondent contrarij dist. anteced. identitas specifica cum diuersitate numerica partium, quæ successiue & continue inter se vniuntur negant anteced. partium, quæ non sic vniuntur, verum est anteced. Vnde si omnes partes, quæ modo sunt in viuente simul pereant & aliæ nouæ succedant, non erit idem numero viuens; si autem nunc aliquæ pereant, aliis succedentibus & iterum aliæ aliis succedant, donec tandem nulla sit pars ex eis, quæ modo sunt, idem numero erit propter continuationem talium partium inter se.

Sed contra *primo*, si Deus omnes illas partes, quæ ante triginta annos erant in viuente, & quarum nulla hodie est in ipso, nunc reproducere t & inter se vniret Romæ, viuens quod est hic, non esset idem numero cum illo viuente, quod est Romæ, ergo nec modo est idem numero viuens, quod erat ante triginta annos, si nulla pars maneat eadem nunc, quæ erat tunc: conseq. patet, quia illud viuens, quod erat ante triginta annos est vnum idem realiter numero Romæ: quia vtrumque habet easdem numero partes. Probatur anteced. quia viuens, quod est hic habet omnes partes numero & realiter distinctas à partibus illius, quod est Romæ. Contra *secundo*, & sit confirmatio conclusionis: Illud non remanet idem, cuius nulla pars remanet eadem numero; sed nulla pars illius viuentis iuxta aduersarios remanet eadem numero: quia singulæ sunt corruptæ, ergo nec ipsum viuens.

9. Tertia Conclusio, *Eatenus præcise viuens manet idem numero tempore nutritionis, quatenus toto tempore habet partes secundum formam numero easdem*: Hoc est quatenus partes aliquæ dictæ spermaticæ, integræ & incorruptæ manent. Ita Colligo ex Scoto supra n. 12. & 13. Eandem tenet Toletus hic & alij. Est contra Poncium n. 9. Probatur, quia non est congruentior modus loquendi: vt patet ex refutatione aliarum opinionum. *Secundo*, quia tales partes permanent aliquæ saltem eædem numero semper in viuente; sed identitas numerica talium sufficit, vt viuens aliquo modo dicatur idem, ergo &c. probatur mi. alias non posset vllo modo congrue manere viuens idem numero, vt patet ex dictis. *Tertio*, quia in qualibet partiali corruptione viuentis aliquæ partes pereunt & aliquæ permanent; rationabilius autem videtur, vt partes puriores & solidiores maneant quoad aliquid, quàm aliæ minus solidæ; sed partes, quas viuens habet à natiuitate sunt solidiores partibus quotidie per nutritionem acquisitis, ergo tales secundum aliquid

aliquid sui saltem manent in qualibet corruptione, & consequenter toto tempore vitæ, propter quas possit dici idem.

10. Obiicies *primo*, omnes partes spermaticæ siue nutrimentales sunt eiusdem rationis, ergo sicut vna potest corrumpi ita & altera, ergo nulla manet eadem numero. ℞. neg. vltimam conseq. quia licet possit corrumpi, non tamen actu corrumpitur: quia habet qualitates minus disponentes ad corruptionem.

Sed dices, ergo si non corrumpantur, semper fiunt maiores & maiores per singulas nutritiones, ita vt tandem deueniant ad extraordinariam quantitatem molis. Patet conseq. quia ipsis semper aliquid additur & nihil demitur, ergo. ℞. neg. conseq. ad probat. dist. anteced. nihil demitur quoad illam entitatem, quam habent ante nutritionem, conced. anteced. quantum ad partes acquisitas per nutritionem, neg. anteced.

Obiicies *secundo*, Sequitur quod infantis mox geniti, nullæ partes corrumpantur, si alimentum ipsi non administretur; hoc est falsum, ergo. Probatur ma. habet partes illas spermaticas; sed hæ per te non corrumpuntur, ergo. ℞. neg. ma. ad probat. concess. ma. dist. mi. non corrumpuntur omnes manente viuente conced. mi. aliquæ neg. mi. Vel aliter non corrumpuntur, si adsint aliæ magis dispositæ ad corruptionem, quales sunt nutrimentales, concedo. Si non adsint nutrimentales, nego. Itaque non dicimus, tales partes non corrumpi, sed quod maneant aliquæ incorruptæ, durante viuente: Et ratio est, quia cum necesse sit in singulis diminutionibus manere aliquas partes, potius solidiores & magis munitæ contra vim agentis contrarij remanere debent.

QVÆSTIO III.

Quid sit Augmentatio seu Accretio.

AVgmentatio licet sumi possit pro actione; Plerumque tamen sumitur pro mutatione. Et sic sumpta accipitur varie. *Primo* largissime prout significat quamcumque mutationem, qua aliquid crescit seu augetur in quocumque genere siue in quantitate siue in qualitate. Et in hoc sensu calor dicitur augeri tam secundum extensionem, quam intensionem, & homo dicitur crescere in virtutibus vel vitiis. *Secundo* minus large, prout significat mutationem, quâ acquiritur pars integralis substantialis, quæ rei alicui quomodocumque superadditur, & sic dicitur aqua augeri infusa alia aqua vel etiam vino. *Tertio* denique accipitur strictius & magis propriè & vt in præsenti materia, prout scilicet significat mutationem, quâ acquiritur quantitas maior ex conuersione alimenti vitaliter facta. Et in hoc sensu inquirimus hic de *Augmentatione.*

Ad quam Nota, tres conditiones requiri ab Aristotele, hic text. 32. Prima est quod res aucta maneat, postquam aucta est, eadem numero quæ fuit antea. Secunda quod res augeatur ob accessionem alicuius materiæ extrinsecus aduenientis. Tertia quod res augeatur secundum omnes suas partes.

11. Sit conclusio, *Augmentatio prout in præsenti est mutatio rei ad maiorem quantitatem per intus susceptionem vitaliter facta.* Ponitur *mutatio* pro genere, in quo conuenit cum generatione, alteratione & latione. Dicitur ad *Quantitatem* vt distinguatur à cæteris

illis mutationibus. Additur *ad maiorem*, vt distinguatur à mutatione, quâ viuens acquireret quantitatem, sed minorem vel æqualem cum quantitate deperdita, dicitur *per intus-susceptionem vitaliter facta*, vt distinguatur ab augmentatione secundo loco assignata, & vt propria, quæ viuentis seu vitalis est, assignetur. Qua scilicet viuens per virtutem sibi intrinsecam acquirit nouam partem Quantitatis eam alijs præexistentibus vniendo.

Dices, Mutatio qua omnes partes Quantitatis simul acquirerentur in instanti, esset vera augmentatio & vitaliter facta, & tamen non esset mutatio ad maiorem quantitatem, ergo &c. Probatur anteced. à paritate: nam alteratio, cuius omnes partes producuntur in instanti, est vera alteratio, ergo & illa augmentatio esset vera augmentatio. ℞. dist anteced. esset augmentatio late sumpta concedo anteced. proprie, neg. anteced. Ad probat. est disparitas, quia nunquam dicitur aliquid proprie augeri aut crescere, nisi quod transit de minori quantitate ad maiorem, sicut nec intendi aut extendi: Et sic pars de nouo acquisita præsupponit aliam; Aliquid tamen potest dici alterari, esto non transeat à minori Qualitate ad maiorem. Tamen sumendo augmentationem large & eam describendo, quod sit mutatio ad Quantitatem, ibi esset vera augmentatio.

12 Inquires *primo*, *Vtrum Augmentatio & Nutritio sint actiones diuersæ*, *An vero vnica*? Pro responsione Nota, dum viuens augetur, ipsũ acquirere & nouam partem substantialem, maiorem quam perdiderat per actionem caloris naturalis, & præterea quantitatem maiorem correspondentem isti parti maiori substantiali? Et eodem modo etiam dum nutritur, acquirere partem substantialem nouam, & quantitatem correspondentem. Nunc ℞. esse diuersas actiones: nam vt constat ex dictis in lib. Physicor. cum actio sit ipsemet effectus in fieri diuersi genere effectus, quales sunt substantia & quantitas, necessario exigunt diuersas actiones, quibus producantur. Quod confirmari potest ex eo quod si Deus produceret de nouo compositũ aliquod physicum secundũ se totum, non possent non interuenire ibi duæ actiones diuersæ, altera productiua materiæ quæ est creatio, altera productiua formæ & compositi, quæ esset generatio, ergo similiter in casu nostro, licet simul producatur & pars noua substantialis acquisita per nutritionem, & quantitas ipsi correspondens, diuersa debet esse actio terminata ad vnam, ac terminata ad alteram.

Inquires *Secundo*, *Vtrum Augmentatio & Nutritio sint motus continui*? Resolutio huius dubij est prorsus eadẽ ac decisio quæstionis secundæ disputationis præce dentis: videatur.

QVÆSTIO IV.

Vtrum in Augmentatione & Diminutione sit status seu terminus?

SEnsus Quæstionis est: Vtrum possit quodlibet corpus sine termino augeri & diminui? Et cum duplex sit genus corporum continuorum, de quibus hoc potest dubitari, alterum inanimatorum seu quæ non ordinantur ad animam: v.g. ignis, aquæ &c; alterum viuentium, seu quæ ad animam sunt ordinata vt sunt corpora organica

organica v. g. Hominis, leonis &c. de vtrisque procedit quæstio. Pro cuius decisione, Notandum est, terminum magnitudinis sicut & paruitatis esse duplicem, vnum intrinsecum, alterum extrinsecum. Intrinsecus magnitudinis est illa Quantitas, sub qua res ita generari & esse potest, vt sub maiori neque generari, neque esse possit. Et ideo hunc terminum vocant Philosophi *maximum quod sic*: vt si Homo verbi gratia habere possit magnitudinem septem cubitorum & non maiorem. Terminus vero extrinsecus est illa quantitas, quam res habere non potest: bene tamen quamcumque minorem, & propterea dicitur *minimum quod non*; quia est minima quantitas ex his, quæ habere non potest. Similiter terminus paruitatis intrinsecus est illa quantitas sub qua esse potest & non sub minori, ac propterea appellatur *minimum quod sic*; Terminus vero extrinsecus est illa quantitas, sub qua non potest esse res, bene tamen sub qualibet maiori, & ideo dicitur *maximum quod non*: quia est maxima quantitas ex his, quæ habere non potest.

13. Prima conclusio. *Corpora viuentia habent terminos intrinsecos suæ magnitudinis & paruitatis, nempe maximum quod sic, ita vt virtute sua propria seu natiua non possint augere se vlterius & vltra illum crescere; Et minimum quod sic, sub quo generari petant, ita vt naturaliter non possint generari aut esse sub minori.* ita Scotus 2.d. 2. quæst.9. Et est communis. Probatur *primo* ex Aristo. 4. de generat. animal. cap. 4. vbi ait: Perficiendi cuiuscumque animalis certa est magnitudo tum ad maius, tum ad minus quē terminum non supergrediuntur, vt vel maiora vel minora euadant, sed in medio magnitudinis spatio excessum, defectumve inter se capiunt. ergo &c. Probatur *Secundo* experientia, qua constat, animalia non crescere, quando perueniunt ad certum terminum, cuius ratio à priori potest esse, vel quod calor naturalis deseruiens ad augmentum deficiat paulatim, fiatque remissior, adeo vt non possit tantum substantiæ producere, quantum possit sufficere ad augmentum; vel quod ossa, cartilagines ac nerui successu temporis adeo indurentur, vt nō sint apti ad recipiendum plus alimenti per intra susceptionem: vt constat ex dictis supra n. 4. Probatur *tertio*. Quia anima quæ est forma viuentium, petit pro suo subiecto corpus organicum, quod habet diuersas partes & instrumenta accommodata ad diuersas operationes vitales peragendas; sed dari potest tam parua quantitas, in qua reperiri nequeant huiusmodi instrummenta diuersa, ergo corpora viuentia non possunt sub tali quantitate esse & generari similiter, si viuentia haberent membra nimis magna, essent omnino inepta ad suas functiones exercendas, ergo similiter petunt determinatam quantitatem versus magnitudinem, qua maiorem non possunt habere naturaliter.

14. Obiicies *primo*, si daretur in viuentibus *maximum quod sic & minimū quod sic*, assignetur vnus homo verbi gratia qui iam sit sub maximo quod sic, & alius homo qui iam sit sub minimo quod sic; prior poterit per tumefactionem prouenientem ab aliqua infirmitate crescere & augeri: & alteri potest alia infirmitas superuenire, per quam membra eius contrahantur & fiant minora. Tunc quæri potest, An possint breui aliquo tempore sub huiusmodi dispositionibus viuere, vel an statim perire

debeant ? si dicatur primum, ergo vtrumque excedit terminum intrinsecum suæ magnitudinis & paruitatis; Si verò secundum, sequitur euidenter, desinere vtrumque extrinsece contra dicta in lib. Physicor. disp. 6. q. 2. nam tumefactio & condensatio sunt motus successiui, ergo non sunt ponendi termini intrinseci siue penes magnitudinem siue penes paruitatem. Respondetur: *Primo* neg. anteced. quia licet per tumefactionem videantur corpora viuentia maiorem quantitatem acquirere, & per condensationem deperdere aliquam, tamen vt q. seq. videbimus, per illas solum acquirunt vel deperdunt qualitates quasdam aduersas, ratione quarum quantites, quas habebant, dilatantur vel contrahuntur, & sic dilatatæ vel contractæ maiorem vel minorem locum occupant. Quò fit, vt sensu iudicentur maiora vel minora; verùm intellectus ratione potius, quã apparentia ductus contrariũ cognoscit & sic sensum corrigit. Vel,

Respondeo *Secundo*, quod licet per tumefactionem nouam quantitatem acquireret, cum sit duplex status in homine, vnus naturalis supposita sanitate, & alius quasi violentus & ab infirmitate superueniente proueniens, licet transcenderet illum primum, non tamen hunc secundum. Quod si cum vltra hunc terminum seu statum nouam quantitatem acquireret per continuationem tumefactionis, moreretur, non propterea desineret extrinsece seu in tempore: nam deberet desinere in instanti extrinseco temporis, quo deberet acquiri noua quantitas, ita vt verum esset dicere: in hoc instanti est, & immediate post non erit. Quod confirmatur ex eo quod homo desinat esse de facto propter introductionem dispositionum contrariarum suis dispositionibus necessariis, quæ dispositiones introducuntur in tempore non minus, quam quantitas aucta per tumefactionem, ergo vel saluatur desitio hominis in tempore & sic etiam poterit saluari in casu argumenti; vel non obstante productione temporariâ dispositionum illarum, non fiet desitio hominis in tempore, & eodem modo dici potest in casu nostro.

Obiicies *Secundo*, Gigantes longe superarunt magnitudinem cæterorum hominum, ergo maiorem longe habuerunt magnitudinem, quam sit illa, quam pro termino intrinseco postulat humana species. Respondetur concess. anteced. neg. conseq. quia terminus iste quem vocamus *maximum quod sic*, non consistit in indiuisibili; sed magnam habet latitudinem se extendentem ad totam illorum quantitatem. Quod sufficienter suadetur ex eo quod gigantes conuenienter exercebant opera vitæ. Vnde membra illorum & integra corpora erant conuenientia instrumenta pro eis operationibus vitæ exercendis, atque adeo terminum intrinsecum non excesserunt.

15. Secunda conclusio, *corpora non viuentia non postulant terminos intrinsecos siue magnitudinis siue paruitatis*. Prima pars conclusionis habetur ex Philosopho asserente, ignem augeri posse in infinitum. Et ratio est quia quantumlibet magnum ignem excogitemus, comburere potest stupam sibi aplicatam, & consequenter maior fieri, quare nullus assignari potest terminus igni versus magnitudinem, vltra quem non possit crescere. Secunda pars conclusionis habetur ex lib. Physicor. disp. 6. quæstione 1. vbi diximus ex Aristotele quantum esse diuisibile in semper diuisibilia, ex quo sequitur quod non sit assignabilis aliqua pars ignis v. g. vel alterius corporis

corporis inanimati, quin alia minor assignari queat. Vnde nec versus paruitatem habent non viuentia terminum intrinsecum.

QVÆSTIO V.

Quo modo fiat rarefactio & condensatio?

NOtandum *Primo*, dupliciter posse esse aliquod corpus rarum & densum. *Primo* quatenus ex natura sua intrinseca est subtile aut crassum, seu tale vt facile vel difficulter possint partes eius ad inuicem separari per interpositionem aliorum corporum, quibus pertranseuntibus minus vel magis resistere potest, vt patet in aere vel aqua. Secundo ex eo quod occupet maiorem vel minorem locum, quam antea occupabat, vel ex eo quod habeat qualitatem aliquam, ratione cuius exigat talem maiorem vel minorem locũ. Hic non de priori, sed de posteriori raritate & densitate inquirimus. Pro cuius exactiori intelligentia,

Notandum *Secundo*, dupliciter posse corpus hoc modo rarefieri, primo large & improprie per discontinuationem notabilem & distantiam partium determinatarum ipsius, sicut fit in spongia compressa, ac relicta postea naturæ suæ. Secundo strictius & proprie per extensionem maiorem alicuius corporis sine sensibili intromissione alterius corporis & distantia notabili partium determinatarum ipsius, vt contingit in aqua quando notabiliter calefit, & quando reducitur à congelatione ad statum proprium. Et cum proportione ad hoc dupliciter potest corpus condensari, primo per compressionem notabilem partium determinatarum ac expulsionem sensibilem alterius substantiæ: vt fit in spongia manibus compressa. Secundo per contractionem rei ad minorem locum absque compressione sensibili partium determinatarum, vt contingit in aqua congelata. Distinguitur autem vtraque rarefactio ab augmentatione, quod hæc fiat virtute vitali & habeat secum annexam nutritionem substantialem, solisque viuentibus propterea conueniat; rarefactio vero non item.

His prænotatis, suppono vt communiter iam receptum, rarefactionem non fieri per deperditionem antiquæ quantitatis, & acquisitionem nouæ maioris; Et condensationem è contra per deperditionem totius quantitatis maioris & acquisitionem nouæ minoris. Quæ fuit sententia Gotfredi: nam cum experientia constet, qualitates corporis rarefacti non destrui, nec eius quantitas destruetur: aliàs transirent de subiecto in subiectum. Suppono item, rerefactionem non fieri absque acquisitione seu potius positione nouæ quantitatis aut nouæ extensionis quantitatiuæ, cuius oppositum attribuit Complutensibus noster Poncius hic. Nec indiget aliâ probatione, quam experientia ipsa, qua oculis & manibus sentimus, nunquam rarefieri aliquid absque occupatione maioris loci, nec condensari absque occupatione minoris.

16. Sit prima conclusio, *Rarefactio non fit per hoc, quod seruatâ eadem entitate substantiæ & priori quantitate; acquiratur noua pars quantitatis? Nec condensatio per hoc, quod vnam partem quantitatis tantum amittat, alia seruatâ.* Est contra aliquos Scotistas, item contra Caietan. & quosdam alios. Probatur, quia sequeretur, duas partes quantitatis esse in eadem parte substantiæ vtrique æquali; sed hoc est falsum, ergo. Patet mi. quia

ſic eſſet penetratio dimenſionum. ma. vero probatur, quia illa noua pars quantitatis eſt in aliqua parte ſubſtantiæ præexiſtentis ſibi æquali: quia non poteſt eſſe extra omne ſubiectum naturaliter; ſed illa eadem pars antea habuit aliam partem quantitatis ſibi æqualem ideſt coextenſam: quia alias vel ſecundum ſe totam vel ſecundum partem aliquam exiſteret naturaliter ſine quantitate, ergo, &c.

Reſpondent contrarij, duas partes proportionales eſſe in eadem parte ſubiecti, quod non repugnat; non vero duas aliquotas. Sed contra, ergo partes proportionales ſunt penetrabiles naturaliter: quia quæ ſunt in eadem parte ſubiecti naturaliter, ſe penetrant naturaliter: vt patet in albedine & dulcedine, vel in duobus gradibus intenſionis albedinis; ſed illæ partes ſunt eiuſdem rationis cum tota quantitate: quia omnes partes continui ſunt eiuſdem rationis inter ſe & cum toto, ergo tota quantitas eſt penetrabilis. Quod non concedes.

17. Secunda concluſio, *Rarefactio non fit per hoc præciſe, quod modus quidam quantitatis acquiratur ſcilicet maior extenſio ſeu occupatio loci, non vero pars aliqua noua quantitatis.* Eſt contra Ruuium, Hurtadum & alios recentiores. Probatur *primo*, quia hic modus dicendi relinquit difficultatem in ſua vi: Nam quod hic quæritur eſt. Quis ſit ille modus? vel qua ratione poſſit facere corpus occupare maius ſpatium? *Secundo* quia ſequeretur, quod quantitas eſſet naturaliter in duobus locis adæquatis ſimul, & conſequenter quod naturaliter replicaretur; hoc eſt falſum, ergo. Probatur ſequela: nam ſequeretur quod quantitas bipedalis, quæ modo eſt in loco adæquato ſcilicet bipedali, poſſet ita extendi in rarefactione, vt ſit eadem realiter poſtea in loco duplo maiori ſcilicet quatuor pedum; ſed ſic eſſet in duobus locis adæquatis, ergo. Probatur ma. quia poſſet aliquod corpus in duplum rarefieri; vel ſaltem aliqua pars occupabit locum duplo maiorem, nimirum illum de nouo acquiſitum cum alio tam extenſo antea de nouo occupato, & conſequenter duo loca ſibi adæquata. mi. etiam patet, quia locus bipedalis eſt ipſi adæquatus & coexiſtens, ergo ſi eſt in duobus bipedalibus, eſt in duobus adæquatis.

Nec ſatisfacit, ſi reſpondeas neg. ma. & probat. mi. quia ſingulæ partes eius non occupabunt duplicem locum adæquatum videlicet antiquum & nouum, quod fieret ſi ſine vlla mutatione prioris acquireret nouum; ſed quælibet pars tantum amittit partem prioris loci, & acquirit ex parte nouum, & ſic inadæquate occupat duo loca. Sed contra, locus quem quælibet pars quantitatis modo occupat eſt duplo maior, loco, quem antea habuit, ergo ſi prior erat adæquatus, nunc erit in duobus adæquatis. Probatur anteced. quia tota quantitas occupat duplo maiorem locum, ergo & quælibet pars eius.

Probatur *tertio* (& eſt ratio à priori) actualis extenſio in loco cum radice impenetrabilitatis prouenit à ſola quãtitate, ergo maior extenſio à ſola maiori quantitate. Nec obſtat, ſi dicas cum quodam recentiori: rarum & denſum differre formaliter præciſe penes diuerſam poſitionem partium, quâ ſola intellecta & præciſo quocumque alio intelligitur plena diſtinctio inter rarum & denſum, ergo cum principium diſtinguendi & conſtituendi idem ſit, corpora præciſe rareſcunt & condenſantur per diuerſas poſitiones partium non vero additione alicuius nouæ quantitatis. Sed contra, quia ſicut præſentia & extenſio in ordine ad

locum

locum absolute & simpliciter prouenit à quantitate, ita noua & diuersa præsentia & extensio à noua & diuersa quantitate. Prius ergo rarum & densum differunt inter se, quam in ordine ad locum: quia scilicet partes densi sunt magis vnitæ, quàm partes rari, ideo partes illius occupant minorem locum, quam partes istius. Quid autem impediat vnionem partium in raro, quod non impedit in denso, quæ est ratio formalis & adæquata propter quam habent diuersas positiones in loco, non satis explicatur in ista sententia, ergo non secluso quocumque alio intelligitur ratio condensationis & rarefactionis.

18. Tertia conclusio, *in rarefactione non acquiritur noua quantitas, quæ sit propria rarefacti; sed tantum partes eius ad inuicem distenduntur per insensibilem subingressum corporum subtiliorum, vt aëris, vaporis & similium inter poros ipsius rarefacti. Et ex opposito condensatio fit ex continuatione seu compressione partium prædictarum facta per illorum corporum insensibilem expulsionem,* Hæc sententia proponitur à Scoto 4. d. 12. q. 4. (quamuis non assertiue.) Tenet eam expresse Occamus cum Nominalibus, quos sequuntur Arriaga & noster Poncius hic. Probatur ex refutatione aliarum: quia per hanc euitantur omnia incommoda & difficultates quæ occurrunt in aliis opinionibus, ergo. Probatur anteced. quia pro augmento nouæ extensionis ponit hæc augmentum nouæ quantitatis, in quo deficit sententia conclusione tertia refutata. Item pro illa quantitate noua ponit nouum subiectum, in quo deficit opinio primo refutata; Non tamen dicit illam substantiam, quæ de nouo in rarefactione accedit, esse partem ipsius rarefacti, vel proprie ipsi vniri, nec illam nouam quantitatem vniri eius quantitati; & consequenter nec totam extensionem seu occupationem loci, quæ in rarefactione contingit, competere soli rarefacto; sed inter partes eius interiacere corpora subtiliora, in quibus illa extensio seu loci occupatio partim fundatur, partim in partibus rarefacti. Est igitur rarefactio quædam iuxta-positio corporum subtiliorum inter partes corporis grossioris; & per contrarium condensatio expulsio eorumdem corporum.

Obiicies *primo*, Scotus supra docet, rarefactionem fieri per augmentum nouæ quantitatis tantum; Imo contra nostram conclusionem ponit tres rationes, ergo conclusio nostra est contra mentem eius. ℞. neg. anteced. pro priori parte: nam Doctor dicit: *Sed quid tenendo opinionem?* in quo nihil asserit, sed petit, si teneatur communis, quid tenendum sit consequenter? Deinde non loquitur de rarefactione, quæ fit via naturali; sed de eâ quæ fit in Eucharistia, in qua admitto nouum augmentum sine noua substantia vel corpore, in quo fit: quia talis quantitas producitur à Deo. Ad secundam partem dico, Doctorem sæpe ponere rationes contra suam sententiam, quas tunc non soluit, sed pro signo rememorandi ponit: *Quære solutionem.* Deinde non ponit contra eam rationes, sed solum ostendit, quæ sint in ea difficultates, quas hic subiicio.

19. Obiicies *secundo* rationes Doctoris supra, quarum prima est: Difficile esse videre, quod possit generari ab igne vel Sole corpus subtilius vino. Secunda quod sequeretur, quando species vini in Eucharistia rarefiant, quod inter partes quantitatis tunc generantur corpora subtiliora, quibus Christus non esset præsens Sacramentaliter: quia Sacramentum non sunt. Tertia, quod mirum sit, substantiam manentem

manentem eandem non posse mutari à rara in densam. ℞. Ad primum esto difficile sit videre quo modo illud fiat, facile tamen fieri, imo facilius videri quomodo fiat, quam oppositum: nam ratio naturalis videt, quod sicut Sol ex aqua generat vapores vel ex terra exhalationes, ita ignis ex aëre gignat quosdam alios spiritus subtiliores, qui ingredientes poros ollæ subingrediantur partes vini vel aquæ, eiusque partes discontinuet. Et hoc facilius videt ratio naturalis, quam quod duæ partes quantitatis sint in eadem parte substantiæ; vel vna pars in duobus locis adæquatis, sicut aliæ opiniones necessario ponunt. Ad secundum neg. sequelam: quia ibi tantum producitur noua quantitas sine subiecto à solo Deo: vt docet Scotus ibid. Et hoc fit ex vi prioris miraculi. Conclusio autem loquitur de rarefactione vt fit via naturali. Ad tertium dico, oppositum esse mirabilius.

Obiicies *tertio*, quia sequeretur ex hoc, quod non posset Deus producere de nouo totum compositum cum sua quantitate, quin vel destruat aliud, vel detur penetratio corporum, vel saltem dilatentur cardines mundi. Item quod nullum corpus quantum posset destruere, quin suscitet aliud nouum loco ipsius; vel detur vacuum, aut mundi cardines angustientur; sed hæc omnia sunt falsa, ergo. Resp. conces. ma. neg. mi. Imo in eius confirmationem addo, quod multi doctissimi Philosophi huius temporis docent, scilicet creasse Deum nouum aliquod corpus cum noua quantitate loco corporis Christi Domini & Beatiss. Virg. ac aliorum, qui simul cum corporibus cœlos ascenderunt.

20. Obiicies *quarto*, in oleo v. g. nulla est pars, quæ non sit rara, etiam quæ est inter porum & porum, ergo raritas non consistit in intromissione corporum. Resp. neg. anteced. quia pars carens poris occupat minimum locum, quem naturaliter potest, ideoque est tam densa, quam naturaliter potest. Vnde nego, omnes partes olei etiam minimas esse raras. Quia vero pori sunt frequentissimi, simpliciter totum oleum dicitur rarum.

Sed instabis, non est ratio cur potius inter aliquas ponantur corpuscula, quam inter omnes: omnes enim sunt eodem modo dispositæ. Sed contra: Tu admittis ibi poros (siue consistat in eis rarefactio siue non, ad præsentem replicam parum interest.) Rogo ergo te, cur hi pori sunt magis in hac parte quam in illa; vel non vides hos poros esse mea corpuscula? Respond. Ergo ad argumentum neg. anteced. quia non in omnia puncta æqualis & eodem temporis momento introducitur calor; vnde illæ partes discontinuantur, in quibus prius vel maior introducitur calor. Item etiamsi æqualis sit in omnibus calor, non ideo sequitur omnes discontinuandas: sicut licet omnes partes vasis æqualiter habeant intemperiem vel frigoris vel caloris, non tamen omnes franguntur sed duæ vel tres (vbi nota, non frangi tunc vas, dum aqua congelatur, ad vitandum vacuum, sed ob plures alias rationes, quas vide apud Poncium hic num. 48.) Multa alia sunt exempla, in quibus eadem reddenda est ratio: scilicet à Deo vt à causa prima determinari, quæ puncta discontinuentur, quæ vero non.

DISPV

DISPVTATIO V.

De Aliquibus conditionibus ad Actionem physicam requisitis.

SVPPONO, ad Actionem physicam secundum potentiam corpoream prærequiri necessario, quod agens & passum existant circumscriptiue in loco. Vnde fit, quod Christus Dominus in Eucharistia non potest vti potentia corporea; nec ibi tangi, pati &c. De quo Scotus 4.dist.10.q.4. vsque ad 9. vbi videtur dicere, existentiam circumscriptiuam in loco adeo necessario, requiri ad vsum potentiæ corporeæ, vt nec per potentima Dei agens illa vti possit, aut secundum illã pati, nisi existat in loco circumscriptiue. Apponimus autem hic præsentem disputationem, vt cognoscere possimus, quænam res possint alterare alias, easque ad generationem disponere? Et quænam impedimenta possint dari actionis alteratiuæ & generatiuæ. Pro quo sit Quæst. 1.

QVÆSTIO I.

An simile possit agere in Simile?

DIfficultas est non de similitudine substantiali, idest secundum formam substantialem, sed de agente simili passo in forma accidentali. Quod dupliciter potest contingere. *Primo* quod ambo conueniant in eadem natura qualitatis, sed non in gradu. Et de hoc non inquiritur: nam experientia constat, aquam frigidam vt quinque v.g. frigefacere minus frigidã scilicet vt duo. Est ergo difficultas de duobus similibus in qualitate & in gradu: v.g. de duobus calidis vt quatuor.

1. Sit conclusio, *simile non potest agere in simile* est communis cum Philosopho hic. Probatur à posteriori nam etsi duo calida vt quatuor sibi inuicem applicemus, numquam comperiemus augere suum calorem. Et si id possent facere, deberent augere illum mutuo vsque ad octauum gradũ: quia qua ratione calidũ vt quatuor posset producere aliquem gradum in alio calido vt quatuor, posset etiam in calido vt quinque, & alium in calido vt sex, & sic vsque ad octauum gradum. Quod est cõtra manifestã experientiã.

Et confirmatur, quia si simile posset agere in simile, posset etiam agere in se ipsum; sed si hoc potest, de facto agit in se: quia est agens naturale, & agit quantum agere potest; Hoc autẽ est falsum, vt infra dicemus; ergo &c. Probatur ma. quia omne agens citius & efficacius agit in passum propinquius cæteris paribus; sed nullum passum est rei se ipsa propinquius, ergo. Quod si dicas, idem posse agere in se ipsum actione æquiuoca, non vniuoca. Contra, quia si hoc esset, nihil impedit, quominus etiam agat actione vniuoca. Nec valet si dicas: esse disparitatem, eo quod determinatur ad non agendum in se tali actione, non vero ad non agendum in aliud: Quia non colligitur; quod sit sic determinatum ad non producendum in se, nisi experientia; sed similis experientia habetur, quod non possit agere in aliud simile, ergo eadem ratio est de vtroque.

2. Cuius ratio à priori hæc potest assignari ex Scoto 4.d.12.quæst. 3. Nam causa totalis vniuoca nequit esse imperfectior suo effectu; sed si simile ageret in simile, causa

totalis esset imperfectior suo effectu, ergo: ma. est certa. Probatur mi. quia si calidum vt quatuor potest agere in aliud calidũ vt quatuor potest agere in calidum vt quatuor à se productum; sed tunc produceret calidum vt quinque; hoc autem est ipso perfectius: quia alia maior vel minor perfectio non potest esse inter causam vniuocam & effectum nisi penes partes integrales, ergo &c. Et ex hoc roboratur ratio communis de cessatione finis in tali actione, quam infirmare conatur Poncius hic num. 2: nam si passum esset à tali agente omnino productum, non datur locus vlterioris finis: aliàs produceret perfectius se.

Obiicies *Primo*, Agens potens producere aliquem effectum, potest illum producere in quocumque subiecto capaci, sed calidum vt duo potest producere vnum gradum caloris, & aliud calidum vt duo est subiectum capax recipiendi etiam vnum gradum, ergo potest tale agens producere illum gradum in tali passo, & consequenter agere in simile: Resp. dist. ma. potest producere in subiecto capaci recipere à tali agente, nisi interueniat impedimentum ex parte vtriusque vel alterius conced. ma. potest absolute in quocumque capaci sine restrictione neg. ma. In proposito autem est impedimentum vel potius inconueniens illatum in probationibus conclusionis.

Obiicies *Secundo*, Potest agens producere in passo intensiorem qualitatem eâ, quam habet in se, ergo & potest agere in omnino simile. Probatur antecedens: agens magis densum v. g. ferrum non habet calorem in intensione, quæ sit vltima dispositio ad ignem: Et tamen in stupa producit eum calorem in gradu requisito ad ignem, ergo maiorem quam in se habet: Respondetur neg. anteced. Ad probat. Fateor, agens densum fortius agere raro: iuxta illud, *virtus vnita fortior est se ipsâ dispersa*. Ex hoc tamen non sequitur producere intensiorem gradum, quam habet in se. Ad experientiam de ferro candenti, Respondeo *Primo*, in poris ferri includi aliqem ignem, à quo ille calor intensior producatur. *Secundo*, & melius? Respondeo, in stupa cum minori calore, quam in ferro introduci formam ignis, propter maiorem raritatem & siccitatem stupæ, quam ferri: quia non in omnibus passis, prærequiritur idem dispositionis gradus ad introducendam formam principalem.

QVÆSTIO II.

Vtrum idem possit agere in se ipsum?

NOtandum *Primo*, Aliquid agere in se ipsum, primò vt secundum aliquam partem sui producat effectum & secundum aliam recipiat, secundo vt vnum & idem realiter sit principium productiuum & passiuum effectus. Notandum *Secundo*, agens aliud esse vniuocum, aliud æquiuocum: vniuocum est quod producit effectum eiusdem speciei secum: vt calor producens calorem; æquiuocum quod producit effectum diuersæ speciei à se, vt voluntas respectu volitionis, ignis respectu caloris.

Notandum *Tertio*, quod actio alteratiua, de qua mouetur hæc quæstio, sit triplex directa, reflexa & per Antiperistasim: actio directa est, qua agens nullo obstaculo impediente agit per lineam rectam in passum. Reflexa est, qua agens ratione alicuius obstaculi producit partem effectus in passo immediatiori agenti, quam sit illud, in quo talis produceretur, cessante obstaculo

obstaculo : vt actio qua producitur intensior pars coloris in aëre propinquiori muro : quia hæc pars ablato muro, non in illa parte, sed in alia adhuc remotiori parte aëris vltra murum produceretur. Quædam huius speciei est actio refracta, & est actio reflexa, qua ad latus & non in linea recta producitur pars effectus. Quæstio mota intelligitur de vtroque agente & maxime vniuoco, per triplicẽ illam actionem, quæ inferius magis explicabitur.

3. Prima conclusio, *Agens æquiuocum potest agere actione physicâ & reali in se ipsum immediate, ita vt sit idem realiter principium productiuum & receptiuum effectus.* Ita Scotus 1. d. 3. q. 6. & 7. Probatur *Primo* habens principium principale physicum producendi formam potest eam physice producere in quocumque subiecto capaci illius, si sufficienter sit applicatum & dispositum & carens tali forma, sed aliqua agentia naturalia habent principia principalia physica producendi formas accidentales, quarum ipsa sunt principia, quibusque carent & ad quas recipiendas sunt debite disposita & applicata: quia nullum passum est magis applicatum agenti, quam est ipsum agens: ma. patet, quia agens in cõmuni potest agere in passum in communi, ergo quodlibet in particulari in quodlibet in particulari positis omnibus cõditionibus requisitis ad operandum, sed nullæ aliæ præter iam dictas requiruntur, ergo. Probatur etiam mi. quia Angelus est capax motus localis & potest aliud mouere localiter, ergo & se ipsum. *Secundo* Aqua reducit se ad pristinam frigiditatem. Et confirmatur conclusio, quia Angelus & anima rationalis de facto producunt in se ipsis intellectionem & volitionem, ergo &c.

4. Secunda conclusio; *Agens vniuocum non potest agere in se ipsum actione directa.* Scotus supra & probatur: quia finis actionis vniuocæ est reddere passum simile agenti; sed talis finis cessaret, casu quo agens vniuocum ageret in se ipsum, præcipue si primò produxisset in se talem formam, ergo mi. patet, quia ante talem actionem passum est omnino simile agenti: quia nihil magis simile rei se ipsa. *Secundo* probatur, quia si idem posset agere in se ipsum actione vniuoca, ageret de facto, quia semper agit quantum potest, si sit agens naturale; hoc autem est falsum: aliàs vnus gradus caloris intenderet se vsque ad octauum, ergo &c. Vide plura q. præced.

Pro intelligentia sequentis conclusionis Notandum, quod reflexio proprie sit motus conuersionis, quo corpus aliquod localiter motum ab alio corpore in via resistente repercussum reuertitur penes principiũ ipsum prius mouens: vt patet in pila à muro resistente. Et hinc per similitudinem actio productiua qualitatis repulsa ab obstaculo dicitur reflexa, non quia resiliat à subiecto in subiectum eadem numero manens sicut pila: quia hoc repugnat accidenti, sed quia per eam in passo propinquiori producitur pars qualitatis quæ nisi obstaculum obuenisset, produceretur linea recta in passo remotiori. Et quia experientia docet, partem medij seu spatij propinquiorem obstaculo habere plures partes qualitatis, quam aliæ partes remotiores obstaculo & propinquiores agenti principali, hinc dubitatur: An illud augmentum intensionis producatur ab aliis gradibus eiusdem subiecti, an vero ab agente illos producente? Item, An ipsum agens principale actione reflexa intendat se ipsum? De quo etiam inferius q. 4.

5. Tertia conclusio, *Agens vniuocum non potest actione reflexa agere in se ipsum*

ipſum. Eſt contra Conimbricenſ. hic cap. 9. q. 1. art. 1. Probatur *Primo* quia ceſſat finis talis actionis. ergo: *ſecundo* ſequitur quod ſi lucerna poſſit intendere lumen, vt iſti auctores dicunt, per reflexionem in ſe, poſſet per breue tempus reddere ſe ſumme intenſam; Hoc eſt falſum ergo. probatur ma. quia ſi lucerna habens quatuor gradus luminis, poteſt per actionem reflexam producere quintum gradum, ergo poſtea habens quinque, poterit agere ſicut antea & fortius. Et cum eius actio impediatur per corpus opacum, produceret in ſe ſextum gradum & ſic de aliis vſque ad octauum, quod eſt contra experientiam, ergo, &c.

Dices, non minus poteſt idem agere in ſe ipſum actione reflexa, quam magis luminoſum intendi à minus luminoſo: ſed magis luminoſum poteſt intendi à minus luminoſo; quia vna pars aëris minus luminoſa intendit magis luminoſam, ergo, &c. ℞. neg. mi. & eius probat. A quo autem fit intenſio in medio magis luminoſo, infra dicemus.

Pro intelligentia ſequentis concluſionis etiam notandum quod *antiperiſtaſis* quæ vox Græca eſt, Latine idem eſt quod circumobſiſtentia vel circumobſeſſio contrarij à contrario fortiori: vt ſi calidum vndique circumſcribatur à frigido fortiori, vel è contra, actio quæ antiperiſtica dicitur, qua contrarium obſeſſum ad præſentiam ſui contrarij intenditur.

6. Quarta concluſio, *idem non agit in ſe ipſum actione vniuoca, nedum per antiperiſtaſim.* Eſt communis & probatur, quia ſic imperfectius v. g. calidum vt quatuor produceret ſe perfectius ſcilicet calidum vt quinque vel octo. *Secundo* alias ſimile ageret in omnino ſimile, quod eſt falſum, ergo.

Obiicies, aqua putealis in hyeme eſt calidior, quam in æſtate, ergo illud augmentum caloris producitur à calore, qui antea in aqua exiſtebat: anteced. patet experientia, conſeq. probatur, quia nulla alia cauſa iſtius dari poteſt. ℞. neg. conſeq. & eius probat. quia illud augmentum producitur à quibuſdam corpuſculis inter partes aquæ exiſtentibus v. g. exhalationibus & vaporibus inter eas remanentibus, in eaſque agentibus. Sed de hoc in q. ſeq.

QVÆSTIO III.

Vtrum contrarium obſeſſum per antiperiſtaſim *intendatur & à quo?*

SVppono, qualitatem obſeſſam per *antiperiſtaſim* verè & realiter intendi. Quod experientia conſtat: nam ſi iiſdem manibus æqualiter diſpoſitis contrectemus aquam putealem & fluuialem in æſtate, putealem experimur frigidam, ergo non apparenter, ſed vere eſt frigidior. Deinde ſi manibus æqualiter diſpoſitis nunc in ęſtate nunc in hyeme tangamus eandem aquam putealem, ſentiemus eam in æſtate eſſe frigidiorem. Item ſuppono, contrarium obſeſſum per *antiperiſtaſim* non intendi per ſpecies intentionales, cuius oppoſitum tenuit Marſilius. Probatur, quia non dantur ſpecies intentionales niſi in ordine ad producendas cognitiones de obiecto, à quo emittuntur v. g. ad viſionem, auditionem, &c. Ad producendum autem calorem vel lucem quis vnquam ſpecies intentionales agnouit? His ſuppoſitis.

7. Sit prima concluſio, *corpus obſeſſum à contrario agente habens qualitatem contrariam peregrinam & ſibi non connaturalem non intendit illam; ſed ipſa*

ſa intenditur ab aliquo agente extrinſeco incluſo inter partes obſeſſi. V. g. Aqua putealis in hyeme calida non intendit ſuum calorem, ſed talis intenditur à quibusdam alijs corpuſculis inter partes aquæ incluſis: puta ab exhalationibus & vaporibus calidis. Probatur *prima pars*, quia ſubiectum tale non eſt de ſe productiuum talis formæ, ergo non poteſt eam intendere. *Secunda pars* etiam probatur, quia cum intenſio non fiat à proprio ſubiecto, nec à ſpeciebus intentionalibus, vt probatum eſt, ergo fiet ab agente extrinſeco: probatur conſeq. tum quia non eſt alius modus dicendi, tum quia commode poteſt produci à tali: nã cum Sol ſua virtute in æſtate maximam copiã exhalationum ſiccarũ & calidarum extraxerit ex partibus ſubterraneis: Et cũ adueniente hyeme, adfrigeſcente aere, omnes illas ad extraneas partes aeris eleuare non potuerit, neceſſe eſt quod multæ ex eis, partim in cauernis terræ, poris ac meatibus occultis eiuſdem terræ remanſerint, aquaſque in eiſdem venis terræ exiſtentes calefecerint in hyeme; partim ſurſum ſurgere conantes, cum terra gelu ac vi frigoris compreſſa, & aer frigidus accendere prohibeant, admiſcentur aquis, ex quarum admixtione aquæ non nihil incaleſcunt. Similiter balnea in hyeme calidiora ſunt, quam in æſtate: quia vapores & exhalationes, quæ in æſtate exire ſolebant, hyeme alijs corporibus frigidis obſiſtentibus, vndique exire prohibentur.

8. Secunda concluſio, *corpus obſeſſum à contrario habens qualitatem ſibi connaturalem intendit illam actione æquiuoca per formam ſuam ſubſtantialem.* Probatur ratione proxime facta verſa in contrarium: quia aquæ puteales calefactiua Solis virtute, aere & alijs corporibus propinquioribus calefactis, adaperiuntur, & laxatur via incluſis exhalationibus, vt poſſint aſcendere; aqua vero ex his liberata, ſua virtute expellit quidquid caloris ab eis exhauſit, & ſe ad priſtinum frigus reducit, ergo &c.

Arriaga.

Obiicies *primo.* Stomachus eſt calidior in hyeme, quam in æſtate? ſed intenſio illa non fit ab alia cauſa, quam à gradibus caloris præexiſtentibus, vel à ſpecie intentionali caloris, ergo &c. ℞. (Quidquid ſit de maiori, quam non deſunt, qui contra communem ſententiam in dubium vertant) neg. mi. quia fit à ſpiritibus vitalibus calidis, qui quia poris corporis frigore conſtrictis, exire prohibentur, agunt in alias interiores partes, eaſque calefaciunt.

Obiicies *ſecundo*, frigidior eſt ſtomachus in æſtate quam in hyeme; ſed illa intenſio frigoris non habet cauſam extrinſecam ſui productiuam, ergo fit à ſuo ſubiecto. Reſp. neg. mi. quia cauſa eſt quod ſpiritus vitales per poros tunc apertos exeant, & aer frigidior ingrediatur, illudque frigus producat. Contra, aer eſt frigidior in hyeme, quam in æſtate, ergo potius infrigidat ſtomachum in hyeme, quam in æſtate. Reſp. neg. conſeq. quia non ingreditur tunc per poros, qualiter in æſtate, ſed tantum per os, vbi per viam ipſum frigus remittitur & deinde reperit ſtomachum & ſimul ſpiritus vitales calidiores ſibi reſiſtentes.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Qualitas in medio existens intendatur per reflexionem & à quo?

PEr *medium* intelligitur spacium illud quod est inter agens & obstaculum, quo actio impeditur, ne tendat vlterius: vt aer inter solem & murum.

9. sit conclusio, *qualitas existens in medio intenditur ab agente principali, non à corpore opaco.* Probatur Agens principale v. g. Sol continet in se perfectius illam intensionem, quam corpus opacum, ergo producit illam. probatur conseq. quia agens principale producit effectum in passo dispositio, potius quã minus principale ergo. *Secundo,* Agens principale intendit qualitatem in ipso opaco, ergo & in medio probatur conseq. quia medium est debite dispositum & agens principale est perfectius actiuum, quam opacum, ergo &c.

Obiicies *primo*, In corpore opaco qualitas illa est intensior quam in aliqua parte medij, ergo qualitas actiua potest agere in partem medij propinquiorem: probatur anteced. quia murus reuerberans calorẽ calidior est partibus aeris medijs inter ipsum & solem, ergo agit in easdem: quia est agens naturale. ℞. concess. anteced. dist. conseq. nisi aliud agens, præueniat. concedo. si præueniatur ab agente principali nego.

Obiicies *Secundo* Agens principale alteratiuum agit semper vniformiter difformiter, idest intensiorẽ partem formæ producit in propinquiori parte spacij, quã in remotiori, si omnes partes sint æque dispositæ, sed omnes partes aeris sunt æquedispositæ, & partes propinquiores opaco sunt remotiores ab agente principali; ergo agens principale, non producit intensiorem qualitatem in eis. ℞. neg. ma. cum sua expositione. Et patet eius falsitas: quia medium inter opacum & agens principale est æque capax saltem alicuius intensionis ac opacum, & est propinquius principali, quam opacum, ergo in eo principale debuit prius producere illam intensionem, si valet illa maioris expositio.

Ex his constat illam esse actionem reflexam, qua ratione obstaculi impedientis actionem principalis agentis intenditur qualitas ab eodem agente in medio producta: Illa itaque est natura agentium naturalium, quod cum vlterius agere non possunt, quia impediuntur ab obstaculo, producunt effectum, quem producerent in partibus vlterioribus, in partibus magis propinquis illis vlterioribus, producto in medio illo gradu qualitatis, qui ipsi debetur: verbi gratia si Sol vltra murum non potest adhuc producere aliquos gradus caloris, tunc illos producit in partibus aeris ipsi muro contiguis, eo quod aer contiguus muro sit vicinior aeri vltra murum, qui alias calorem reciperet, & sic potiorem situm habet ad illum calorem, quam aliæ partes aeris magis distantes versus agens principale.

QVÆSTIO V.

Vtrum agens agendo repatiatur, seu an detur reactio?

PEtit hæc Quæstio ' An dum agens aliquod passum alterat actione physica & corruptiua qualitatis contrariæ, tunc passum etiam agat

alterando

alterando viciſſim agens: v.g. An dum ignis alterat aquam producendo in ea calorem, etiam aqua agat in ignem producendo in eo frigus.

10. Notandum *primo*, Paſſum reagere in agens: quia agẽs agendo in illud nititur naturam ſuam illi communicare ſibique perfecte aſſimilare, & proinde deſtruere naturam & qualitates paſſi in eadem materia, quæ cum ipſius forma & qualitatibus exiſtere non poſſunt. Vnde fit, quod paſſum è contra ſuæ naturæ ſuarumque qualitatum amans omni quo poteſt conatu agenti ipſum deſtruenti reſiſtat, eiuſque vires in quantum poteſt debilitare conetur. Vnde ſi contingat aliquando agens inducere in paſſum formam compatibilem cum ipſis qualitatibus & forma, tunc paſſum nullo modo reſiſtet, neque in ipſum reaget.

Notandum *ſecundo*, quod reſiſtentia ſit triplex, *prima* eſt negatiua, ſeu repugnantia quæ eſt incapacitas ſubiecti ad recipiendam formam ab agente producibilem: ſic Angelus dicitur reſiſtere producenti in eo accidens materiale. Secunda contraria & actiua & eſt qua aliquid præuenit actionem alterius, eiuſque virtutem diminuit, ne poſſit in ipſum agere, niſi ſaltem difficulter: vt calidum reſiſtit frigido. *Tertia* quæ priuatiua, vel paſſiua, vel formalis dicitur, eſt reſiſtentia, qua paſſum etiam nihil agendo per formam quam in ſe habet, impedit facilè introductionem formæ, quam agens intendit in ipſũ introducere: talis eſt qua ingenis lapis reſiſtit conanti ipſum leuare.

Notandum *Tertio*, Reactionem eſſe actionem alicuius in agens à quo patitur, & repaſſionem eſſe paſſionem alicuius ab eo in quod agit. Hæc ergo quæſtio intelligitur de agentibus communicantibus in materia, id eſt quorum vtrumque eſt ſuſceptiuum effectus alterius, vt ignis, frigoris ab aqua producti, & aqua caloris ab igne. Intelligitur etiam de actione Phyſicâ ſtrictè ſumpta, quam, Philoſophus docet hîc debere eſſe inter qualitates ſenſibiles & præcipue primas.

11. Sit concluſio, *Agens Phyſicum repatitur à paſſo in ipſum reagente ſecundum qualitatem contrariam formæ per quam agens agit in ipſum.* Ita Ariſtot. & communis ſchola. Probatur *Primò* experientia: quia manus calida tangens frigidam & producens in ea calorem, ab ea repatitur, recipitque frigus. Item ferrum candens calefacit aquam, & ab ea frigeſit. Et denique glacies manu accepta ab ea per calorem productum liqueſit, & ipſa à glacie frigeſit, ergo. Probatur *Secundo*: Nam ſecundum ſententiam communem corpus mixtum oritur, ex eo quod elementa in ſe mutuo agentia & patientia ſecundum contrarias qualitates, eaſdẽ qualitates minuant & temperent, ergo vt corpus mixtũ ſit naturaliter poſſibile, debet dari actio talis & repaſſio.

Obiicies *Primo*, omne agens debet ſuperare reſiſtentiam paſſi; ſed quod patitur ab alio, non habet virtutem ſuperandi reſiſtentiam agentis, ergo non reagit paſſum in agens. Probatur mi. Id quod patitur ab aliquo agente habet minorem virtutem, quam ipſum à quo patitur, ergo non ſuperat reſiſtentiam agentis. Probatur conſeq. quia à maiori virtute agendi prouenit reſiſtentia, ergo ſi agens habet virtutem actiuam maiorem, ſimiliter & maiorem reſiſtentiam, ergo eius reſiſtentia non poteſt ſuperari: Reſpond. conceſſ. ma. neg. mi. loquendo de reſiſtentia proprie dicta id eſt formali. Ad probat. tranſeat anteced. & nego. conſeq. Ad eius probat. diſt. anteced. prouenit reſiſtentia actiua conced. anteced. formalis nego antecedens.

Contra

Contra instabis, vbi est maior resiste,ntia actiua, ibi etiam est maior resistentia formalis, sed in agente est maior actiua, ergo & formalis. Probatur ma. resistētia actiua seu actio in contrariū prouenit à tota lati tudine qualitatis intensæ & resistētia formalis prouenit ab eadem tota latitudine id est à qualitate secundum omnes suas partes, ergo vbi illa est maior, ibi & hæc erit maior. R. neg. ma. Ad probat. neg. anteced. pro secunda parte: nam resistentia formalis non prouenit à tota latitudine formæ contrariæ, sed ab aliquo gradu eius, nēpe ab illo, qui expellitur in producendo alium gradum; alij vero gradus illius formæ non resistunt gradui introducto: cum simul cum ipso inexistant.

Contra: maior est resistentia formalis agentis, quam actiuitas passi ad reagendum, ergo illa non poterit superari ab ista Probatur anteced. quia qualitas saltem connaturalis, quæ est in agente conseruatur efficienter ab ipsa substantia agentis; Sed substantia agentis est fortior & efficacior ad suam qualitatem connaturalem conseruandam, quam actiuitas passi ad eam expelllendam, ergo. ℞. dist. mi. Esi fortior ad conseruandam totam suam qualitatem secundum omnes gradus neg. mi. ad conseruandam secundum aliquem gradum determinatum, sine quo forma agentis non potest esse, conced. mi. Et hinc tantum sequitur, quod non possit resistentia agentis superari quoad illum gradum, non vero quoad alios.

Obiicies *secundo* sequitur, idem simul moueri duobus motibus contrarijs; Hoc est falsum, ergo. probatur ma. quia aer vnius pedis inter ignē & glaciem reciperet calorem & frigus simul ab eis. ℞. neg. ma. loquendo vt in proposito de motibus propriis alterationis: quia non est maior repugnantia inter motus, quā inter eorū terminos; & cum termini in gradu remisso compatiantur, ita & motus.

Obicies *tertio*, si agens repatitur in agendo, ergo calor vt sex non producet calorem vt sex; Hoc est falsum, ergo, probatur ma. quia si calidum vt sex repatiatur à frigido, necessario remittet aliquem gradum, & ita ex calore vt sex fiet calor vt quinque; sed calor vt quinque non potest producere calorem vt sex, ergo &c. mi. etiam patet; quia finis agētis in agēdo est reddere passū simile sibi. ℞. cōcel. ma. neg. mi. quia finis quem natura vniuersalis his inferioribus agentibus præscribit, non est sola conseruatio sui, sed etiam generatio mixtorum ex mutua eorum pugna, quæ non fieret nisi agens in agendo debilitetur iuxta illud: *omne agens in agendo repatitur, & repatiendo debilitatur.* Adde etiam hoc modo producere sibi simile, non in gradu, in quo fuit ante repassionem, sed in gradu, in quo est postea.

Obiicies *quarto*; si gutta aquæ proiiciatur in ingentem focum, ignis agit in ipsam absumendo illam, gutta vero non agit in ignem propter ingentem improportionem quæ est inter illa, ergo non omne agens in agendo repatitur. Resp ignem pati ab illa gutta, licet non percipiamus ob paruitatem effectus & resistentiam fortiorem passi.

QVÆSTIO VI.

Vtrum agens & passum debeant esse simul, seu An possit fieri actio in distans?

SEnsus quæstionis est an aliqua causa possit producere effectum aliquem

quem in subiecto à se distanti? Pro quo Notandum est, variis modis posse considerari causam agere in distans. *Primo* si agat in distans immediate, agendo tamen in medium interiacens. *Secundo* si agat in distans tantum mediate, quatenus scilicet ageret immediate in medium, & mediũ ageret in illud, quod esset ab agente distans. *Tertio* si ageret in distans agendo simul in mediũ, actione eiusdem rationis cum actione, qua ageret in distans. *Quarto* si ageret in distans agendo etiam in medium actione diuersæ rationis ab actione, qua ageret in distans. *Quinto* si ageret in distans nullam actionem habendo in medio, His præmissis,

12 Suppono *primo*, Agens infinitum, qualis est Deus, non debere ex ratione agentis esse ita præsens passo aut secundum se, aut secundum suam virtutem, quin possit agere in passum distans, etiamsi nihil ageret in medio. Est Scoti 1.d.37.cum suis & Nominalibus, quos sequuntur Vasquez & alij multi contra D. Thom. & suos communiter. Probatur, quia si per impossibile Deus non esset vbique, sed solum deberet esse in Cælo, vt multi Philosophi existimarunt, haberetque infinitam virtutem agendi, potuisset agere in quacumque parte huius mundi, etiam si non ageret in medio: nam hoc esset maioris perfectionis in ipso: Vt fatetur ipse D. Thom. quodlib. 11. art. 2. Dixi *ex ratione agentis seu causæ*, quia ex alio capite Deus non potest agere in distans: nimirum ratione immensitatis, ex quâ habet esse præsens vbique, & ex hoc soluuntur & explicantur authoritates scripturæ & P. P. in quibus videtur colligi immensitas seu præsentia Dei ex operatione eius vbique: quia non est collectio seu consequentia formalis, sed connaturalis; Vel etiam potest dici, quod colligitur præsentia Dei secundum scientiam & prouidentiam: de quo fusius Theologi, tract. de Deo vno.

13. Suppono *secundo*, agens creatum agere immediate in distans, & non tantum mediate; item non agendo in medio actione eiusdem rationis cum actione, qua agit in distans. probatur, quia corpora cælestia producunt mineralia in visceribus terræ; nec potest dici quod mineralia illa producantur immediate ab vlla virtute transfusa ab his causis: nam virtus quæcumque transfusa ab ipsis est accidens; & ex dictis in Physicis disp. 2. q. 8. nullum accidens potest immediate producere substantiam, saltem absque concursu immediato substantiæ, ergo substantia solis & aliorum corporum Cœlestium producunt substantias mineralium in partibus his inferioribus immediate. Item non producunt in medio tales substantias, ergo agunt in distans non agendo in medio simili actione, qua agunt in distans.

14. Sit nostra conclusio, *Non repugnat agens creatum agere in distans non agendo vllo modo in medium; An tamen de facto aliquod agens Creatum hoc faciat, non est omnino certum, pro cuius affirmatiua parte probabiles satis apparent experientiæ.* Prior pars est Scoti supra cum omnibus suis, quos sequuntur Vasquez. 1. p. disp. 28. Auersa q. 14. sect. 7. & alij. Probatur, tum ex solutione argumentorum, quæ in similibus conclusionibus est vera & efficax probatio; tum quia ex dictis, de facto datur actio in distans; Et quamuis de facto habeat dependentiam ab actione in medium, hæc tamen dependentia suppleri potest à Deo: nam est dependentia in genere causæ efficientis solummodo ferè in omnibus, huiusmodi casibus quam quidem dependentiam suppleri posse à Deo omnes communiter admit-

tunt,ergo non repugnat dari actionem in distans,quin detur vlla in medium : Posterior pars etiam probatur : quia experientiæ,quæ communiter ad hanc actionem in distans probandam adducuntur , non sufficiunt ad conuincendum , ex alia autem parte non est vlla experientia,aut ratio,quæ vniuersaliter probet eam non dari , ergo nec vnum nec alterum est omnino certum. Mihi tamen valde probabilem faciunt partem affirmatiuam duæ experientiæ. Prima est de metallis productis in visceribus terræ à virtute solis , vbi non apparet signum aliquod ex quo colligi possit transfundi qualitates occultas per totum medium. Secunda est de acu nautica,quæ magnete tacta polum immota respicit,quorũcumque corporum interiectu non obstante : vnde verisimile est ab aliqua parte Cœli attrahi & detineri. Quod valde confirmatur ex eo quod quotidie videmus radiola horologiorum vulgarium solarium ferro subtus posito & circumacto , etiam circulariter moueri : sicut & clauem ferreã in mensa existentem à magnete supposita & in orbem ducta, circulari motu agitari. Quorum motuum causatio non videtur referri posse in qualitates per media adeo diuersa transfusas; Nec posset responderi ad exemplu m acus nauticæ , partem illam Cœli virtutem suã diffundere per totum aerem vsque ad acum , & per hoc satisfieri , prædictis experientiis horologij & magnetis. Nam vltra quod nimis voluntarie tanta virtus his agentibus tribueretur,vt non solum linea recta, sed conuexa etiam efficerent & agerent ; etiamsi nimis occludatur acus nautica & clauiculus ille horologij ,ita vt aer exterior per quem tales virtutes transfusæ sunt, non possit peruenire seu introire , adhuc causantur tales motus , ergo signũ est nulla actione præcedẽte in medio , dari aliquam in distans.

15. Obiicies contra priorem partem: quia sequeretur,agens creatum esse infinitæ virtutis, quod implicat.Probatur sequel. quia si ageret in distantia non agendo in medium ergo ageret in quæ cumque atque , adeo in infinita. Respondeo neg. sequela. quia eo ipso quod agens sit finitum , habet sphæram finitam actiuitatis,vltra quam non potest agere. Et sane sicut agendo in medium , potest agere in certam distantiam tantummodo, ita etiam non agendo in medium , poterit tantummodo intra certam sphæram agere.

16. Obiicies secundo.In quocumque agente virtus eius,si exercita est,necessario debet esse coniuncta actioni,ergo & effectui : cum ex dictis in Physica actio quæ est causalitas agentis est ipse effectus in fieri probatur:anteced. quia causalitas est id,quo causa attingit effectum; sed impossibile est id quo causa attingit effectum esse separatum à causa ergo:℞. neg.anteced.Ad cuius probat. neg. mi.nam cum ad absolutum in causa sequatur immediate absolutum in effectu,& id quod mediare dicitur , & quo causa dicitur attingere effectum , sit ipsemet effectus provt in fieri iuxta dicta in Physicis disp.3. quæstione 2. non repugnat , effectum procedere à causa , & habere habitudinem provt ab ipsa ,quin immediate sint coniuncta.

DISPVTATIO VI.

De Elementorum natura & mixtione

QVÆSTIO I.

An sit & quid sit elementorum mixtio?

MIXTIO varie sumitur *primo* late pro interpositione plurium inter se, maxime si sint diuersæ rationis: sic boni dicuntur mixti cum malis, aqua cum vino &c. *Secundo* proprie, non tamen ita stricte, pro generatione corporis naturalis ex vno vel pluribus elementis virtualiter in ipso manentibus. Et quæ sic generantur, vocantur mixta, qualia sunt omnia corpora naturalia sublunaria, exceptis quatuor elementis. Vnde mixtio sic sumpta comprehendit generationem mixti tam ex vno, quam ex pluribus elementis: quia vnũ non continetur virtualiter in alio: cum nec forma vnius contineat virtualiter formam alterius, nec qualitas qualitatem. *Tertio* sumitur stricte ex mente Philosophi pro generatione corporis mixti ex pluribus elementis, quam Philosophus hic cap. 10. ita describit: *Mixtio est mixtibilium alteratorum vnio*, quod intelligitur in sensu causali, ita quod talis vnio sit causa generationis, in qua formaliter consistit ratio mixtionis. Per *miscibilia* intelliguntur plura elementa, quorum partes se mutuò intersecant: aliàs non miscerentur: *alteratorum* significat horum temperiem quoad quatuor primas qualitates; quia ex mutua actione & reactione oritur, estque dispositio requisita ad generationẽ formæ mixti. Clarius tamen sic describes: Mixtio est generatio corporis naturalis ex pluribus elemẽtis virtualiter in ipso manẽtibus. Per *pluribus* excluditur generatio mixti ex vno elemento. *Virtualiter in ipso manentibus* excludit generationem elementi ex pluribus elementis.

Ex dictis infertur *primo* tria ad mixtionem stricte sumptam requiri: scilicet plura elementa, generatio formæ mixti, & denique quod mixtum contineat virtualiter elementa. *Secundo* infertur, mixtionem stricte sumptam non distingui ab alis quibusdam generationibus, nisi penes terminum à quo concomitantem: idest quod ad illam plura elementa requirantur, ad alias non; & sic tantum distingui per accidens: quia duo mixta eiusdem speciei possunt generari vnum mixtione stricte sumpta, alterum alia generatione, quæ non sit mixtio stricte: puta ex vno elemento & aliis pluribus mixtis, His suppositis,

2. Sit prima conclusio. *Datur mixtio elementorum*. Probatur: elementa inter se mutuo applicantur & miscentur, & habent qualitates oppositas, ergo inter se applicata poterunt agere in se inuicem, ita vt mutua actione se destruant, & in eorũ materiã vi præcedentiũ dispositionum alia forma introducatur; sed hoc est ex elementis fieri mixtum, ergo datur mixtio: patet cõseq. quia mixtio est mixti productio.

Dices, liquores vt vinum & aqua non possunt ita misceri, vt ex eis fiat aliquod mixtũ, ergo nec reliqua. conseq. patet quia hæc possunt inuicẽ sibi ita misceri sicut alia quæcũque sunt actiua & resistitiua sibi mutuo sicut alia anteced. probatur quia si aqua misceatur

vino per ſpongiam oleo imbutâ extrahitur ſub propria ſpecie. Reſpond. neg. anteced. quia ſi liquores ſint contrarij, vt aqua & vinum, tam bene mutuâ actione ſe corrumpunt ſicut alia. Ad probat. dico, id non poſſe fieri, niſi quando non interfuit tantum temporis inter immiſſionem aquæ & eius abſtractionem, quantum ſufficeret ad actionem eius.

3. Secunda concluſio, *Definitio mixtionis ab Ariſtotele tradita, ſufficiens eſt & exacta. Probatur* & explicatur; conuenit omni & ſoli mixtioni ſtrictè ſumptæ, ergo &c. Per *miſcibilium* intelliguntur elementa actiua & paſſiua proportionata & ſe mutuo interſecantia. Per *alteratorum* corruptio miſcibilium. *Vnio* ſignificat introductionem formæ mixti in materiam miſcibilium: mixtio enim nihil aliud eſt formaliter, quàm generatio mixti ex miſcibilibus alteratis ſeu corruptis media alteratione; ſed hoc totum exponitur illa definitione, ergo. probatur mi. hoc ipſo quod miſcibilia inter ſe & eorum materia vnitur formæ mixti, generatur mixtum ex ſic alteratis. Idem igitur ſignificat hæc definitio, quod mixti generatio ex miſcibilibus alteratis.

Obiicies, Miſcibilia corrumpuntur in mixtione, ergo non rectè dicitur, quod mixtio ſit eorum vnio. patet conſeq. quia per illud per quod aliqua corrumpuntur, potius ſeparantur, quàm vniuntur. Reſpondet Scotus 2. d. 15. n. 8. quòd ly *alteratorum* eſt præteritum paſſiuum, & verum eſt quòd mixtio eſt eorum, quæ fuerunt alterata; ſed quòd dicitur, quòd eſt vnio, debet ſic intelligi, quòd omnis mixtio eſt quædam generatio, & per conſequens corruptio alterius. In generatione autem illius formæ mixti dicuntur elementa vniri ſecundum virtutem, non ſecundum ſubſtantiam &c. Ex quibus dico, vnionem in iſta definitione vel ſignificare vnionem formæ mixti, in quo virtualiter manent elementa cum materia illorum, vel ſignificare vnionem contrariarum qualitatum in gradu proportionato, ratione quarum dicuntur elementa manere & vniri cum mixto.

Dubium 1.

4. Inquires primo: *Quo modo Elementa maneant in mixto?* ℞. Non manere formaliter, ſed ſolum virtualiter. Sic Scotus ſupra & eſt communis. Probatur, ſi formæ elementorum manerēt in mixto, vel manerent in eadem parte mixti vel in diuerſis, non in diuerſis, Primo, quia ſic non eſſet mixtio. *Secundo* quia mixtum non eſſet vnū per ſe, ſed plura vel aggregatum ex pluribus. Nec etiam in eadem parte, *primo* quia repugnat ſaltem naturaliter duas formas ſubſtantiales vltimate completas & non ſubordinatas eſſe in eodem ſubiecto ſimul. *Secundo* quia vel eſt alia forma præter illas in mixto, vel nulla? ſi nulla, ergo nullum datur viuens mixtum; Si alia, ergo duæ formæ erunt ſimul in eadem materia, quod repugnat. Confirmatur *primo* ex Scoto ibidem: mixtum generatur ex vno elemento vel pluribus, ſed generatio vnius eſt corruptio alterius, ergo tanta incompoſſibilitas eſt inter formas elementorum & formam mixti, quanta eſt inter *terminum à quo* & *terminum ad quē* generationis, ergo quando mixtum generatur, corrumpuntur elementa. Confirmatur *ſecundo*, ſi aliquod elementum ſecundum ſubſtantiam manet in mixto, ergo quodlibet manet & tunc cùm inclinatio illorum ſit ad loca contraria, mixtum ex illis violenter moueretur & quieſceret in quocumque loco. Hæc eſt ſententia communis Peripateticorum, contra quam ſolent obiici aliquæ experientiæ, quarum explicationem vide apud

apud Poncium hic. Item aliqua etiam dicta Aristot. quibus contrarium videtur asserere; sed facile explicantur de permanẽtia virtuali, idest quòd virtus elementorum scilicet qualitates manẽt, non autem substantia seu formæ substantiales.

Dubium 2.

5. Inquires secundo, *Quod sit corporum mixtorum temperamentũ?* ℞. Aliud esse *ad pondus*, quando scilicet omnes quatuor, qualitates sunt in æquali gradu: vt si omnes sint vt quatuor; Aliud *ad iustitiam*, quod licet non cõponatur ex æqualibus gradibus quatuor qualitatum est tamen conforme exigenciæ mixti: sicut temperamentum hominis, licet constet intensiori calore & siccitate, quàm humore & frigore, est tamẽ ad iustitiam, quia ita exigitur ab homine. Temperamentum ad iustitiã potest etiam aliquando esse ad pondus: nam si aliqua forma daretur (& forte plures dantur tales) non exigens plus frigoris quàm caloris, nec plus humoris quàm siccitatis & è contrario, sane illud temperamentum & esset ad pondus propter ęquales gradus, & esset ad iustitiã, quia ita exigitur à forma talis mixti.

Temperamentum præcise *ad iustitiã* potest esse simplex quando vna sola qualitas excedit contrariam, aliæ vero duæ sunt in æquali gradu. Potest etiam esse *compositum*, quãdo omnes quatuor qualitates sunt inæquales, vt temperamentũ animalis, in quo calor & siccitas excedunt frigus & humorem. Et hoc temperamentum compositum est quadruplex, aliud in quo abundãt calor & siccitas & dicitur igneum & in animalibus cholericum, aliud in quo abundãt humiditas & frigiditas, quod dicitur aqueum & in animalibus flegmaticum: aliud in quo abundant humiditas & calor, quod dicitur aereum & in animalibus sanguineum; aliud in quo abundãt siccitas & frigiditas, quod dicitur ferreum & in animalibus melãcholicum. Plura vide apud Conimbricenses hîc egregie hæc perlustrantes.

Dubium 3.

6. Inquires tertio, *Quo modo in animali est corruptio intrinseca, si in eo non sint actu elementa?* ℞. animal habere partes diuersas, in quibus sunt qualitates contrariæ alterantes se inuicem: cor enim est calidum, cerebrum ac hepar frigidum, vnde calor in corde potest alterare frigiditatem cerebri. Quãdo autem vltra debitam proportionem augetur qualitas actiua vnius organi supra qualitatem & virtutem alterius, accidit infirmitas in animali, si sit pars minus principalis, & mors, si sit magis principalis, nisi medicina adiuuet partem debiliorem. Igitur causa corruptionis in mixto animato non est quia actu habet contraria elementa; mixta vero inanimata vt aurum, argentum &c. non corrumpuntur corruptione intrinseca, quia non nutriuntur, sed fluit aliquid ex illis.

QVÆSTIO II.

Vtrum quodlibet elementum vendicet sibi qualitatem aliquam in summo gradu?

SVppono *primo*, dari quatuor elementa terram, aquam, aerem & ignem. De quorum definitionis examine prout ab Aristotele traditæ, non curo; sunt autem hæc elementa quædam corpora simplicia, ex materia tamen & forma substantiali composita, ex quibus omnia mixta fiunt.

Suppono *secundo*, dari etiam quatuor primas qualitates nempe siccitatẽ, humiditatem, calorem & frigus: dicuntur *primæ*, quia neque ex alijs qualitatibus, neque ex se se mutuo fiunt, sed ex ipsis aliæ vt colores, sapores &c. Et hinc etiam dicuntur primæ, quia illæ primò conueniunt corporibus & ad generationem & corruptionem maxime disponunt; aliæ vero postea superueniunt vt vlterius perficiant. Vnde elementis tanquam primis inter corpora hæ tanquam primæ inter qualitates conueniunt.

Notandum tamen quæstionem intelligi de elementis, non vt sensibiliter existunt: sunt enim valde impura & multùm debilitata propter admixtionem & actionem ipsorum ad se inuicem; sed intelligi de elementis in suo statu naturali constitutis, secundum id quod præcise exigunt vt talia corpora simplicia.

7. Prima conclusio, *Quodlibet elementum vendicat sibi vnam ex primis qualitatibus in summo.* Probatur, Aliqua qualitas profluit ab essentia cuiuslibet elementi tamquam dispositio necessario consequens & conseruans eius naturam, ergo profluit in summo gradu: cum sit causa necessaria & sine impedimento; sed non alia, quàm aliqua ex primis qualitatibus: aliàs prima daretur prior, ergo &c.

8. Secunda conclusio, *summus calor competit igni & summa humiditas debetur aeri.* Quoad priorem partem est certa apud omnes: cum cætera elementa calefiant ab agente extrinseco, quo amoto remittitur eorum calor, ignis vero producit calorem ex se, ergo &c. Probatur quoad secundam partem: nam humiditas in summo non conuenit aquæ, ergo aeri; conseq. patet, quia non conuenit alijs elementis. antecedens probatur. primo quia frigus in summo competit aquæ: ergo humiditas in summo ipsi non competit: patet conseq. quia contra naturam elementorum est & contra naturam mutuæ actionis & reactionis quòd duæ qualitates in summo conueniant vni elemento, & nulla in summo alteri, vel saltem vna duobus, quod tamen ex opposito sequitur, ergo &c. Deinde distinctæ essentiæ determinant sibi certas & determinatas qualitates ab eis profluentes in summo, nisi impediantur; sed non potest alia determinata qualitas assignari aeri præter humiditatem ergo &c.

9. Tertia conclusio, *Summum frigus competit aquæ & summa siccitas terræ.* Probatur prior pars: quia nihil magis & citius extinguit ignem quàm aqua, ergo nihil est magis frigidum quo destruitur calor ignis quàm aqua. Item summum frigus non competit terræ: ergo aquæ. conseq. patet; quia nulli alij elemento competit, ergo. Probatur anteced. quia si terra esset frigidior aqua: cum sit multo densior, produceret intensius frigus, quod est contra experientiam. Posterior pars etiam, probatur primo, quia summa siccitas nulli alteri elemento competit, ergo terræ. Secundo quia nulla alia qualitas in summo competit terræ, ergo competit ipsi siccitas.

Obiicies, Aqua plus humectat quàm aer, ergo humiditas summa competit aquæ & non aeri. Et confirmatur, quia difficilius humor aquæ remittitur, quàm aeris, ergo &c. Resp. neg. conseq. quia quod aqua plus humectet, quàm aer, non prouenit, ex eo quod humiditas eius sit intensior, sed quia est in subiecto grossiori, quod dum in vias, poros, vel recessum corporum inseritur, magis ibi inhæret & retinetur, aer vero quia tenuis, facile effluit, & sic minus humectat; aqua

etiam

etiam quia densior minus patet actioni contrarij agentis & sic minus eius humiditas remittitur. Adde quod humiditas aeris in statu suo naturali existentis, adhuc difficilius expellitur, quàm aquæ; Et quòd densius fortius agat, quàm rarius, licet non habeat qualitatem ita intensam, patet in ferro subito magis calefaciente, quàm flamma.

Dices, Humidum in summo non potest exsiccare; sed aer exsiccat terram, ergo. Respond. dist. ma. non potest exsiccare per natiuam siccitatem conced. ma. non potest per accidens, neg. ma. Aër autem per accidens exsiccat terram, aliquando vi peregrini frigoris, quod ab alio accipit; aliquando vi caloris adiuncti; aliquando per vapores grossiores & siccos ventos sibi immixtos.

10. Inquires, *An præter vnam qualitatem in summo sit alia qualitas in summo vel excellenti gradu in quolibet elemento?* Respond. quod in gradu excellenti: Et patet quia ignis est calidus & siccus, aer humidus & calidus, aqua frigida & humida, terra sicca & frigida. Prior qualitas conuenit elemento in summo, posterior in excellentiori gradu; Et quæ vni conuenit in summo, alteri conuenit in excellenti. Et qualitates quæ sic duobus conueniunt, vocantur symbolicæ, sicut elementa, quibus conueniunt symbola.

Aduerte tamen, quæ in tota hac disp. & præcipuè in hac quæst. diximus, magis adhærendo communiori opinioni Peripateticorum dixisse, quàm experientijs aliquibus, immo & argumentis ac rationibus satis probabilibus in contrarium attendendo (quæ omnia vide, si placet apud nostrum Poncium hic q. 4.) sed quia materia hæc parum deseruire potest nostro instituto, quòd est, principia & fundamenta ad studia Sacræ Theologiæ præstare, ampliorem eius disputationem libenter omittemus.

Finis Libror. de Generat.

IN TRES LIBROS, ARISTOTELIS, DE ANIMA, DISPVTATIONES.

Procœmium.

DIV. *Augustinus lib.* 2. de Ordine *duas docet in Philosophia præcipuas esse quæstiones, vnam de Anima, alteram de Deo.* Prima *(inquit)* efficit, vt nosmetipsos nouerimus, altera vt originem nostram, illa nobis dulcior, ista charior, illa nos dignos Beata vita, Beatos hæc facit. *Quibus verbis excellentiam, vtilitatem & iucunditatem scientiæ de Anima (cuius explanationem aggredimur) satis aperte demonstrat. Igitur nobilitas huius Philosophiæ partis constat tum ex nobiliori illius obiecto scilicet anima rationali; Tum etiam quia cognitio octo librorum Physi*

Physicorum, item generationis & corruptionis, in quibus de corpore substàntiali completo in communi agitur, ad hos tres Libros, in quibus de præcipua illius specie scilicet de corpore animato & præcipue de homine disputatur, ordinem dicit ex natura rei.

Ex quo habes in his libris non agi præcipue de animâ secundum se, sed de corpore animato: quia anima seorsim sumpta non est species corporis substantialis: hæc enim est homo, animal, &c. Nam Philosophus in his libris agit in particulari de his, quorum rationes communes in præcedentibus explicauerat, & sic in præsenti non tam de animâ secundum se, quam de toto composito animato disputat. Dicuntur tamen libri de anima per denominationem à præcipua corporis animati parte. Porro omißis veterum Philosophorum opinionibus, de quibus Philosophus hic lib. 1. Hunc inter disputandum ordinem obseruabimus. 1. De natura animæ & de eius speciebus in communi. 2. De potentiis animæ sensitiuæ in communi. 3. De sensibus internis & externis in particulari. 4. De anima intellectiua. 5. De intellectu & eius actibus. 6. De voluntate & eius actibus. 7. Et vltimo de anima separata.

DISPVTATIO I.
DE NATVRA ANIMÆ, ET EIVS SPECIEBVS IN COMMVNI.

QVÆSTIO I.

Vtrum Anima recte definiatur à Philosopho?

CVM in duabus definitionibus Animæ, de quibus in præsenti quæstione, apponat Philosophus & nomen *Viuentis* & *Vitæ*, & nomen etiam *corporis*; nec possint propterea intelligi, nisi intelligantur horum nominum significationes, prout in ipsis accipiuntur, ideo

1. Notandum *primo viuens* seu *habens* seu *habere vitam* dupliciter sumi & in actu secundo & in actu primo. *Viuere* seu *vita* in actu secundo sunt operationes ipsæ vitales: vt *intelligere*, *sentire*, *mouere se progressiue*, *nutriri* & similia. *Viuere* seu *vita* in actu primo & sumitur pro ipso esse substantiali viuentis, vnde Philosophus hic dicit: *Viuere viuentibus est esse*; & sumitur etiam pro principio prædictarum operationum. Viuere in actu secundo sumitur etiam dupliciter, *primo* vt est quid commune ad vegetare, sentire & intelligere, de quibus singulis inferius dicendum. *Secundo* pro solo vegetare, primo modo Deus & Angeli dicuntur viuere, non secundo modo: Vtrum autem talis conceptus viuendi sit ita ipsis & reliquis viuentibus communis, quod in omnibus reperiatur vniuoce? vel an solum analogice? Quæstio est parum vtilis. De qua legendus noster Poncius hic q. 1.

2. Notandum *secundo*, *corpus* hic sumi prout opponitur spiritui, ita quod illud quod sic est corpus non sit nec possit esse spiritus, nec è contra. Spiritus seu substantia spiritualis vt sic, quæque ponitur directe in prædicamento substantiæ, est substantia quædam completa potens naturaliter occupare locum diuisibilem indiuisibiliter. Et *corpus* vt sic seu substantia corporea, quæque ponitur etiam directe in eodem prædicamento, est substantia alia completa non potens sic occupare locum. Hoc corpus aliud est organicum, aliud non organicum, organicum est, quod habet partes diuersæ rationis ordinatas ad operationes diuersas sibi mutuo subordinatas. Et talia sunt corpora omnia substantiarũ corporearum viuẽtium, quæ viuunt vita siue

vegetatiua, siue sensitiua, siue rationali, Quæ tamen non ponuntur directe sed indirecte & reductiue tantum sub corpore in prædicamento: cum sint substantiæ incompletæ iuxta dicta in lib. de generat. disp. 1. n. 23. Corpus *non organicum* est quod non habet partes tales, sed vel eiusdem rationis, vt est corpus aquæ, ignis, aëris &c; vel si habet partes diuersæ rationis, illæ tamen non sibi inuicem subordinãtur in suis operationibus. Et talia corpora sunt corpora cælestia, si habeant partes subtiliores & densiores; Et lapides etiam aliqui, in quorum partibus reperitur etiam aliqua huiusmodi diuersitas. His prænotatis,

3. Accipe primam definitionem animæ à Philosopho *Anima est actus primus corporis Physici organici potẽtia vitã habentis*. Per *actũ* intelligitur actus actuans idest informans, contra Platonem, qui ponebat animam assistentem corpori: vt Aristoteles loquitur de forma Cæli 1. de Cælo c. 2. & 12. dicitur *primus* idest, quo nullus datur prior: nam forma, potentia & habitus sunt actus primi, quibus correspondent actus secundi sed forma prior est cæteris, estque eorum radix & origo; Vel dicitur *primus* id est substantialis: nam propium est actus substantialis non præsupponere alium actum, sed esse actum simpliciter primum, vnde per hanc particulam distinguitur anima ab omni actu accidentali. Per ly *corporis physici organici* intelligitur compositum ex materia & forma coporeitatis, non vero sola materia cum accidentibus: cum hæc nõ sit corpus physicum substantiale, sed altera pars eius: iuxta dicta in lib. de generat. disp. 1. q. 3. dub. 2. Vel dicitur etiam *physici*, vt significetur corpus illud, cuius anima est actus, non esse corpus mathematicum, hoc est Quantitatem trinæ dimensionis, aut corpus artificiosum mediante arte confectum. Ad ditur *potentia vitam habentis*, vt detur intelligi, quod per corpus non significetur compositum animam includens, sed compositum aliquod ex materia & forma substantiali ab anima distincta. Quod quidem informatum ipsa anima exercere potest operationes vitæ, quales sunt, ex quarum processu ab aliqua re cognoscimus illam rem viuere: vt sunt operationes nutritionis, sẽsationis &c.

4. Secunda definitio est, *Anima est id quo viuimus, sẽtimus, loco mouemur, & intelligimus primo*. Per *id* intelligitur principium intrinsecum operationum sequentium, & per hoc excluditur Deus, cui tamquam principio effectiuo extrinseco competunt illæ operationes. *In ipso* enim *viuimus, mouemur & sumus* iuxta Apost. Actor. 17. Per *viuimus* intellige vitam vegetatiuam, ne frustra ponantur particulæ sequentes. Item Nota particulas in hac definitione positas non sumi coniunctim vel distributiue: aliàs definitio tantum conueniret animæ rationali, nec etiam merè disiunctiue, sed partim disiunctiue, partim collectiue: Hoc modo anima est id quo viuimus, aut etiam quo sentimus, aut etiam loco mouemur, aut etiam intelligimus.

5. Sit conclusio, *Præfatæ definitiones sunt bonæ & exactæ, sed sunt tantum descriptiuæ. Primum* patet, quia conueniunt omni & soli: Vt constat ex dictis; *secundum* habeo ex Doctore 4. d. 12. q. 1. n. 19. & probatur quia vtraque datur per proprietatem definiti, ergo est descriptiua. probatur antecedens, quia ordo ad corpus per quem datur prima, & ordo ad operationes, per quem secunda, sunt proprietates animæ: quia tantum sunt

aptitudines ad tale vel tale, ergo &c. Quod si dicas secundam definitionem conuenire grauitati, ergo non est bona: probatur anteced. quia grauitas est id quo grauia mouentur deorsum: ℞ neg anteced. nam motus localis per ordinem ad quem describitur anima, non est motus localis quomodocumq; nec motus qualis est grauium & leuium, sed motus localis organicus petens procedere à substantia mediantibus partibus diuersæ rationis, ita vt earum diuersitas deseruiat directe ad illum motum, qualis non competit vlli alij rei, nisi animatæ.

QVÆSTIO II.

Qualis sit diuisio animæ in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem?

6. NOtandum *Primo* Philosophum hic tres assignare quasi diuisiones animæ. *Primo* diuidit animam in vegetatiuam, sensitiuam & rationalem tanquam in tria genera, non quod sint proprie genera, cum rationalis sit species infima; sed aliqua generalia vel species distinctæ. *Secundo* enumerat quatuor gradus viuentium nempe vegetatiuum, sensitiuum, loco motiuum, & intellectiuum. *Tertio* assignat quinque genera potentiarum animæ scilicet potentiam vegetandi, sentiendi, appetendi, loco mouendi, & intelligendi.

Notandum *Secundo*, numerum animarum, graduum viuentium & potentiarum sumi à diuersis: nam numerus animarum colligitur ex modo essendi & perfectionis essentialis, quo anima excedit formam inanimati, qui est triplex: primus quo ipsam excellit, est quod sit principium operandi non tantum ad extra, vt ignis producit alium ignem, sed etiam ad intra aggenerando sibi aliam partem, conuertendo alimentum in suam substantiam, nihil tamen cognoscendo, & sic datur primum genus animæ, nempe vegetatiuæ, qua viuunt omnes plantæ. Secundus quia non solum ad intra operatur, sed etiam, per cognitionem, vtendo rerum speciebus materialibus tantùm: Et sic datur secundum genus animæ scilicet sensitiuæ, qua viuunt omnia animalia. Tertius, quod non tantùm operatur vegetando & sentiendo, sed etiam vtitur speciebus rerum immaterialibus: Et ita datur tertium genus animæ scilicet rationalis, qua viuunt homines. Numerus autem graduum viuentium non desumitur ex perfectione essentiali animarum vel essendi modo, sed ex separabilitate operationum vitalium, ita vt tot sint viuentium gradus, quot operationes vitales ab inuicem separari possunt.

7. Notandum *Tertio*, animam vegetatiuam sumi dupliciter *Primo* quasi permissiue pro principio radicali vegetandi, & in hoc sensu anima vt sic & consequenter omnis anima dicitur vegetatiua: quia esse vegetatiuum est differentia constitutiua & distinctiua animæ à forma inanimati. *Secundo* quasi exclusiue pro vegetatiua in sensitiua seu pro vegetatiua tantum, intelligendo per *tantum* non solum negationem sensitiuitatis, sed etiam differentiam positiuam, quæ sit ratio constituendi & distinguendi animam plantæ ab anima animalis seu sensitiua, & sic capitur vegetatiua vt est membrum dictæ diuisionis. Similiter anima sensitiua sumitur, *Primo* pro principio radicali sentiendi & sic sumitur pro forma tribuente esse cuicumque animali. *Secundo*, pro sensitiua tantum id est pro irrationali, & sic capitur in diuisione & competit solis brutis.

8. Sit

8. Sit prima conclusio. *Anima adæquate diuiditur in vegetatiuam, sensitiuam & rationalem.* Probatur, tot sunt genera animarum, quot sunt præcipui & principales modi, quibus anima excellit formam inanimati; sed hi sunt tantum tres, vt constat ex Notab. 2. ergo &c. Et confirmatur quia tribus generalibus modis anima est principium operationis vitalis, ergo tria sunt genera animarum. anteced. patet ex dictis.

9. Secunda Conclusio, *Quatuor sunt gradus viuentium, & Quinque genera potentiarum.* Probatur prima pars: Tot sunt gradus viuentium, quot modis reperiuntur animarum operationes seorsim in diuersis viuentibus; atqui id quatuor modis tantum contingit, ergo &c. ma. patet ex Notab. mi. probatur: quia in plantis reperitur sola operatio vegetatiua; in aliquibus animalibus sola operatio vegetatiua sensitiua & appetitiua (hæc enim nunquam separatur à sensitiua, neque è contra): vt patet in conchis marinis quæ perpetuo adhærent saxis, nec vnquam ab vno loco in alium progressiue feruntur, liceat moueant se localiter quoad partem sui, quando tanguntur. Item in reliquis plerisque bestiis reperiuntur omnes præter rationalem, & sic constituitur tertius gradus; denique in homine reperiuntur omnes operationes simul, & ita habetur quartus gradus. Probatur etiam secunda pars conclusionis, quia tot sunt potentiæ quot modi generales operandi; sed isti sunt quinque: puta vegetare, sentire, appetere, loco moueri, & intelligere, ergo &c.

10 Obiicies *primo* loco moueri est specialis & præcipuus modus excellēdi formas inanimatorum, ergo datur etiam anima loco motiua ab alijs distincta & sic quatuor. ℞. neg. anteced. tum quia sensitiua qualiacumque etiam habent potentiā loco mouendi saltem imperfectam, vt diximus de conchis; Et quidquid sit de hoc, loco moueri non est specialis & præcipuus modus excellendi; non specialis, quia licet loco moueri perfecte, idest secundum omnes partes viuētis non competat omni animæ sensitiuæ, tamen verum est omnem sensitiuam moueri saltem imperfecte; non etiam præcipuus, quia perfectius est sentire quam loco moueri; quilibet autē modus excellendi specialis posterior, est perfectior se priore, vti perfectius est intelligere quā sētire, ergo &c.

Obiicies secundo, Quæ se habent per modum superioris & inferioris non sunt species diuidentes idem genus; Sed hæ animæ sic se habent: quia sensitiua est superior respectu rationalis, & vegetatiua respectu vtriusque, ergo &c. ℞. neg. mi. & eius probat. sumendo illa ad mentē diuisionis proprie dictæ, in qua per vegetatiuam & sensitiuā non intelligūtur gradus generici viuentis & animalis vt sic, sed per illā anima plātæ, per hāc vero anima bruti.

Dices, ergo diuisio non est immediata, idest in species immediatas. ℞. conced. conseq. quia anima diuiditur immediate in sensitiuam & vegetatiuā, quæ insensitiua dicitur; sensitiua iterum in intellectiuam & sensitiuam tantum idest irrationalem. Aduerte tamen non esse diuisionem in species infimas, nam vegetatiua est genus v.g. ad animam Cedri & animam cypressi, quæ sine dubio specie distinguntur. Idem est de sēsitiua respectu animæ leonis & equi; Nec tamen esse diuisionem in species subalternas: quia anima intellectiua seu rationalis, vt communiter supponitur est species infima nempe ad animas Petri & Pauli v.g. Est ergo diuisio generis in plures species, quarum aliqua est infima, reliquæ subalternæ:

Qualis est diuisio animalis in hominem & brutum.

QVÆSTIO III.

Quomodo tres prædictæ animæ inter se distinguantur, & an posterior priorem formaliter includat?

NOta, posse esse Dubium de his animabus prout respiciunt idem compositum vel diuersa; Et in secundo sensu resolutio est facilis: nam certum est sic distingui realiter: quia constituunt viuentia realiter distincta: puta hominem, brutum & plantam. Difficultas ergo est, quo modo vegetatio, sensatio & intellectio distinguantur, quando reperiuntur in eodem?

11. Prima conclusio, *Anima vegetatiua secundum esse genericum, id est qua forma viuentis, includitur formaliter & essentialiter in sensitiua & rationali, & sensitiua sic sumpta etiam in rationali.* Probatur: Eodem modo quo brutum includit viuens, ita anima bruti includit propriam formam viuentis; sed brutum includit formaliter & essentialiter viuens, Et anima sensitiua est propria forma bruti, & vegetatiua in communi est forma propria viuentis, ergo sensitiua includit formaliter & essentialiter vegetatiuam in communi. Simile argumentum fit de sensitiua respectu rationalis. Probatur secundo, anima ex dictis q. præced. diuiditur immediate vt genus in sensitiuam & pure vegetatiuam: sed diuisum non est aliud, quã anima vegetatiua in communi, ergo hæc includitur essentialiter in sensitiua; similiter sensitiua in communi diuiditur immediate vt genus in rationalẽ & irrationalẽ, ergo sensitiua in communi includitur essentialiter in vtraque.

12. Secunda conclusio, *anima vegetatiua secundum esse specificum, seu qua forma propria plantæ, non continetur formaliter in sensitiua vel rationali, sed bene virtualiter; Nec sensitiua sic sumpta prout est anima propria bruti formaliter in rationali; Sed eminenter, vel virtualiter.* Et contra quosdam Thomist. Probatur, vna species non includitur formaliter in altera condiuidente idem genus; sed vegetatiua tantum & sensitiua sunt tales species: ergo vna non continetur formaliter in altera, ma. patet: aliàs dicam brutum includi formaliter in homine: patet etiam mi. quia constituunt species essentialiter diuersas scilicet plantam, brutum & hominem.

Respondent contrarij dist. ma. vna species infima, concedunt: quia illa non est amplius contrahibilis; subalterna negant ma. quia potest contrahi adhuc per alias differentias. Sed contra *primo* ergo planta potest contineri formaliter in bruto, & consequenter prædicari de ipso formaliter; probatur conseq. quia vtraque est species subalterna sub viuente & vtraque prædicatur tãquam genus de inferioribus. Contra *secundo* ergo duæ differentiæ oppositæ includũtur formaliter in eadem specie: probatur consequentia, quia species subalternæ diuidentes idem genus includũt differẽtias oppositas, ergo si vna ex eis includitur in alia, differentia eius constitutiua includetur in eadem.

Obiicies *primo.* Si anima rationalis includit formaliter vegetatiuam in communi, ergo includit formaliter formam corporis: quia hæc est gradus superior ad vegetatiuam, ergo est formaliter corporea. Resp. neg. secundam conseq. nam anima rationalis includit formaliter propriam rationem dantis esse animati vt sic, & tamen non dicitur animata, ergo licet

licet includat formam corporis secundum gradum communem, non dicitur formaliter corporea.

Obiicies *Secundo*, Propria operatio vegetatiuæ & sensitiuæ reperiuntur formaliter in rationali, ergo & ipsæmet formaliter: ℞. neg. conseq. nam propria operatio ignis, quæ est calefacere reperitur in Deo & in Sole, non tamen ipsa forma ignis, nisi virtualiter.

Dubium

13. Inquires: *vtrum in quolibet viuente vnica tantum sit anima?* In primis reiiciendum tanquam impium & hæreticum, immo damnatum in 8. Synodo generali actione 10. can. 11. affirmare in homine esse duas animas rationales, quarum vna à Deo bono & altera à malo creatur: Et dicendum vnicam tantũ esse animam in quolibet viuente. Ita Scotus 4.d. 44.q. 1.n. 4. vnde constat, falso citari pro opposita sententia à Toleto in lib. de anima in fine prœmial. proposit. 2.

Sed est ingens dubium ex verbis Philosophi 1. de generat. animal. cap. 3. vbi ait hominem primò viuere vita plantæ, postea animalis, tandem hominis, vbi Conimbricenses ex D. Thom. 1. p. quæst. 118. art. 2. ad 2. asserunt verum esse in generatione hominis generari prius tempore animam plantæ, postea successiuè, animam animalis, & demum animam rationalem: quia vna disponit ad aliam, & prior semper corrumpitur, adueniente posteriori.

Contra quam resolutionem Resp. cum communi sententia *In generatione bruti non produci prius tempore in semine animam vegetatiuam, aut in generatione hominis hanc vel sensitiuam* De quo videndus Vallesius de Sacr. Philosoph. capite 4. Probatur *Primo*. quia non apparet quod generans generet aliquid & statim suum genitum corrumperet; sed hoc fieret in proposito, ergo: *Secundo* Non potest assignari alia causa productiua vegetatiuæ in generatione bruti; vel sensitiuæ in generatione hominis præter animam generantis vel matris; sed anima rationalis non generat sensitiuam, vel sensitiua bruti vegetatiuam, ergo &c. Probatur mi. quia videtur mirum, quod homo nunquam posset generare hominem, quin prius generaret plantam vel brutum, ergo &c. Ad dictum Philosophi Resp. dist. antecedens. Prius, viuit vita plantæ, id est prius tempore habet animam plantæ nego, prius exercet operationem animæ plantæ concedo: hæ enim operationes non requirunt tam perfectas dispositiones & organa, vnde prius anima rationalis nutrit, postea sentit, tandem ratiocinatur.

Dices: In iure canonico non censeri homicidam, qui fœtum occidit in vtero matris ante infusionem animæ: vt videtur declarari cap. *sicut ex litterarum de homicid. cap. quod vero &c. Moyses* 32. quæst. 2. ergo cum occisio nequeat esse nisi rei viuentis, supponunt canones posse fœtum viuere ante animam rationalem. ℞. in nullo prædictorum cap. dici vel insinuari fœtum ante animæ infusionem occidi posse; immo si in fœtu deprehenderentur signa vitæ, absque dubio illius occisorem reum fore homicidij. Quod valde fauet nostræ sententiæ.

QVÆSTIO IV.

Vtrum omnes animæ constent partibus?

Nota, quæstionem solum procedere de partibus integrantibus: nam essẽtialibus Metaph. nempe genere & differentia certum est omnem animam constare

constare; sicut & essentialibus physicis carere: nam si anima aliqua constaret aliquo quod esset materia seu subiectum & aliquo, quod esset forma, non posset facere vnum per se cum corpore, quod animaret. Et quidquid sit de possibilitate rei spiritualis hoc modo compositæ aut etiam partibus integrantibus constantis. De quo videndi noster Poncius hic q.2. Arraga sect.4. Ad rem prout de facto est disputandum procedamus.

14. Prima conclusio, *Anima rationalis indiuisibilis est, nec constat partibus.* ita Scotus 4.d.1. q.5. n. 8. & dist. 43. q.2.& dist.44.q.1. Et est communis contra Pomponat. & Iandunum, qui ex doctrina fidei tantum, non ex ratione naturali probari censuerunt animam rationalem esse indiuisibilem. Probatur à posteriori: si esset diuisibilis, abscisso membro corporis, abscinderetur pars animæ rationalis, Et sic esset corruptibilis & mortalis contra Fidem (de quo constabit disp.4.) Vel pars quæ erat in isto membro manet extra omne subiectum; & talis status animæ non habetur pro statu viæ; vel reciperet se in aliam corporis partem, in qua esset alia pars animæ & ita duæ partes animæ essent simul in parte eadē corporis; Hæc sunt falsa, ergo &c.

15. Secunda Conclusio, *Omnis alia anima à rationali distincta tam sensitiua, quàm vegetatiua est diuisibilis in partes integrantes.* Est communior quàm opposita, & quoad plantas & animalia imperfecta habet Aristot. 2. de Anima.tex.20. quoad animalia perfecta est contra fideliores Thomistas: Complutens.Ioan.à S.Thom. & alios. Probatur *primo* omnes animæ præter rationalem educuntur de potentia materiæ, ergo sunt diuisibiles. anteced. patet, & conseq. probatur,quia forma quæ educitur de potentia materiæ,dependet in esse & fieri à materia, ergo vel secundum diuersas sui partes dependet à diuersis partibus materiæ, vel secundum se totam à singulis; Si primum, habetur intentum; si secundum; contra, quia sic dependeret à pluribus causis totalibus, nam dependeret à singulis tamquam à totali. Probatur *secundo*, In nutritione animalis perfecti vel producitur noua pars formæ cum parte carnis, vel tantum noua pars carnis. Si primum, habetur intentum; si secundum, ergo anima non informat illam nouam partem. probatur consequentia: quia non informat aliquam partem, nisi à qua dependet, sed non dependet ab illa in fieri & conseruari: cum antea sine illa exstiterit, ergo.

16. Ad hanc rationem plura Respond. Complutenses, sed omnia voluntarie dicta. Quæ bene confutat noster Poncius hic qu.8. à n. 122. Pro solutione argumentorum Nota, formas tripliciter respicere materiam seu subiectum. Quædam indifferenter & æque primò respiciunt materiam & singulas eius partes, ita vt tam in toto quàm in singulis eius partibus etiam diuisis possit ratio totalis earum conseruari: Et tales sunt formæ inanimatorum, vt terræ, aquæ &c. *Secundo* aliæ ita respiciunt materiam, quòd non respiciant singulas eius partes tamquam sufficientia receptiua: quia non inueniunt in eis diuersitatem organorum aliasque dispositiones, quas exigunt, & ideo nullam partem seorsim à toto informant: Et tales sunt formæ perfectorum animalium, vt Leonis, equi &c. *Tertio* aliæ medio modo se habentes respiciunt totam materiam primario, & secundario partes eius, ita vt in partibus diuersis possint saltem ad tempus manere, quantum ad suam rationem specificam, li-

cet

cet non quoad partes integrales: Tales ſunt formæ plantarum & imperfectorum animalium.

Obiicies *primo* contra primam concluſionem. Pars hominis abſciſſa mouetur, ergo in eadem eſt pars animæ, ergo anima rationalis eſt diuiſibilis. Reſpond. neg. vtramque conſeq. quia ille motus non cauſatur ab anima, ſed à ſpiritibus vitalibus huc illucque diſcurrentibus, à ſanguine calido adhuc fluente, alijſque humoribus: Et multa ſic mouentur in quibus nulla eſt anima: vt patet in argento viuo.

Contra, ergo ſimiliter fiet in alijs viuentibus, quando eorum partes diuidantur. Reſpond. in alijs perfectis concedo; in imperfectis, nego. Dices, ergo in perfectis non erunt partes. Reſpond. neg. conſeq. quia eſſe ibi partes non probatur ex motu, ſed ex rationibus ſupra factis in probatione concluſionis.

Obiicies *ſecundo* contra ſecundam. Sicut in homine parte abſciſsa, ipſa ſtatim moritur, & ſi eſt pars principalis, totus homo, ita in animali perfecto, ergo in omni animali perfecto anima eſt indiuiſibilis ſicut in homine: aliàs pars eius informaret partem abſciſſam. Reſpond. neg. conſeq. eiuſque probationem: ideo enim non informat; quia vna pars animæ dependet in informando ab alijs, maxime informantibus partes præcipuas & principales corporis. Quod conſtat ex eo, quod licet animæ animalium imperfectorum ſint diuiſibiles quaquaverſum ex omni parte; ſi tamen anguilla vel lacerta diuideretur penes longitudinem à capite ad caudam, nulla pars viueret, & tamen inde non ſequeretur, quin in qualibet ex illis partibus fuerit pars animæ ante diuiſionem; Ergo ex eo quod non poſſint conſeruari partes animæ perfectorum animalium in partibus corporis ſeparatis, non ſequitur quin fuerint ante diuiſionem partes animæ in illis partibus.

Dubium.

17. Inquires, *Vtrum partes integrantes, quibus integrantur animæ diuiſibiles ſint homogeneæ vel heterogeneæ?* Reſpond. eſſe homogeneas: quia ſine neceſſitate non ſunt multiplicandæ ſeu diuerſificandæ entitates; ſed nulla eſt neceſſitas ponendi partes animæ ſenſitiuæ v.g. heterogeneas, ergo; probatur mi. quia ſi aliqua eſſet ratio maxime diuerſitas operationum in diuerſis organis; ſed hoc non ſolum non arguit diuerſitatem partium animæ, ſed nec diſtinctionem partium in ea; ergo nulla eſt ratio conuincens; mi. patet in anima rationali, quæ cum indiuiſibilis ſit, adhuc habet eas diuerſas operationes & exigit diuerſas organizationes. Quæ quidem diuerſitas in noſtra ſententia prouenit à forma corporeitatis conſtante pluribus partialibus diuerſæ rationis: iuxta dicta in lib. de generat. diſp. 1. nu. 25. ergo non eſt ratio exigens diuerſitatem in partibus animæ. Reſolutionem noſtram tenent Conimbricens. & Arriaga hic, quam tamen difficulter probabunt non ponentes formam corporeitatis in viuentibus: vt nos ponimus. de quo videndus noſter Poncius hic n. 132.

QVÆSTIO V.

Quasnam partes corporis informet Anima?

NOtandum, partes viuentis esse in triplici differentia. Quædam pertinent ad constitutionem integralem animalis: vt cor, caput, cerebrum, ossa & membra omnia; quædam vero pertinent ad consistentiam & conseruationem: vt sanguis & reliqui humores, item spiritus animales & vitales; quædam denique sunt excrementales, quarum aliquæ pertinent ad ornatum viuentis: vt capilli & vngues: Et supponendum est priores partes, vtpote quæ aliquam operationem vitalem exercent, informari animâ: inde enim colligitur aliquam partem corporis animari, quia in illa exercentur operationes vitales; & ex posterioribus, quæ excrementales sunt aliquas vt lachrimas, sudorem, saliuam & huiusmodi certum est non animari. Procedit ergo quæstio & solum est controuersia de sanguine & aliis tribus humoribus scilicet flegmate, cholera & melancholia, item de lacte, semine, dentibus, vnguibus, capillis, &c.

18. Sit prima conclusio, *Sanguis (& idem est de aliis tribus humoribus) non animatur, item neque spiritus vitales & animales.* Est Sententia Galeni, D.Th. & Scoti 3. d. 3. q. 2. & 4. d. 10. q. 4. quos sequuntur sui & Suar. Ruuius & alij contra Hurtad. Tolet. & Arriagam. Et prænotandum est, vanam & fictitiam esse distinctionem, quam adducunt contrarij ex Caietan. diuidentes sanguinem in nutrimentalem, quem ita vocant, non quia ex eo solo nutriatur viuens, sed quia proxime fit ex alimento, ideoque non bene decoctus, sed imperfectus sit; & in perfecte decoctum & elaboratum, quem quia pertinet ad veritatem naturæ animalis, & sine quo animal non esset integrum & perfectum, dicunt animari & viuere; Vana (inquam) & fictitia est hæc distinctio, tum quia sine fundamento adstruitur: tota enim differentia quam ponunt, est secundum magis & minus; tum etiam quia si argumenta Theologica è mysterio Incarnationis probant de aliquo sanguine, quod viuat, probant etiam de omni: vtrumque enim assumpsit Verbum Diuinum.

19. Probatur *primo* conclusio, quia si sanguis vllius animalis deberet animari maxime hominis; sed hic non, ergo. Probatur mi. quia anima indiuisibilis non potest animare partes discretas non continuatas; sed sanguis non continuatur cum aliis partibus solidis corporis humani, ergo non animatur anima rationali indiuisibili, mi. Probatur, quia sanguis fluit & dispersus est per corpus, & continetur in venis sicut in vase, teste Aristot. 3. de historia animal. cap. 14. Nec augetur proprie, sed per iuxta-positionem, ergo non continuatur partibus consistentibus & solidis. Probatur *secundo*, Sanguis est proximum alimentum quo reliquæ partes animalium nutriuntur ex Philosopho 1. de generat. sed alimentum non potest esse viuum, ergo Sanguis non viuit, ergo non informatur anima, ma. præter quam quod est Philosophi negatur à nemine, & vtraque consequentia est euidens. mi. Probatur, quia in nutritione datur conuersio substantialis vnius in aliud: alias terminus formalis illius aggenerationis esset idem cum termino formali corruptionis, quod est falsum. Et confirmatur, quia eadem numero materia non perdit & acquirit immediate eandem

dem numero formam: cum non detur naturaliter regressus à priuatione formæ ad ipsam formam.

Ad hoc respondet Arriaga neg. mi. cuius probationem à nobis confictam esse dicit; sed certe non video quid receptius sit in Philosophia, quam nutritionem numerari inter actiones substantiales: nam per ipsam conuertitur alimentum in substantiam aliti: quare non informatur ipsa anima viuentis, quod alitur. Probatur *tertio* & confirmatur conclusio quia nullus sanguis exercet vllam operationem vitæ: non enim sentit aut nutritur, aut augetur vitaliter alio modo, quam augetur aqua per iuxta-positionem vt diximus. Et idem debet dici de humoribus & spiritibus vitalibus: cum nec continuentur aliis partibus corporis, nec operatio vlla vitalis eis competat, ergo nullum ex eis informat anima.

Obiicies *primo* Leuitici 17. dicitur: *Anima carnis in sanguine est*, ergo sanguis animatur. ℞. neg. conseq. quia ideo dicitur, sanguinem esse sedem animæ idest vitæ, non quia formaliter viuat, sed quia adeo necessarius est ad vitam, vt sine eo nec per breue tempus possit conseruari.

Obiicies *secundo*, Philosophus vocat sanguinem partem animalis, & præcipue 3. de historia animal. cap. 19. vbi ait. *Quamdiu vita seruatur, sanguis viuus animatur & feruet*. ℞. sanguinem esse partem animalis in sensu infra explicando; quod autem animetur & ferueat, solum significat sanguinem moueri, intra venas palpitando non motu procedente ab anima, sed à calore spirituum vitalium ipsi mixtorum: eo modo quo argentum viuum ob similes motus dicitur viuum. Et in hoc sensu Aristot. 2. de animalib. cap. 5. dicit calorem esse animatum:

Sed dices, Sanguis versus omnem partem mouetur rubore ad extra, timore ad intra, lætitia spargitur, & ira feruescit; sed tales motus non possunt non fieri ab anima, ergo, &c. ℞. concess. ma. neg. mi. quia non fiunt ex imperio animæ, sed ex occulta vi impulsiua & expulsiua, quam habet anima: vt quando affecta variis passionibus eiicit & commouet humores, sicut accidit quando affectu timoris eiicit excrementa, non quia informentur anima, sed quia ab illius virtute expelluntur.

Obiicies tertio, Sanguis ita est pars hominis, vt sine eo homo sit minus integer, quam si careret brachio vel pede; imo nec exiguo tempore poterit conseruari, ergo sanguis informatur anima hominis. Et confirmatur, quia alias non assumpsisset sanguinem humanitatis Verbum Diuinum, cuius contrarium docent Concilia Calcedonense & Ephesinum. ℞. Sanguinem esse vere partem humanitatis: quia non solum requiritur ad conseruationem vitæ tanquam alimentum, sed aliis pluribus rationibus, nempe ad fouendum calorem & temperamentum omnium membrorum; deinde vt ex ipso fiant spiritus vitales & animales, qui ad omnes vitæ operationes maxime necessarij sunt, & denique vt sit vehiculum horum spirituum. Quare sicut sine corde non posset animal conseruari: quia sine corde non posset vitaliter operari: cor enim est principium vitæ; ita sine sanguine non potest viuere, quia sine eo non potest vitaliter operari. Vnde ad confirmat. dico, quod licet fuerit vnitus hypostatice Verbo Diuino, non ideo sequitur esse animatum.

20. Quæres: *Vtrum sanguis sit pars intrinsecè componens & integrans hominem; an solum quasi extrinsece & necessaria ad eius conseruationem?* Conimbricenses

bricenses hic cap. 4. quæst. 24. art. 3. videntur solum hoc secundo modo sanguinem appellare partem hominis. Ego autem censeo, sanguinem pertinere intrinsece ad integritatem & compositionem hominis, & hominem in recto includere carnem & sanguinem, atque adeo hominem, qui de potentia absoluta conseruaretur ex sanguis, non esse vere hominem substantialiter integrum. Quem modum dicendi obseruare videntur plures authores vt Suarez & alij.

Dices, ergo non est adæquate viuens sensibile: nam sanguis qui est vna pars eius non viuit? Respondeo Ad hoc vt adæquate sit viuens sensibile, non esse opus viuere quoad omnes partes: sicut equus dicitur absolute sensibilis, licet eius ossa non habeant gradum sensitiuum, vt multi authores docent.

Dices iterum, ergo homo non est vnum ens per se, sed vnum ens per accidens ex aggregatione duorum entium completorum. Respond. cum Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 15. sect. 6. hominem non esse vnum vnitate mathematica per continuationem perfectam, sed esse vnum vnitate Physica, quæ resultat ex coniunctione plurium partium, quæ licet non continuentur perfecte, coniunguntur tamen cum subordinatione mutua, & cum ordine ad eamdem animam rationalem, quæ licet non informet omnes illas partes, vtitur tamen illis ad suas operationes. Et hinc habes responsionem ad argumenta omnia, quæ è mysterio incarnationis adducuntur.

Sed contra vrgebis adhuc: quia tota ratio quare sanguis sit pars hominis est, quia corpus humanum non potest conseruari sine sanguine; sed in hoc sensu etiam aër deberet dici pars hominis: quia non potest corpus nec vita conseruari sine aëre necessario ad vitæ conseruationem, ergo &c. R. neg. paritatem: nam sanguis ita necessarius est ad vitæ conseruationem, vt tamen ex se ordinetur determinate ad illum effectum per coniunctionem cum carne; quare vbi primum separatur à carne statim ipse sanguis corrumpitur, quod indicat eius entitatem esse quasi incompletam & omnino ordinatam ad aliquod totum; at vero aër non habet hanc subordinationem ad cæteras hominis partes, sed quasi hospes nimis extrinsecus ingreditur & egreditur ab animali sicut ab aliis corporibus inanimatis.

21. Secunda conclusio, *lac & semen non animantur, atque adeò nec viuunt*. Hæc conclusio quantum ad semen est Scoti 4. d. 44. q. 1. n. 18. Et probatur quia lac vel non differt specie à sanguine, vel si differt, procedunt adhuc de ipso rationes, quas adduximus ad negandum vitam sanguini: quia nec continuantur cum aliis partibus, nec nutriuntur more viuentium. Adde hæc duo non tam ordinari ad integritatem viuentis, quam ad bonum prolis & propagationem speciei.

22. Tertia conclusio, *dentes, vngues, rostra auium, pilos, capillos &c. probabile est non animari, oppositum tamen censeo probabilius*. Primam partem circa vngues & capillos tenent medici post Galenum, & probant, quia vngues & capilli in cadauere crescunt, ergo non viuunt, probatur conseq. quia nullum aliud argumentum vitæ habemus præter accretionem, & hæc competit illis sine vlla anima; puta in cadaueribus iuxta experientiam, ergo &c. Et confirmatur quia si viuerent, vita tantum vegetatiua viuerent, hoc non, ergo quia quando homo nihil vel minus nutrimenti sumit, tunc magis crescunt barba & capillus, ergo &c.

Sed istæ experientiæ medicorum valde dubiæ sunt. Ideo oppsitam partem sic probo de dentibus & vnguibus: quia nullum fere est discrimen inter vngues, dentes & alia ossa, imo in nonnullis brutis vngues sunt quædam ossicul a data à natura ad præcipuas operationes. Vnde merito Aristot. 3. de historia animal. cap. 2. eos ossibus assimilauit, ergo, cum de ossibus constet viuere, sic etiam de vnguibus & dentibus credendum est. Adde etiam, in dentibus reperiri aliquam organizationem & partium dissimilitudinem. Item quia crescunt etiam & nutriuntur secundum omnem dimensionem, vt constat experientia. Et vlterius confirmari potest ex eo quod aliqui medici in vnguibus sensum & dolorem cognoscunt: vt Vallesius lib. 2. controuers. Medicar. cap. 5. Et quod de vnguibus dicimus, de cornibus etiam dici potest. Item de plumis auium, in quibus tam varia est organizatio, satis credibile est animari; Et cum eodem modo se habeant capilli in homine, ac plumæ in auibus, idem asserendum videtur de ipsis.

QVÆSTIO VI.

Quo modo potentiæ distinguantur ab anima; Et inter se?

NOtandum *primo*, quamlibet animam in particulari habere suas proprias potentias: nam vegetatiua habet potentiam nutritiuam, augmentatiuam & generatiuam. Sensitiua habet quinque potentias externas & aliquas internas, rationalis habet intellectum & voluntatem. Quæstio proponitur de omnibus his potentijs in genere, quia eadem est de omnibus difficultas. Pro cuius solutione,

23. Notandum *Secundo*, si per potentias animæ vegetatiuæ & sensitiuæ intelligatur facultas coalescens ex facultate animæ & facultate corporis: hoc est potentia vt includens & organum corporis & potentiam ipsam seu virtutem animæ in ipsa existentem, tunc sine dubio distingui realiter tales potentias ab anima: cum anima possit existere absque corpore & consequenter absque facultate illa conflata ex sua potētia & facultate seu organo corporeo; Si autem per potentias illas intelligatur facultas seu virtus propr ia correspōdēs ipsi animæ & naturaliter concomitans ipsam, siue sit in corpore siue extra corpus, eadē erit ratio de potentijs his sic acceptis, ac de potentijs spiritualibus animæ nēpe intellectu & volūtate. Quare claritatis gratia de intellectu & voluntate resoluemus Quæstionē & inde resolutio applicari poterit ad alias potentias seu virtutes animæ.

24. Sit prima Conclusio, *Potentiæ non distinguuntur ab anima nec inter se realiter.* Est Scoti 2. d. 16. cum omnibus suis, quos præter Nominales sequuntur Hurtad. & Arriaga hic. contra D. Thom. & suos 3. p. q. 77. art. 1. & q. 54. art. 3. quem sequuntur Conimbricens. Suar. Vazq. & Ruuius. Probatur *primo* ex Scoto. Quod melius est, si possibile sit, poni debet ex. 2. de generat. & 8. physicor: Sed paucitas est melior, si sit possibilis: quia entia non sunt multiplicāda sine necessitate, ergo cum hic paucitas, videlicet vnitas realis animæ & potentiarum eius sit possibilis: vt constabit ex solutione argumentorum pro opposita sententia, tenēdū est nec ab anima nec inter se distingui. Quod autē hæc paucitas sit melior, patet: quia sicut est perfectio in Deo per vnicam essentiā operari diuersa, ita erit perfectio in anima quod realiter indiuisa varie operetur circa idē &

circa diuersa. Probatur *Secundo*, si potentiæ distinguerentur realiter ab anima, ideo esset quia ipsa per suam entitatem realem non esset actiua; sed hoc est falsum, ergo ma. patet, quia si esset ex se actiua, ergo habet ex se potentiam actiuam: mi. vero probatur, quia anima producit ipsas potentias secundum aduersarios realiter distinctas, vel saltem emanant ab ipsa, quod idem est quoad intentum; tunc sic vel producit illas per se, vel per aliam potentiam superadditam; si hoc secundum dicatur, ibitur in infinitum; si primum, habetur intentum, ergo &c.

Probatur *Tertio*, perfectior est in accidenti esse actiuum & operatiuum ex se; ergo hoc non est denegandum animæ rationali, quæ post Angelum est perfectissima creatura; nec valet, si dicas sufficere quod agat mediante accidente. Nam contra est, quod in accidente separato magnæ perfectionis est agere & operari, ergo id non est negandum substantiæ secundum se consideratæ. Respondet Caietan. supra quæst. 54. animam esse principium primum & per se agendi, tamen agere mediate scilicet mediis potentiis. Sed contra quia implicat, quòd sit per se agens, si potentia per quam agit est realiter distincta ab ea. Item neque est principium primum agendi, si tantum sustinet potentias sic distinctas; sicut lignum calorem.

Et confirmatur nostra sententia authoritatibus PP. Ecclesiæ præcipue D. August. lib. de Spiritu & anima & tract. 15. in Ioan. D. Isidori lib. 11. Etymolog. D. Bernard. serm. 11. in in Cant. dicentis. *In anima tria intueor rationem, memoriam & voluntatem, & hæc tria eamdem esse animam.* Et confirmatur vlterius soluendo argumenta contraria.

25. Obiicies ergo *Primo*. Potentia & actus sunt eiusdem generis, sed actus intellectus & voluntatis sunt accidentia, ergo ipse intellectus & voluntas etiam sunt accidentia, & sic distinguuntur realiter ab anima. ℞. dist. ma. potentia obiectiua & actus entitatiuus id est existentiæ sunt eiusdem generis, imo & eiusdem numeri vt dicitur 9. Metaph. tex. 13. transeat ma. potentia productiua & actus ab ea productus neg. ma. alioquin accidens non posset à substantia vel ab ipso Deo produci: quia cum neutro conuenit in genere. Item & est contra ipsos Thomistas, qui clamant ab accidenti produci substantiam.

26. Obiicies *Secundo* potentiæ vitales sunt operatiuæ alicuius actus, ergo sunt in secunda specie qualitatis, ergo sunt accidentia ab anima distincta. Secunda consequentia patet, & prima probatur duobus pr ncipiis certis: *Primum* quod potentia naturalis productiua actus ponitur ab Aristot. in secunda specie qualitatis. *Secundum* est quòd potentia sumat speciem suam ab actibus, sed actus potentiæ vitalis sunt accidentia, ergo & ipsa potentia: ℞. neg. primam conseq. Ad primam probationem dico, Philosophum ibi per potentiam intelligere promptitudinem seu habilitatem à natura rei inditam ad prompte operandum; non vero potentiam provt distinguitur contra habitum infusum vel ex actibus acquisitum. Ad secundam probat. neg. conseq. quia non magis potentia sumit speciem ab actu, quam actus ab obiecto; sed obiectum actus est substantia, ergo & actus est substantia, est falsa consequentia, ergo & illud vnde sequitur. Item relatio sumit suam speciem à fundamento & termino, quæ aliquando sunt substantia, ergo & illa relatio erit substantia, quod est aperte falsum.

Obiicies

Obiicies *Tertio*, Philoſophus hic c.2. docet animam eſſe actum corporis organici. Et lib. 2. tex.11. docet intellectum non eſſe actum corporis, nec ipſum informare; ſubſumo; ſed hæc ſunt manifeſte contradictoria, ſi anima non diſtinguatur realiter à potentia, ergo ſic diſtinguitur. Probatur ſubſumptum: quæ ſunt eadem realiter, ſi vnum eorum informet ſubiectum, alterum & illud informabit: ℞. neg. ſubſumptum: quia tantum voluit Philoſophus, quòd intellectus ſecundum ſuam præciſam rationem formalem diſtinguatur (de quo in concluſione ſequenti,) & quòd in quantum diſtinguitur, non informet immediate corpus, ſed primò animam, & anima mediante corpus. Vnde in forma ℞. ad probat. Si vnum eorum informet; alterum immediate vel mediate informabit conced. anteced. immediate neg. anteced. & conſeq.

Obiicies *Quarto*, ſubſtantiæ vt in plurimum operantur mediantibus accidentibus realiter diſtinctis: qualiter ignis mediante calore, aqua mediante frigore, ergo idem debet dici de anima in ſuis operationibus: ℞. diſting. anteced. in ſubiecto externo tranſeat in ſe ipſis neg. anteced. Et eodem modo diſting. conſequens de anima; nec ex hoc infertur aliquid contra noſtram ſententiam: cum hic agamus de diſtinctione intellectus & voluntatis, quæ ſunt potentiæ, quibus operatur anima immanenter. Et hic veniunt applicanda fundamenta & rationes quibus 2. Phyſicor. n. 48. probauimus ſubſtantiam eſſe immediate operatiuam.

27. Secunda concluſio, *Potentiæ diſtinguuntur formaliter ab anima & inter ſe*: Ideſt diſtinguuntur tanquam diuerſæ perfectiones animæ inſeparabiles ab ipſa & inter ſe: ſicut riſibilitas & flebilitas diſtinguuntur in homine & inſeparabiles ſunt ab ipſo. Ita Scotus ſupra & eſt communis in eius ſchola, cuius exactior intelligentia præſtabitur in Metaph. vbi de diſtinctione formali ex profeſſo diſputabimus. Interim ſic probatur: quæ habent diuerſas definitiones non ſunt idem formaliter; ſed potentiæ inter ſe & cum anima ſunt tales, ergo &c. ma. eſt certa & mi. probatur: quia anima definitur in ordine ad corpus organicum, & eſſentialiter ordinatur ad dandum ei viuere; potentia autem definitur in ordine ad operationem, ergo habent diuerſas definitiones, atque adeo ſunt formaliter diuerſa.

Dubium.

28. Inquires: *Vnde ſumant potentiæ ſuam ſpecificationem*? Notandum, dubium non eſſe de ſpecificatione formali & intrinſeca: nam hanc omnes concedunt ſumi ex ſuis prædicatis eſſentialibus intrinſecis: qualiter homo ab animalitate & rationalitate ſpecificatur intrinſece; ſed procedere de ſpecificatione extrinſeca: hoc eſt per ordinem ad quæ extrinſeca poſſumus colligere, potentias eſſe talis ſpeciei, & vnam ab altera diſtingui? R. cum communi ſententia, potentias ſpecificari immediate per actus; & quia actus ſpecificantur per obiecta, etiam potentias ſumere mediate ab obiectis ſuam ſpecificationem. Probatur, quia per velle & intelligere diſtinguimus voluntatem & intellectum tanquam per actus proprios. Item per ſonum & colorem tanquam per obiecta & per viſionem & auditionem tanquam per actus diſtinguimus potentiam viſus & auditus. Et in hoc ſenſu recipitur commune proloquium ſumptum ex Ariſtot. 2. de anima: *Potentiæ diſtinguuntur per actus & actus per obiecta.*

Quòd ſi dicas, actus diuerſos procedere ab eadem potentia: vt amorem

rem & odium à voluntate ; visionem & actum credendi ab intellectu Item in diuersa obiecta tendere eamdem potentiam : vt intellectum in sensibile & intelligibile ; & idem obiectum à diuersis potentiis cognosci : vt visibile à visu, sensu communi & intellectu: R. ex Scoto 1. d. 6. num. 3. potentias distingui per actus adæquatos : sic intellectus distinguitur per intelligere, voluntas per velle vt sic, sensus per sentire &c. Quando enim constat aliquem videntem non percipere sonum, bene colligitur aliam esse potentiam, qua sonus percipitur à potentia, qua color percipitur.

Pro cuius vlteriori explicatione nota ex Scoto supra & quodlibet 13. & 2. d. 1. quæst. 6. potentias esse aut omnino disparatas, & tunc habere obiecta diuersa : vt visum & auditum ; aut subordinatas in eodem genere : vt potentiam cognitiuam inferiorem & superiorem scilicet sensitiuam & intellectiuam, & tunc prima obiecta esse suo modo diuersa : quia obiectum inferioris puta sensitiuæ est pars subiectiua obiecti superioris idest intellectus, & sic inadæquate distinguuntur per obiecta ; vel denique esse subordinata in diuerso genere: vt cognitiuam & appetitiuam : puta intellectum & voluntatem, & tunc non ita distingui per obiecta, in quæ tendunt, sed potius per rationes, sub quibus in illa tendunt : quia in quodcumque intellectus, in idem potest libere tendere voluntas, sub diuersa tamen ratione, de quo disp.

DISPVTATIO II.

De potentiis animæ sensitiuæ in communi.

QVÆSTIO I.

Vtrum sensus sit actiuus, an vero pure passiuus?

NOTANDVM *Primo*, sensum diuidi in internum & externum, externus est, qui speciem immediate recipit à sensibili seu obiecto externo in se vel in suo organo, & diuiditur in visum, auditum, gustum, tactum & odoratum. Internus est qui non immediate, sed mediante sensu externo vel eius specie aut actu recipit speciem rei sensibilis. Et diuiditur in sensum communem, phantasiam, memoriam, æstimatiuam &c.

Notandum *Secundo*, duo esse iuxta communiter loquentes, respectu quorum dubitari potest, an sensus sit actiuus, an passiuus? nempe speciem sensibilem & sensationem, quæ posito quòd sint qualitates distinctæ, in hoc generaliter distinguuntur quòd species sit qualitas naturaliter repræsentatiua obiecti, & ab ipso potentiæ vel eius organo impressa ; sensatio vero etiam est qualitas repræsentatiua obiecti, sed ab ipsa potentia sensitiua elicita principaliter & expressa circa obiectum, vnde species expressa vocatur.

1. Præmitto vlterius cum Scoto 1. dub. 3. quæstio. 6. sensationem non esse receptionem speciei sensibilis, sed qualitatem à specie eiusque receptione

receptione realiter distinctam. Est contra Caietan. 2. de Anima contrariam partem cum magna asseueratione & contemtu nostræ tenentem. Probatur, quia ex opposito sequeretur, quod oculus cæcus vel dormientis, si sit apertus, videret, quod est falsum. Respondent aliqui, quod non recipit speciem cum aduertentia, quæ requiritur ad visionem. Sed contra, aduertentia est actus cognitionis, ergo intellectiuæ vel sensitiuæ; non intellectiuæ, quia sensus non intelligit, ergo sensitiuæ & consequenter sensationis. Deinde quia sensatio est actio immanens ex Philosopho 6. Metaph. cap. 4. ergo non consistit in receptione speciei ab obiecto productæ: probatur consequentia, quia vel in sensatione tunc nulla inuenitur actio, sed tantum passio & receptio speciei; vel si sic, non erit immanens sed transiens, idest actio obiecti transeunter agentis in potentiam.

2. Sit Conclusio, *Sensus non est pure passiuus sed est simul actiuus & passiuus respectu sensationis.* Est communis & prior pars constat ex doctrina notabilis. Probatur *secundo*: sensatio est operatio vitalis; ergo producitur à potentia vitali. antecedens patet ex definitione animæ, qua dicitur quod sit principium, quo sentimus. conseq. probatur, quia si ad operationem vitalem sufficeret, potentiam tantum pati & non agere, ergo infusio gratiæ esset actio vitalis. Probatur *tertio*, quia sequeretur quod potentia nutritiua esset perfectior sensitiua; hoc est falsum, ergo, probatur ma. quia agere est perfectius pati, ergo potentia actiua perfectior est passiua; Et mi. probatur: quia alias animæ plantæ esset perfectior anima bruti, haberet namque perfectiones potentias, ergo &c.

3. Obiicies *primo*, sentire est quoddam pati; sed sensus sentit, ergo non agit, sed tantum patitur. ma. colligitur ex Aristot. lib. 3. cap. 4. vbi ait: Intelligere est quoddam pati, ergo & sentire. Respond. neg. primam conseq. licet in rigore, vt aliquid denominetur sentiens vel intelligens, non requiratur, nisi quod in se recipiat talem actum, à quocumque producatur, tamen non inde sequitur, quod subiectum ipsum non eliciat talem actum: quod patet in intellectu, in quo licet intelligere sit pati, intellectio tamen producitur effectiue ab ipso, de quo disp. 5.

4. Obiicies *secundo*, si sensus esset actiuus, semper produceretur visio, saltem quoties applicaretur ipsi obiectum per speciem impressam; sed hoc est falsum: vt patet ex experientia dicta oculi dormientis, in quo aperto recipitur species absque productione visionis, ergo. Respond. neg. ma. quia potentia sensitiua externa præter speciem obiecti requirit etiam concursum spirituum vitalium aut animalium, quorum accessus ad potentiam impeditur per somnum.

Dubium.

Inquires, *An detur sensus agens distinctus realiter aut formaliter à sensu patiente, seu à sensu, qui recipit sensationem & per eam percipit obiectum?* Respond. negatiue: quia nulla est necessitas talis sensus, nec indicium aliquod experientiæ aut rationis, quod detur. Quod si dicas, dari intellectum agentem distinctum saltem formaliter à patiente. Respond. ideo dari, quia necessarium est quod anima possit producere species intelligibiles impressas; sensus autem non debet producere species sensibiles impressas, propterea non datur sensus agens. Sed de hoc disp. 4. q. 1.

QVÆSTIO II.

An dentur species sensibiles; & quænam sit earum causa?

6. QVia species sensibiles dicuntur habere esse intentionale. Nota, esse intentionale sumi dupliciter, *primo* Logice pro prima vel secunda intentione & sic opponitur enti reali. *Secundo*, Physice pro principio seu ratione formali, per quam potentia cognitiua tendit in obiectum, & sic distinguitur contra ens reale physicum. Et in hoc sensu dicuntur species entia intentionalia; sed non ob hoc debent dici entia immaterialia: cum in subiecto materiali & ab efficiente corporeo producantur. Thomistæ immaterialiores & subtiliores vocant species, quam obiecta; sed quæstio est inutilis & de nomine. Difficultas præsens, procedit de speciebus sensibilibus externis, quæ deseruire possunt sensibus externis nempe visui, auditui &c. Et de speciebus internis quæ deseruiunt imaginatiuæ.

7. Sit prima conclusio, *dantur species sensibiles internæ & externæ.* Est communis & probatur *primo* authoritate Philosophi hic lib. 2. vbi docet: quod sicut sigillum aureum imprimit sui similitudinem in cera, non impresso auro, ita coloratum imprimit sui similitudinem seu speciem sensui maxime externo, non impresso ipso colore. Idem docet ibid. tex. 13. de sensu interno dicens: quod abeuntibus sensibus insint imaginationes ipsis sensorijs. Probatur *secundo* de speciebus internis: nam experientia constat, quod homo vel canis habeant in memoria sensitiua notitiam absentium; sed hoc est impossibile sine specie, ergo. Probatur ma. quia canis absentem Dominum quærit, & inuento tamquã agnito blanditur: probatur etiam mi. quia non posset notitiam hominis aliquando visi potius habere, quam nunquam visi, nisi quia remansit aliqua species repræsentatiua vnius & non alterius.

8. Probatur *tertio* de speciebus externis præcipuè quantum ad visum: quia oculus ad visionem vnius obiecti præ alio producendam debet determinari ab obiecto vel immediate concurrente cum ipso, vel mediate, quatenus scilicet producit aliquid aliud, quod determinat potentiam: non enim potest aliter determinari potentia; sed non potest determinari ab obiecto immediate, ergo determinatur mediate & consequenter datur species ad visionem: nam illud mediante quo obiectũ determinatur ad illam, est quod vocatur species impressa. Probatur mi. quia obiectum quod videtur, est semper distans à potentia; sed non potest immediate agere in distans, ergo non potest immediate determinare potentiam distantem. probatur mi. quæ admittitur ab omnibus præter Scotistas, tamen nec vllus ex istis affirmabit obiectum visus habere virtutem sic agendi; quod quidem colligitur ex eo, quod si interponatur aliquod corpus opacum inter ipsum & oculum, non possit determinare oculum; sed certe si posset agere immediate in oculum distantem, non agendo in medium, nulla esset ratio, cur non determinaret ipsum, interposito illo corpore tam bene, quam non interposito; nec concipi potest, quo modo interpositio corporis vllius possit impedire actionem, nisi quatenus actio aut aliqua dispositio ad actionem per ipsum transire deberet, & non posset.

Et confirmatur experientia, qua vnus oculus videt se ipsum & alia quæ sunt retro ipsum in pupilla oculi alte-

alterius;sed ratio huius est,quia species oculi vnius videtur in oculo alterius, ergo &c. mi. constabit inferius.

9. Ratio præfata probat etiam, dari species in auditu & odoratu, vt constat ex distantia magna, qua sonus auditur, & vultures sentiunt odorem cadaueris. Quæ tamen ratio non videtur tenere de gustu & tactu; sicut nec in odoratu etiam, quando exhalationes ipsæ odoriferæ applicarentur ipsi organo sensus. Nec necessaria est intimior coniunctio obiecti cum potentia quam per contiguitatem, qualis habetur in gustu & tactu & in odoratu etiam in casu assignato.

10. Inquires, vtrum hæc vnio sufficiens sit, vt species aut obiectum faciat vnum per se cum potentia, ita vt potentia fiat per identitatem species impressa aut obiectum repræsentatum per ipsam? ℞. negatiue contra Complutenses & communiter Thomistas: Et ratio est quia dato quod potentiæ animæ essent accidentia, non possent species facere vnum per se, nec identificari cum ipsis (multò minus cum sint realiter ipsa substantia animæ, vt constat ex disp. præced.) probatur, quia species inhæret potentiæ & educitur ex ipsius potentia, non minus quã quodcumque aliud accidens inhæret & educitur ex potentia sui subiecti; sed accidens inhærens alteri accidenti non facit vnum per se cum ipso: aliàs albedo faceret vnum per se cum quantitate, ergo &c. Nec refert quod species sit quid intentionale & repræsentatiuum, quo sensu, licet non quatenus accidens est, potest facere vnum per se & identificari cum potentia. Nam contra est, quod sic posset dici, albedinem vt accidens non facere vnum per se cum subiecto, bene tamen vt ens & disgregatiuum visus, quod est absurdum. Item ipsummet esse repræsentatiuum seu intentionale est differentia accidentalis, ergo neque vt talis potest species facere vnum per se cum potentia. Plura vide apud Poncium hic à n. 54.

11. Secunda conclusio, *causa materialis seu subiectum proximum & immediatum specierum sensibilium est organum, non vero ipsa potentia.* Probatur *Primo*, species ex natura sua non petit subiectum vitale, ergo non subiectatur necessario in potentia. Probatur anteced. quia subiectatur in medio, speculo, aliisque non vitalibus. Probatur *Secundo*, species potest manere naturaliter: v. g. species visibilis sublata potentia visiua, & solo organo recte disposito manente, ergo in hoc & non in illa recipitur: probatur anteced. quia casu, quo quis subito occidatur manente organo oculi, in eius pupilla quasi in speculo potest aliquid videri, ergo in ea erit species visibilis, non secus ac in speculo.

12. Sed Obiicies, species est indiuisibilis, ergo non est in organo diuisibili & extenso: probatur anteced. species diffunditur ab obiecto per modum pyramidis, ita vt basis eius sit in re visa & conus id est vertex in oculo; sed pyramis terminatur in puncto, ergo & species quæ est in oculo est indiuisibilis: quia tantum est in puncto oculi. ℞. neg. anteced. quia nulla forma inhærẽs corpori præter animã rationalẽ est indiuisibilis. Ad probat. neg. cons. quia si vere esset pyramis, adhuc esset diuisibilis: cum certum sit pyramidem habere partes. Deinde quia assimilatur pyrãidi in hoc quod incipiat ab obiecto cum quadã latitudine quasi basi, & continuo arctetur per medium donec tandem ad pupillam terminetur in quoddam acumen, non punctuale & mathematicum, sed trinam dimensionem quantitatiuam habens, quanuis proportionaliter minorem.

Dices, si species est sic diuisibilis; ergo

ergo diuiſibilis etiam obiectiue, ita vt vna pars eius repræſentet vnam partem obiecti & non aliam, ex quo ſequitur quod habeat tot partes, quot obiectum, v. g. ingens mons. ℞. conced. primam ſequelam & totum argumentum vſque ad vltimam conſeq. quam nego: Et ratio eſt quia plures partes ſpeciei ſunt in vna parte ſubiecti, imo quælibet pars ſubiecti accipit ſpeciem obiecti & ſingularum eius partium ita vt multò plures ſint partes ſpecierum in oculo, quam entitatis propriæ in obiecto.

13. Tertia concluſio, *ſpecies ſenſibiles externæ producuntur ab obiectis præciſe, ſine concurſu potentiæ.* Probatur *Primo* ex Philoſopho hic, vbi dicit, quod ſenſus patitur à ſenſibili, ſicut cera à ſigillo, ergo potentia non præſtat vllum concurſum effectiuum ad ſpeciem ſicut nec cera ad effigiem impreſſam. Probatur *Secundo*, obiectum ſe ſolo eſt ſufficiens cauſa productiua ſpecierum, ergo non eſt opus alia: probatur antecedens, quia idem obiectum v. g. calor producit ſpeciem eiuſdem rationis in paſſis diuerſæ rationis, vt in ſpeculo, oculo, aëre, & aqua; ergo ſe ſolo: quia aliàs diuerſitas concauſæ faceret effectum aliquando diuerſæ rationis. Probatur *Tertio* obiectum ſe ſolo producit alios effectus in potentiis, ergo & ſpecies: probatur anteced. quia producit paſſiones doloris, triſtitiæ &c. ad quas ſubiectum non concurrit effectiue: cum ſint contra eius inclinationem, ergo &c.

14. Inquires, *vtrum omnes ſpecies quæ multiplicantur in medio aut potentia producantur immediate ab obiecto; vel quædam aliis mediantibus?* Reſpondeo *Primo*, vnam ſpeciem externam produci ab alia: probatur, quia ſpecies vitri colorati videtur in pariete ad radios ſolis, ergo producit ſui ſpeciem in oculo: antecedens patet experientia; item & quando homo videt ſui ſpeciem in ſpeculo, vbi ſpecies, quæ eſt in ſpeculo, producit aliam in oculo: conſeq. probatur quia nihil poteſt videri, niſi producat ſui ſpeciem, aliàs ſi vnum poſſet videri, non producendo ſui ſpeciem, ergo & quodlibet & ſic non dabitur ſpecies viſibilis in viſu.

15. Reſpondent aliqui, non videri ſpeciem in ſpeculo vel pariete, ſed ipſum obiectum vtrobique, à quo etiam ſpecies, quæ eſt in oculo, producitur, actione reflexa: quia per ſpeculum impeditur transfundere ſpeciem vlterius, ideoque vlterius producendam producit in oculo. Sed contra quia ſpecies hominis eſt in ſpeculo, vt omnes concedunt, ergo ipſa eſt quæ videtur & producit ſui ſpeciem in oculo: probatur conſeq. qui vnus videt ſe ſimul in quinque ſpeculis ſiue partibus diſcontinuis eiuſdem ſpeculi, ergo ſi in iſtis ſunt quinque ſpecies, illæ ſpecies ſunt quæ videtur, quia quinque videntur; ſed non homines, ergo ſpecies.

16. Obiicies *Primo*, ſi vna ſpecies produceret aliam ergo obiectũ exiſtens extra cubiculum, videbitur in quolibet angulo cubiculi; Hoc eſt falſum, ergo. Probatur ſequela quia ſi vna ſpecies producit aliam, eodem modo ipſam producet, quo ipſa eſt producta ab obiecto; ſed obiectum producit ſui ſpeciem verſus omnem differentiam loci: cum ab omni parte medij videatur, ergo ſpecies ſic producta producet aliam verſus omnem differentiam loci, ergo vlterius ſpecies per lineam rectam producta ab obiecto intra cubiculum producet aliam in qualibet eius parte & cõſequenter in oculo exiſtente in angulo. ℞. neg. ma. ad probat. diſt. mi. ſecundum eamdẽ ſui partem & lineam tam rectam quam transverſalem neg. mi. ſecundum, diuerſas ſui partes,

&

& lineam rectam conced. mi. eodem modo dico, quod species multiplicatur secundum lineam rectam; Et hinc neq.conseq vltimas quia sic produceret per lineas transversales.Quia ergo obiectum non impeditur propter hostium apertum, ne agat linea recta, impeditur vero à pariete, ne agat in angulos, producitur species per hostium linea recta, non tamen in angulis.

Obiicies *Secundo*, omnis species externa dependet in conseruari immediate ab obiecto, & nulla dependet in conseruari ab alia, ergo in fieri dependet solum ab obiecto, & non ab alia: probatur anteced. quia species in organo manet pereunte specie in medio, & obiecto manente, ergo non dependet ab illa, sed ab obiecto probatur hoc anteced. quia manet species in speculo inuariata sublata specie in medio: Vt quando aer intermedius per ventum aufertur: ℞.neg.anteced. variatis enim speciebus in medio, aliæ & aliæ succedunt imperceptibiliter in speculo, quæ producuntur ab obiecto, alijs & alijs speciebus mediantibus succedentibus.

17 Dices *primo*, sensus iudicat & apprehendit ibi esse vnicam speciem in speculo ante & post motionem aeris; ergo non sunt diuersæ: ℞. neg. conseq. quia etiam iudicat sensus, vnam numero speciem hominis moueri in speculo, dum quis. v. g. ante speculum mouetur hinc inde; quod tamen est falsum: quia idem accidens non transit naturaliter ab vna parte subiecti ad aliam.

Dices: *Secundo*, Non datur transitus naturaliter inter plures formas eiusdem speciei in eodem subiecto, ergo: ℞. dist. anteced. inter plures formas intentionales, nego; alias, concedo.

18. Respondeo & Dico *Secundo* ad Quæsitum: *Species omnes quæ linea recta multiplicantur in medio & potentia produci immediate ab obiecto.* Est sententia nostri Poncij hic n. 75. contra Arriagam asserentem, quod ab obiecto immediate producantur species in parte medij obiecto immediata & ab illis speciebus aliæ species, & sic deinceps donec perueniatur ad potentiam. Ratio assertionis est quia tales species omnes in instanti producuntur, & dependent in fieri & conseruari & obiecto, ergo quanuis propter experientias aliquas, quæ haberentur de speciebus soni, colligeretur quod non producantur instantaneè, & quod existant, non existente ipso sono, & consequenter quod non producerentur à sono immediate; non tamen idem deberet dici de speciebus potentiæ visiuæ precipue linea recta mediantibus.

19 Dixi *Linea recta mediantibus*: quia species quæ inter speculum & oculum mediant, sicut & quæ inter colores in pariete ad radios Solis per vitrum transeuntes apparentes & oculum mediant, non ab ipso obiecto, sed à specciebus ipsis in speculo & pariete apparentibus producuntur: Nec assignabilis videtur ratio disparitatis inter has duas experientias, qualem intendit assignare Poncius hic n. 68. nam sicut species coloris in pariete apparentis videtur per species directas, ita similiter species corporis colorati in speculo apparens, ergo sicut ob istam rationem ibi species coloris, non ipse color videtur, atque species in ibi reflexæ à specie coloris, non ab ipso colore producuntur; ita hic species corporis colorati non ipse color videtur atque adeo & species hic reflexæ non ab ipso colore, sed à specie eius in speculo apparente, producun-

tur: nam quod species in superficie parietis appareat, non vero in superficie speculi; sed intra illud, per accidens se habet ad immissionẽ directam specierum vtrobique, ergo quoad intentum eadem ratio est in vtraque experientia. Nec contrarium tenet Scotus 2. d. 13. n. 4. & 4. d. 10. q. 9. in fine citatus à Poncio: nam priori loco dubitatiue loquitur: *forte* (inquit) *immediate gignuntur ab ea, loquendo de immediatione ad causam, non excludendo ordinem effectum ordinatorum respectu eiusdem causæ.* Et in posteriori licet loquatur etiam de immediatione in ratione causæ; Quia tamen Scotus his in locis de re longe diuersa agat, & non nisi obiter & ob respondendum ad argumenta, de hac materia loquatur non est multum insistendum auctoritati: præcipue cum ratio præfata, quæ videtur clara, stet in contrarium.

20. Quarta conclusio, *Species interna impressa producitur à sensatione externa.* Est sententia Poncij hic n. 84. contra Suar. & Cauellum. Probatur quia potentia interna percipit sensationem externam. ergo hæc producit speciem impressam internam, qua mediante percipi possit; sed eo ipso quo producit illam speciem producit speciem internam, qua percipi possit obiectum istius sensationis: non enim sensatio percipi potest, nisi percepto obiecto, ergo. probatur primum anteced. nam potentia interna potest cognoscere differentiam inter disgregationem visus, quæ fit per albedinem & congregationem, quæ fit per nigredinem: alias certe intellectus non posset illas cognoscere: nec enim alia cognitione quàm experimentali percipit differentiam istarum sensationum: nihil autẽ potest per experientiã cognoscere pro hoc statu, quod nõ proponitur à sensu aliquo interno, ergo si potentia interna percipit sensationem externam: cum hoc fieri debeat mediante specie, hæc procul dubio producitur ab ipsa sensatione.

Dices, species interna non debet repræsentare nisi illud à quo producitur; sed per nos non producitur ab obiecto, sed à sensatione externa præcise, ergo non repræsentabit ipsum obiectum, quod est falsum. ℞. neg. anteced. nam debet etiam repræsentare illud, sine quo non posset repræsentare illud à quo producitur: Quale est obiectum respectu sensationis.

21. Obiicies *primo*, sæpe habetur sensatio, quando non habetur species interna, ergo non producitur species interna à sensatione. probatur anteced. In casu quo nimis ocuparetur internæ potentiæ in consideratione alicuius obiecti: tunc enim nõ recipiuntur species aliorum obiectorum perceptorum à sensibus externis: Resp. *primo* neg. conseq. quia intercederet, aliquod impedimentum, nempe defectus spiritus animalis in parte vicina prope sensationem, in qua deberet produci species interna, ne daretur actio in distans in hoc proposito: Vel ℞. *Secundo* neg. anteced. quia in illo casu licet non posset potentia interna sic occupata percipere obiectum illius speciei, posset tamen bene recipere illam speciem, & illa vti in alijs occasionibus.

22 Obiicies *secundo*, Sensatio v. g. pedis est nimis remota à potentia interna, ergo nequit producere speciem in illa. Rep. dist. conseq. non potest immediate concedo; mediate., nego. Producit igitur illa sensatio speciem in spiritu vitali aut aliquo alio sibi applicato, & sic successiue doneç perueniatur ad potentiam internam.

QVESTIO.

QVÆSTIO III.

An dentur quinque sensibilia communia, & vtrum propriam speciem sensibus imprimant?

23. NOta sensibile esse quod potest percipi per sensum, & ipsam sensibilitatem esse ordinem aptitudinalem ipsius ad sensum, quem ordiné dicit non tantum vt est productiuum speciei sensibilis, sed etiam vt est terminatiuũ sensationis seu actus à quo percipitur; imo hic ordo multo magis pertinet ad ipsũ, qua sensibile est quam alter ordo: quia ab hoc solo haberet esse sensibile sine illo, & ab illo nõ haberet esse sẽsibile sine hoc: aliàs Deus esset sẽsibilis: quia potest producere speciem impressam obiecti sensibilis. Sensibile per sensum externũ est duplex proprium & commune; *sensibile proprium est* quod ab vno solo sensu percipi potest, & est quintuplex, sonus est obiectum auditus, sapor gustus odor olfactus, qualitates primæ tactus, color & lux visus. *Sensibile commune est* (si tale detur) quod à pluribus sensibus externis potest percipi: vt magnitudo à visu & tactu. Nonnulli dubitant, An detur vllum sensibile commune vt distinctum à proprio; sed quia communiter Peripatetici cum Philosopho quinque talia ponunt.

24. Sit prima conclusio, *dantur quinque sensibilia communia & non plura: nẽpe numerus, motus, quies, figura & magnitudo.* Ita Peripatetici cum Philosopho contra Galenum & medicos. Probatur quodlibet ex his est perceptibile à pluribus sensibus externis, & nullum aliud præter hæc, ergo: probatur prima pars antecedentis: quia numerus ab omnibus sensibus, motus & quies à visu, auditu & tactu, figura & magnitudo à tactu, & visu percipiuntur. Secunda pars antecedentis constat ex eo quod vnitas, quam Philosophus vocat sensibile, reducitur ad numerum; obtusum, acutum, asperum & lene; item curvum & rectum reducuntur ad figuram; tempus reducitur ad motum; distantia & situs ad magnitudinem.

25. Et nota per *numerum* non intelligi hic numerum numerantem vel numeratum formaliter: quia sic inuoluit respectum ordinis prioris & posterioris, qui non percipitur à sensu; sed intelligi ipsas vnitates seu entitates discretas rerum: sic oculus percipit plures colores. Similiter per *motum* non intelligitur ratio, formalis eius, quæ forte in respectu consistit; sed tantum materiale seu subiectum in quantum transit ab vno vbi ad aliud; similiter etiam per *quietem* non intelligitur priuatio motus, sed stabilitas & permanentia in suo esse & loco. Ex his (meo iudicio) sequitur, quod nullum sensibile ex prædictis in quantum sentitur ab aliquo sensu, sit distinctum à proprio sensibili eiusdem: nam si visus percipiendo numerum, tantùm percipiat entitates discretas, certum videtur quod non alias entitates percipiat, quam coloris & luminis, nec olfactus alias quam odoris. Similiter si visus non percipiat rationes formales motus & quietis, sed ipsam rem, quam dicimus moueri vel quiescere, prout est sub ratione formali motus & quietis, clarum videtur, quod nihil aliud percipiat quam colorem & lumen. Et idem dicendum de aliis sensibilibus communibus. Vnde, quando dicitur visus vel tactus percipere figuram intelligẽdum est de re figurata. Et quando oculus videt magnitudinẽ seu extensionem non videt extensionem propriam quantitatis, vt distinguitur realiter à qualitate,

tate, sed tantum extensionem coloris vel luminis. Ex quibus habetur iam.

26. Secunda conclusio, *sensibilia communia non imprimunt species proprias, sed per species sensibilium propriorū modificatas proportionabiliter, ad modum quo sensibilia propria modificantur à sensibilibus communibus, percipiuntur.* Est communis & constat ex dictis, de qua videndus Poncius hic quæst. 9. vbi rationes Thomistar. pro ea optime infirmat.

Dubium 1.

27. Inquires *Primo: vtrum sensus decipi posset circa sensibile proprium?* Respondeo sensum decipi & errare posse circa proprium obiectum in particulari. Ita Philosophus lib. 3. cap. 3. Et probatur experientia, qua oculus diu aspiciens colorem intense rubrum, & postea vertens se ad aliud, repræsentat illud aliud vt rubrum; sed rubrum non est in illo loco, ergo. *Secundo* oculus aspiciens intensum lumen solis & conuertens se ad tenebras, videt ibi quasi lumen; Item conuertens se à candore niuis intenso ad aliud obiectum in se non album, non videt nisi album. Et denique constat ex apprehensione visus de luce aut lumine, quod est in illa parte aëris, vbi cernitur Iris per modum colorum variorum; cum tamen re vera illa lux non sit color, nec includat colores, & propterea tunc dicitur videre colores apparentes.

Nota tamen quod error vel deceptio hæc aliquando contingit ratione organi vitiati, vt si in organo linguæ ægroti existat humor amarus, tunc lingua percipit cibos amaros; oculus vitiatus humore flegmatico videt omnia cærulea. Aliquando contingit ratione obiecti nimis distantis: sic quadratum nimis distans apparet rotundum. Aliquando ratione situs & reflexionis specierum, vt quando res specie reflexâ repræsentatur in situ opposito: sic turris iuxta aquam apparet immersa, sicut & animalia iuxta fluuium ambulantia. Aliquando etiam contingit ratione medij indispositi: sic sol videtur ruber manè propter vapores diuersos interpositos.

Dubium 2.

28. Inquires *Secundo: An & quo modo sensibile excellens lædat sensum?* Pro responsione Nota *Primo*, obiectum sensus posse duplicem exercere actionem, vnam intentionalem, qua producit sui speciem; aliam realem, qua producit aliquam aliam qualitatem: puta calorem vel frigus. Nota *Secundo*, organum esse corpus mixtum habens temperiem plurium qualitatum, qua turbata organum dicitur lædi, & non agere consueto modo. Nunc Respondeo & dico *Primo*, *sensum lædi actione tam intentionali, quam reali excellentis sensibilis.* Hæc posterior pars est certa: nam constat in temperie organi visus, quæ soluitur & turbatur ab igne præsente & calorem in illo producente. Et prior. probatur etiam: nam multa obiecta, quæ tantùm intentionaliter agunt, lædunt sensum, ergo &c. probatur anteced. excellens albedo lædit sensum sed tantum intentionalitur agit, quia colores non habent actiones reales, & patet etiam, quia ingens fragor lædit auditum, & tamen solum intentionaliter agit. Nec obstat si dicas cum Poncio, speciem impressam non sentiri à sensu, nec ob ipsam tolli à sensu vllam qualitatem ex qualitatibus connaturalibus eius cum non habeat vllam incompatibilitatem cum vlla ex illis. Non obstat: Et in primis falsum est, speciem non sentiri à sensu, siquidem intime applicatur & inhæret ipsi organo. Deinde licet species non expelleret vllam qualitatem organi, quia

quia cum nulla est incompatibilis, tamen ad ipsum lædendum, sufficit quod turbet acrmoniam temperiei eius, quod quidem experientia constat fieri à sensibili solum intentionaliter agente: vt patet in nimio fragore turbante auditum. vide Conimbricens. 2. de Cælo. cap. 7. q. 5.

29 Dico *secundo*, *sensibile excellens sola actione intentionali potest infligere dolorem appetitui sensitiuo.* Pro intelligentia conclusionis Nota, dolorem esse passionem consequentem actum sensationis circa obiectum disconueniens sensui; sicut delectationem esse passionem consequentem sensationem circa obiectũ conueniens. Probatur sic: quia excellens sensibile non actiuum actione reali sæpe imprimit dolorem: quod constat in intensa albedine respectu visus, ergo sola actione intẽtionali imprimitur dolor. Plura vide apud Coninbricens. supra.

DISPVTATIO III.

De Sensibus externis, & internis in particulari.

QVAESTIO. I.

Qualesit organum; Et quodnam obiectum potentiæ visiuæ?

1. PER organum seu sensorium potentiæ visiuæ intelligitur pas illa oculi, quæ est subiectum, in quo anima existens, vel potius compositum ex vtroque, exercet actũ sensationis. Vt autẽ decernatur, quænã hæc pars sit? Notandum, oculi structurã constera tribus humoribus, quinque tunicis, septem musculis, & duobus neruis. Primus humor dicitur *crystallinus*: quia perlucidus & instar crystalli trãsparens & vocatur pupilla oculi, eumque ambit quædam tunica splendida & tenuis, quæ propter splendorem *specularis* & propter tenuitatem *aranea* dicitur, quasi similis telæ aranearum. Secundus humor dicitur *vitreus* eique est immersus, ita tamen vt media eius pars supereemineat, non secus ac globus igneus in aqua. Hunc secundũ humorem secunda tunica ambit *reticularis* dicta: quia multum venis intexta formam retis habet. Subsequitur deinde reticulam simul & præcedentẽ humorem circumuestiens alia tunica dicta *vuea* quasi similis pelliculæ vuæ nigræ, & aliter nigrum oculi dicitur, & adumbrat excellens lumen, ne oculo noceat; attamen hæc tunica non ambit oculum ex toto: quia relinquit foramen sensationi deseruiens: nam illud occupat pupilla. Sequitur tertius humor, qui *aqueus* vel *albigineus* dicitur, quasi similis albo oui, & hunc ambit quarta tunica dicta *cornea* quasi similis laminæ corneæ: idest diaphana seu transparens totumque ambiens oculum: Hæc tunica habet diuersos colores in diuersis hominibus vnde aliqui habent oculos albos, cæsios, nigros &c. Quinta demum tunica superadditur, quæ pene totum oculum ambit, relicto tamen foramine ante pupillam propter sensantionem vt supra. Oculi ergo globus sic constitutus connectitur septem ligamentis, qui musculi dicuntur, quibus oculus sustinetur & forte in omnem partem mouetur. Postea sunt duo nerui *optici* idest *visorij*; hi à duobus oculis ad cerebrum in modum crucis decussatæ protenduntur, ita vt qui est in sinistro oculo tendat ad partem dexteram cerebri & è contra? Et per hos trans-

funduntur ſpecies ad ſenſus internos, & ſpecies aliæ à cerebro ad oculos. Hæc ex anatome delibaſſe ſufficiat: notatu enim digna ſunt, in quibus adeo mirabiliter operatur natura.

2. Sit ergo prima concluſio, *Organum viſus eſt pupilla oculi.* Eſt communis & probatur: quia pupilla eſt perfectior & nobilior alijs partibus oculi, ergo in ea perfectiſſima operatio oculi elicitur. Deinde quia in ea ſunt ſpecies viſibiles, ergo eſt organum viſus: anteced. patet. *primo* quia eſt magis diaphana. *ſecundo*: nam experientia conſtat, ſpecies in ea videri, vel obiectum mediante ſpecie in ipſa exiſtente, vt nonnulli dicunt, ergo &c.

3. Petes, *Cur obiectum non appareat duplex?* Pro ſolutione nota, quod viſio fiat per ſpecies in modũ pyramidis (vt ſupra diximus) cuius baſis eſt in obiecto & conus ſeu punctum in centro oculi; in medio autem pyramidis eſt vna linea ab oculo ad obiectum rectè tendens, quæ dicitur axis; vnde licet ſpecies viſuales per duplicem pyramidem ad duos oculos terminentur, tamen cum axis vterque ab obiecto ſecundum idem punctum in vtrumque oculum protendatur, obiectum apparet ſimplex; quod autem aliquando res appareat duplex, dicunt aliqui, ideo fieri, quia vnus oculus magis eleuetur verſus cerebrum, vel retrahatur ab illo, quam alter.

4. Circa ſecundam partem quæſtionis, quandoquidem aſſignetur communiter pro obiecto viſus color ſimul cum luce & lumine, præmittere oportet quid quodlibet ex iſtis ſit? Et qualiter inter ſe diſtinguantur? *Eſt igitur lumen ſpecies intentionalis lucis.* ita Scotus 2. d. 13. cum ſuis contra Thomiſtas & alios. Probatur *primo*: quia obiectum ſenſibile, quod tantum eſt res videlicet qualitas vtcumque & non ſpecies intentionalis, poſitum ſupra ſenſum impedit ſenſationem; ſed lumẽ poſitum ſupra oculum non impedit, ergo eſt ſpecies intentionalis. ma. patet experientia; nam coloratum poſitum ſupra oculum impedit viſionem. mi. etiam probatur, quia lumen quod eſt in aere ambiente oculum, non impedit viſionem, ergo &c. *Secundo* probatur, quia ex Ariſtot. 2. de anima, lux eſt per ſe ſenſibilis; ſed non habet aliam ſpeciem à lumine, ergo. Et Confirmatur, quia durat tantum in præſentia lucidi, contrario vacat, & ſtat cum alio lumine, quæ omnia ſunt propria ſpecierum.

5. Deinde dicendum eſt cum Ariſtot. & communi contra Platonem in Timeo, lumen & colorem eſſe diuerſæ rationis, quod intelligendum eſt non de colore apparenti, de quo ſtatim, ſed de colore vero & ſenſibili, qui ſcilicet ſemper ad quamcumque illuminationem lucis in eadem diſtantia apparet idem: probatur, quia lumen, vt dixi, non habet contrarium: ſiquiden recipitur in cælo, vbi non ſunt vlla accidentia contraria; color vero ſic, ergo diſtinguuntur. Item quia lumen dependet in conſeruari à cauſa, à qua producitur, vt omnes concedunt & experientia conſtat; color vero non: nam ijdem colores qui fuerunt in pariete heri, ſunt hodie, ergo &c.

6. Sed pro exactiori huius rei intelligentia, Aduerte *primo*, corpus perſpicuum eſſe duplex, vnum eſt quod ſecundum totam ſuam ſuperficiem & profunditatem eſt perſpicuum, id eſt habet lumen vel lucem, vnde & diaphanum ſeu tranſparens dicitur; aliud eſt ſecundum quid perſpicuum, quod tantum ſecundum extremam ſuperficiẽ perſpicitur, vt lignum, lapis, aurum & pleraque mixta, & dicuntur terminata ſeu opaca. Diaphana iterum ſunt duplicia,

plicia, quædam namque habent lucem mixtam; vt sol, ignis, oculi felium &c. quædam habent lumen ab extrinseco, vt aqua, aër, vitrum &c. Aduerte *Secundo*, colorem esse duplicem verum scilicet & apparentem, verus est qui ex diuersa qualitatum primarum mixtione oritur, ideoque in cœlo & in elementis puris non reperitur. Apparens est lumen vel species lucis vel coloris vt color iridis & qui apparet in plumis pauonum & collo columbæ, variaturque ad radios Solis.

7. Ex his colligo *Primo*, quomodo duplex definitio coloris intelligatur, quarum prima est: *Color est extremum perspicui in corpore terminato*. Quod sic intelligitur: Color est qualitas realis visibilis existens in vltima superficie corpori opaco intrinseca: itaque color ibi definitur in ordine ad visum, prout scilicet ab eo percipitur, quia ab ipso tantum cognoscitur in extrema superficie colorati, esto sit etiam tale per totam profunditatem. Secunda definitio est: *Color est quod mouet perspicuum actu*, quam definitionem sic intelliges; color est qualitas realis, quæ producit sui speciem in corpore transparente actu illuminato, quod necessario præsupponit in ordine ad talem productionem: nam ipse color non constituit medium lucidum aut luminosum.

8. Colligo *Secundo*, hanc definitionem luminis: *Lumen est actus perspicui vt perspicuum est*, ita debere intelligi: lumen est actus quo corpus diaphanum fit perspicuum seu luminosum; sed addi debet, quod talem effectum præstet independenter ab aliena qualitate, quæ non sit species intentionalis ipsius corporis diaphani quod fieri potest perspicuum, hoc est quod potest videri. Eadem ratio est de luce quantum ad hoc.

9. Sit secunda conclusio, *Sub obiecto per se proprio & adæquato visus continentur lux, lumen & color, imo & singulorum species*. Probatur, quod secundum propriam entitatem terminat visionem, continetur sub obiecto per se visus; sed quodlibet ex istis est tale, ergo mi. de luce & lumine est communis; quantum ad calorem probatur, oculus simul videt albedinem & nigredinem, ergo per propriam vtriusque visionem ad vtriusque entitatem terminatam: probatur, quia visio oculi tunc terminatur ad qualitates contrarias; sed lumina non sunt tales: quia sunt in omnibus semper eiusdem rationis, ergo &c. Secunda pars conclusionis de speciebus istorum probatur: quia species lucis est lumen primarium, & huius lumen secundarium; vtrumque autem horum videtur iuxta communem: vt constat in specie coloris, quæ videtur in speculo, & etiam in pariete, dum apponitur vitrum coloratum, vel herba viridis ad radios Solis: iuxta dicta disp. præced. ergo &c.

Sed obiicies, color non potest videri sine lumine, ergo non videtur per se, sed per accidens & gratia luminis: ℞. neg. conseq. sed tantum sequitur quòd indigeat concursu actiuo luminis, quod non obstat, quominus ipse color immediate & per suam propriam entitatem & producat speciem sui, & terminet visionem. Ex hoc,

10. Petes, an lumen ita prærequiratur, ad hoc vt color videatur, vt debeat esse in obiecto colorato præcise, an in toto medio, an etiam in ipso oculo? ℞. quòd in singulis requiratur saltem secundarium. Quod colligo ex Scoto 2. d. 13. num. 3. & ex parte obiecti patet experientia, qua constat, cum noctu videmus lucida, eas partes rei visæ luce destitutas non videri; ex parte vero medij probatur

à priori, ideo ad visionem requiritur medium extrinsecum: quia scilicet color non videtur nisi in lumine, ergo vt videatur requiritur medium illuminatum. Et confirmatur ex Aristot. 2. de anima, vbi ait, obiectum vt videatur, oportet prius alterare medium actu illustratum. Quod denique requiratur etiam ex parte organi, probatur, quia organum est perspicuum, ergo cum lumen sit actus perspicui ex eodem Arist. non poterit sine eo species coloris in organo recipi, sicut nec in medio.

11. Sed contra obiicies *Primo*: quia experientia constat, eos qui in tenebris sunt, videre obiectum remotum illustratum, esto nec in organo nec in medio sit lumen: ℞. aliquam illuminationem etsi exiguam tunc ad oculum effundi etsi non appareat: alioquin vt probauimus visibile positum supra visum videretur.

12. Obiicies *Secundo*, si lumen in medio requireretur, quo remissius in eo esset, eo imperfectius videretur obiectum; sed hoc est contra experientiam, quia modo non minuatur lumen in obiecto, non erit imperfectior eius visio, etiamsi minuatur in medio: vt quando videmus è loco tenebroso rem lucidam: ℞. *Primo* vel neg. experientiam, vel si admittatur, Dico *Secundo* ideo remissione luminis in medio non remitti visionem obiecti: quia tunc defectu illustrationis in medio non tendit visus in alia obiecta. Et ex hoc capite fortificatur circa obiectum illustratum: quia circa alia obiecta impeditur ab actu: ***nam pluribus intentus minor est ad singula sensus.***

Sed contra instabis, ergo cum nocte videtur distans, viderentur etiam quæ sunt in medio. Quod si dicatur, lumen in medio esse valde remissum, & ideo non sufficere. Contra quia sufficit vt species coloris distantis producatur, ergo à fortiori vt species propinquorum colorum, ergo &c. ℞. colorem distantem producere sui speciem, quia habet lumen proportionatum, quod non habetur in propinquioribus coloribus, & ideo non effundunt species, quibus videantur.

QVÆSTIO II.

Quale sit organum, & quodnam obiectum auditus?

13. QVemadmodum in oculo sic in aure plura reperiuntur, de quibus dubitari potest quodnam sit organum auditus? Pro quo notandum, ideo aures tot flexibus obliquis instar conchæ constare, vt aër commotione agitatus in earum anfractibus refringatur, ne sensorium seu organum sensus lædat aut cerebrum; & quia flexiua illa figura valde apta est ad sonos excipiendos. Insuper mira naturæ prouidentia earum cauitatem viscoso humore ex illarum partium recrementis coalito inficit, vt si quæ bestiola vel aliud quid noxium irruperit, quasi in visco inhærescat & capiatur. Porro in fine aurium exstat membrana quædam (quæ tympanum auditus dicitur) quæ cauitatis orbicularem quamdam partem transuersim complectitur, eamdemque stabiliunt tria ossicula. Intra ipsam congenitus quidam aër seruatur, quæ est substantia quædam aërea: hoc est, similis aëri, sed animata; cohibetur autē prædicta substantia aërea neruo cartilagine pelliculata tanquam vallo: quia alioqui deflueret, aut saltem vehementibus fragoribus dissiparetur. Postremo sicut oculi in neruos opticos seu visorios desinunt, sic tympanum auditus neruo cuidā affixū est

est è cerebro descendenti, per quem spiritus animales ad tympanum inuehuntur, & sonorum species ad sensum communẽ transeunt. Hæc similiter ex anatomes experimẽtis accepta pro nostro instituto vt cõperta proponimus.

14. Sit prima conclusio, *organum auditus est aer congenitus siue inædificatus auribus, quem membrana inclusum esse diximus*. Est communis cum Philosopho 2. de partibus animalium cap. 10. tex. 83. vbi docuit oportere huiusmodi aerem immobilem ac tranquillum esse, vt externos sonos percipiat, omnesque earum differentias exacte cognoscat. Aristot. sequitur Galenus lib. de vsu partium cap. 6. vbi dicit: Quod alteratur non à quouis sensibili omne sensorium, sed splendidum quidem ac lucidum à coloribus, aereum à sonis, vaporosum ab odoribus, & vt in summa dicam simile à sibi simili & familiari. Et probatur hac ratione eiusdem Galeni: Sensiterium tale esse debet, vt à proprio obiecto affici possit, eius in se imagines recipiẽdo; sed eiusmodi est aer insitus auribus: nam sicut id quod potissimum recipit ac transvehit sonos, est elementum aeris, ita ad eosdem secundum esse notionale suscipiẽdos maxime idoneus est prædictus aer nobis cõgenitus, proindeque par est, in eo audiẽdi organũ cõstituere.

15. Secunda conclusio, *Sonus est obiectum adæquatum auditus*. Probatur quia sonus est sensibile proprium auditus, quod à nullo alio sensu percipi potest. Propterea definitur à Conimbricensib. Quod sit qualitas illa sensibilis, quæ auditu percipi potest. Solet autem amplius explicari dicendo: quod sit quædam qualitas sensibilis proueniens ex violenta collisione vel diuisione duorum corporum. Qui quidem ab ea parte, qua incipit, multiplicatur solum intentionaliter, id est multiplicat sui species ad determinatam distantiam vsque ad aures, non tamen multiplicat se realiter.

16. Diuiditur *primo* Sonus in vocem & non vocem *secundo* in directum & reflexum. ita communis & experientia constat. Circa primam diuisionem Aduerte, vocem edi tantum ab animalibus pulmonem habentibus, cuius causa est anima, & ad hoc habet plurima instrumenta, de quibus pulchre Galenus lib. de vocal. instrumentor. dissectione. Reliqui soni, qui non efficiuntur hisce instrumentis ab animalibus, non dicuntur voces. Secunda diuisio sic explicatur, sonus rectus est qui per rectas lineas orbiculatim diffunditur, instar circulorum, quos efficit lapis in aquam proiectus; reflexus autem fit, quando rectus incurrit in corpus solidum concauum, à quo tamquam pila resilit ad aures, Et talis dicitur *Echo*.

De medio, per quod diffunditur Sonus, omnes communiter affirmant, esse aerem, quod & patet experientia Arist. hic. lib. 2. tex. 79. vbi. D. Thom. Caiet. Ægidius & alij affirmant, aquam esse etiam medium Soni: de quo videndi Conimbricens. ibid. cap. 7. q. 2. art. 1. & Arriaga. disp. 5. n. 45.

QVÆSTIO. III.

Quale sit organum; Et Quodnam obiectum olfactus?

17. Nota ex anatomistis, duos canales ex cerebro procedere, per quos aer ad cerebrum attrahitur, & humores ac excrementa ex cerebro ad nasum defluant. Et per eosdem descendere quosdam neruos vsque ad nares. Canales autem isti procedunt vsque ad os quoddam bipartitum, quod præter duo foramina his canalibus

correſpondentia habet plura alia minora, vnde os ſpógioſum dicitur & exiſtit iuxta concauitatem oculorum. In huius oſſis extremitate eminent duæ partes carnoſæ, quæ ob ſimilitudinem cum mamillis carunculæ & tuberculæ mamillares dicuntur & ſunt in extremitate vel ſuperiori parte narium, & exinde exurgunt duo foramina, quæ ad fauces deſcendunt, & alia duo ſubtiliora quadam lamina diſtincta quæ naſum conſtituunt. Propter hæc duo vel quatuor foramina fit, quod quis per attractionem ſordes narium per os deiiciat; Et ſi in gutture fiat turbatio, quod cibus, & potus per os miſſi redeant per nares; Et hinc etiam aliqui dicuntur loqui per nares, dum pars vocis formatæ per narium foramina dimittitur.

His notatis,

18. Sit prima concluſio, *organum olfactus ſunt prædicta carunculæ mamillares.* Eſt communis & eius ratio eſt, quia nihil aliud ex prædictis, quæ integrant naſum & nares, conuenientius aſſignari poteſt, ergo &c.

19. Secunda concluſio, *obiectum olfactus eſt odor*: Patet, quia eſt ſenſibile eius proprium, & à nulla alia potentia externa percipitur. Eſt autem odor qualitas ſenſibilis orta ex temperie primarum qualitatum, maxime vbi ſiccum vincit humidum, & calor dominatur, vnde nunquam in puris elementis ſed in mixtis ex ipſis reperitur.

20. Inquires, quodnam eſt medium olfactus? Ad quod reſpond. cum Ariſtot. hic tex. 67. & experientia, eſſe aerem & aquam, de aere patet, de aqua etiam probatur ex eo quod piſces noctu mouentur ad alimentum diſtans. Quod ſi dubitaueris, quo modo diffundatur odor per hoc medium? Dico quod duplici modo & ſecundum eſſe reale & ſecundum eſſe intentionale. *Primum* patet, quia amoto odorabili manet odor, & ſpecies manere nequeunt abſente obiecto. *Secundum* etiam patet, tum quia odoratio per aquam, certum videtur, quod fiat ſolum per ſpecies: cum ibi non poſſit transfundi exhalatio propter frigidum & humidum; tum etiam quia ad tantam diſtantiam nequeunt emitti vapores. Habet ergo odorabile certam ſphæram, intra quam ſe realiter multiplicat, & ibi ac vltra ſpecies diffundit.

QVÆSTIO IV.

Qualia ſint organa; & quænam obiecta guſtus & tactus?

NOta *primo*, omnes ſenſus præter guſtum & tactum poſſe ſua obiecta percipere per medium extrinſecum, ſecus vero guſtum & tactum vt iam videbimus. Nota *ſecundo*, à cerebro ad linguam duos neruos deriuari, qui per medium linguæ vſque ad extremitatem per plures minores neruos diffunduntur; Et ex alia parte per palatum diſtenduntur.

21. Sit prima Concluſio, *Organum guſtus ſunt prædicti nerui; & obiectum eius eſt ſapor.* Probatur *primum* quia illis neruis læſis læditur guſtus, reliquis ſaluis manentibus. *Secundum* etiam patet, cum ſapor ſit eius ſenſibile proprium. Eſt autem ſapor qualitas ſecunda reſultans ex mixtione primarum, in qua calor cum humiditate vincunt. De humiditate patet, quia quædam ſapiunt irrigata, & lingua humida magis guſtat quam ſicca. De calore etiam conſtat, quia coquit ſiccum & humidum, vt debite miſceantur, & inde reſultet ſapor; Si autem nimis coquat, vt reſoluat materiam humidam in ſubtiliorem, orietur odor. Et inde

ſapor

ſapor & odor ſunt qualitates vicinæ. Medium autem, per quod ſapor guſtatur à ſenſorio, eſt caro ſpongioſa linguæ ſeu caro, dilatata per humiditatem. Sicut in tactu eſt etiam medium caro totius corporis.

22. Secunda concluſio, *Organum tactus non eſt caro, ſed neruus ſubtilis toti carni intertextus; & obiectum eius eſt tangibile in communi ſine nomine proprio. Primum* probatur ex Scoto: quia organum ſenſus particularis debet continuari organo ſenſus communis; ſed caro non continuatur organo ſenſus communis, quod eſt in cerebro; iſte autem neruus ſic, ergo &c. *Secundum* etiam patet, quia præter quatuor primas qualitates ſunt etiam eius obiectum ſecundum communiorem ſententiam durum & molle, aſperum & læue; ſed non eſt aſſignabile nomen his omnibus commune, ergo tangibile vt ſic erit eius obiectum.

Dubitabis, An iſti duo ſenſus ſint realiter & ſpecie diſtincti? Reſpond. affirmatiuè: quod patet quia obiectum vnius ſcilicet ſapor non ſentitur à tactu, vt patet ad ſenſum. Item deperdito guſtu in lingua, manet tactus, ergo &c.

QVÆSTIO V.

An detur ſenſus internus; & quotuplex ſit?

23. PRima concluſio, *Præter quinque ſenſus externos datur alius ſenſus communis organicus internus, qui percipit obiecta ſenſuum externorum.* Probatur *primo*: nam experientia conſtat, homines & bruta habere varios actus internos cognoſcitiuos, qui non producuntur à ſenſibus externis, nec in homine fiunt ab intellectu, ergo ab aliqua potentia cognoſcitiua interna fiunt, quæ communis ſit homini & bruto. Probatur anteced. nam brutum ſentit ſeu percipit obiectum viſum, vocem auditam, dolorem acceptum &c. V. g. canis domum & domini vocem cognoſcit; ſed hæc cognitio non fit à ſenſibus externis, qui non retinent ſpecies obiectorum præteritorum: aliàs etiam in abſentia illorum operarentur; nec etiam ab intellectu, quem non habent bruta, ergo fit à ſenſu alio diſtincto. Probatur *ſecundo*, quia canis dormiens percipit aliquid virtute ſpecierum reſeruatarum, ideoque & per ſomnium latrare ſolet, vt experientia conſtat, ergo habet alium ſenſum ab iſtis quinque diſtinctum. Hunc autem ſenſum eſſe communem probatur: quia percipit omnia obiecta aliorum ſenſuum, colores, ſonos, odores &c.

24. Circa ſecundam partem concluſionis aduerte, aliquos authores præſertim fideliores Thomiſtas vt Complutenſes, & etiam Conimbricenſes non contentos hoc ſenſu, alios quatuor addidiſſe, inter quos diſtribuunt varias operationes, quas in nobis experimur. *Primum* dicunt *ſenſum communem*, & huic tribuunt perceptionem obiectorum aliorum ſenſuum. *Secundum* dicunt *imaginatiuam*, quam faciunt conſeruatricem ſpecierum ſenſui communi deſeruientium. *Tertium, æſtimatiuam*, quam dicunt cognoſcere obiecta inſenſata. *Quartum, Phantaſiam*, & hanc fingere fingunt monſtra & chimeras, coniungendo ſpecies rerum impoſſibilium, vt hirci & cerui, montis aurei &c. *Quintum, memoriam*, cuius dicunt eſſe proprium recordari obiectorum primo cognitorum. Alij authores eos ſenſus redigunt ad quatuor; Alij ad tres; Alij ad duos, Alij denique ad vnum,

vt nulla sit sententia sine patrono.

25. Sit secunda conclusio, *Quamuis darentur hæ diuersæ operationes internæ, vnicus tamen est sensus principium omnium illarum, qui tamen propter varia munia, varie appellatur.* Est sententia Alex. Alens. Tartareti, Cauelli, qui q. 9. de anima iudicat eam conformiorem Scoto. Item est Suarij, Runij, Hurtadi, Arriagæ & aliorum. Probatur argumento communi: quia non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate; sed in præsenti nulla prorsus est, ergo. Probatur mi. soluendo rationes, quibus probant Thomistæ hanc pluralitatem. Ideo ponitur phantasia distincta à sensu communi, quia hic facile recipit species, ijsque vtitur in præsentia obiecti; illa autem eas conseruat & vtitur in absentia obiecti; quas operationes (dicunt) esse adeo distinctas, vt ab eadem potentia prouenire nequeant. Ponitur etiam imaginatiua seu æstimatiua diuersa ab istis: quia cognoscit intuitiue per species insensatas v. g. ex sensibilibus lupi sensatis cognoscit ouis rationem nocui insensatam. Memoria autem quia easdem species insensatas seruat & abstractiue eis vtitur, à tribus relatis potentis distinguenda dicitur; sed sic est quod omnes istæ operationes possunt ab eadem potentia oriri: vt patet in intellectu, qui cum vnicus sit, habet tamen easdem operationes retinendi memoria, fingendi, percipiendi &c.

26. Quod & confirmatur amplius & declaratur: nam potentia habens virtutem ad cognoscenda obiecta absentia, habet virtutem ad illa, etiam quando sunt præsentia, ergo eadem phantasia erit imaginatrix & conseruatrix. Item illa potentia quæ possibilia coniungit incompossibiliter, debet necessario ea possibilia cognoscere seorsim, ergo eadem est quæ exercet illud quartum munus. Deinde ponere vnam potentiam ad recipiendum & aliam ad conseruandum est omnino falsum, *primo* quia sic ponendi essent duo visus, duo auditus, duo intellectus &c. *Secundo* quia si vna recipit speciem, non potest transire in aliam: nam accidens non migrat de subiecto in subiectum.

27. Sed dices, Ad recipienda facile obiecta requiritur humiditas & ad ea conseruanda siccitas, ergo sunt diuersæ potentiæ perceptiua & conseruatiua. Hoc argumento videtur probari, in diuerso organo seu in diuersa parte corporis fieri cognitionem internam de obiecto præsenti, ab ea, quæ de absenti: quia in eadem esse nequeunt intensa humiditas & intensa siccitas. Ad quod respond. cum Scoto supra. q. 10. *Organum sensus communis esse vnum vnitate naturæ, non quidem simplicis sed mixtæ, & quasi mediæ inter naturas aliorum organorum.* Quod egregie declarat Scotus ibid. n. 3. comparatione ad centrum respectu linearum procedentium ab eo ad circumferentiam; Et alia comparatione Regis in Solio sedentis. Hoc posito respond. ad argumentum, eo non probari, sensus esse diuersos, sed dispositiones ad aliquos actus illius sensus esse diuersas à dispositionibus requisitis ad alios actus eiusdem potentiæ. Adde etiam multos homines facile percipere & diu retinere, ergo potest esse eadem dispositio vtrique operationi apta.

28. Nota consulto dixisse in conclusione: *Quamuis darentur hæ diuersæ operationes*: nam *æstimatiua*, quam ponunt hi authores ad cognoscenda obiecta insensata, est omnino superflua: nam tales species insensatæ, quibus scilicet cognoscit sensus internus obiectum

obiectum sub aliqua ratione, sub qua non percipiatur à sensu externo: v.g. qua ouis cognoscit lupum non solum sub ratione alicuius habentis tales colores externos & talem figuram & magnitudinem, qualia apparent sensui externo, sed etiam sub ratione inimici aut disconuenientis; tales (inquam) species non dantur, vt tenet Scotus & plures alij citati à nostro Poncio hic disp. 59. n. 94. Et ratio est quia nec ipse intellectus potest absque discursu considerare obiectum sub vlla ratione, sub qua non percipitur à sensibus sibi subordinatis, ergo multo minus potentia materialis interna: quia hæc non potest discurrere, ergo &c.

29. Inquires, *An iste sensus communis sit in omni animali?* Respond. affirmatiue: quia omne animal fugit nociuum & prosequitur vtile, quod supponit operationem sensus communis: nam istæ rationes non cognoscuntur ab externis sensibus. Verum non omnia animantia habent perfecte istum sensum: quia nonnulla carent aliquibus actibus eius. Vnde Aristot. 3. de anima. cap. 3. negat apibus & formicis memoriam & alijs negat phantasiam, idest sensum communem secundum quasdam eius operationes. Quod autem detur talis sensus perfecte in homine, probatur à priori, ex eo quod in illo debet esse natura sensitiua integra, vtpote perfectissimo animantium, ergo & hic sensus pertinens ad integritatem eius naturæ. Probatur etiam à posteriori, quia homo defatigatur nimio studio, caput dolet, impeditur ciborum concoctio; sed si solus intellectus tunc operaretur, id non fieret: nam sola operatio spiritualis intellectus non potest ea damna causare, ergo operatur tunc alius sensus interior materialis, cui deseruiunt spiritus vitales & animales, ratione quorum læditur caput, & ex quorum defectu in stomacho impeditur concoctio.

30. De *Memoria*, An detur in brutis est controuersia. Et ex varijs actibus brutorum, quales sunt prouidentia, vindicatio, benefactio, conseruatio speciei, & disciplinatio, videtur efficaciter colligi, in eis esse memoriam, & est satis probabile. Tenet D. Thom. 1. Metaph. lect. 2. Nec negat Scotus hanc partem 4. dist. 45. q. 3. vt Suarez ipsi imponit; sed problematicus est. Et si teneatur pars negatiua, nihilominus saluat Scotus omnes illos actus fieri sine memoria: quia haberi possunt per species rerum delectabilium vel tristabilium in phantasia existentes, vnde formica hoc anno genita, etsi experta non sit hyemalem penuriam, non minus facit prouidentiam pro hyeme futura, quam aliæ seniores, ergo non est necesse ponere in his memoriam propter huiusmodi actus. Quod si velis tenere partem affirmatiuam, Scotus non vetat; imo dicit, facilius saluari prædictos actus, ponendo eam.

De obiecto istius sensus idem est dicendum ac de obiecto tactus: quod scilicet sit sensibile in communi: quia non est assignabile ipsi nomen speciale. Organum eius posuit Aristot. in corde; sed communiter Medici cum Galeno docent, ipsum residere in cerebro. Et probatur quia vt historia fideli refertur, contigit extracto repente corde, hominem loquutum & explicasse propositionem, quam habebat in mente: vt de Hispano quodam apud Indos occiso refertur. Deinde quia ad cerebrum ducuntur nerui sensorij ex omnibus partibus corporis, & non ad cor: vt testantur anatomistæ, ergo quia sensus ad quem omnes aliæ partes emittunt species, & ad quod de

ſeruiunt illi nerui, reſidet in cerebro, non in corde.

QVÆSTIO VI.

Quotuplex ſit appetitus ſenſitiuus? & quid dicendum de paſſionibus eius.

SEnſui communi interno, de quo q. præced. correſpondet alia potentia interna, quæ appetitus dicitur. De hoc in præſenti, vbi notandum, non ſumi hic appetitum, prout eſt propenſio naturalis rei in bonum ſibi conueniens, ſed prout eſt principium alicuius operationis ſeu actus appetendi bonum ſenſibile, vel fugiendi malum propoſitum per cognitionem, Qualem dari in animalibus irrationabilibus experientia compertum eſt, & multo melius in nobis. Quod & ſuadet ipſa fides ex illo Pauli ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Et Concilium Trident. definit, ipſum in nobis dari, & tamen non eſſe peccatum.

31. Sit Concluſio, *Huiuſmodi appetitus ſenſitiuus elicitiuus cuiuſque actus proſequutionis & fugæ eſt vnicus tam in homine, quam in quolibet animali.* Probatur quia non ſunt multiplicandæ potentiæ vllæ animæ ſine neceſſitate; ſed nulla eſt neceſſitas ponendi plures huiuſmodi appetitus realiter diſtinctos, ergo non dantur; probatur mi. quia nulla eſt ratio, cur vna realis potentia non poſſit ſufficere ad omnes actus eliciendos, qui attribuuntur potentiæ appetitiuæ: vt patet in voluntate, quæ poteſt habere tot actus & tam diuerſos ac diſparatos, quot poteſt habere appetitus ſenſitiuus; & propterea poteſt conſiderari vt concupiſcibilis & vt iraſcibilis; concupiſcibilis quidem vt eſt principium quorumdam actuum, iraſcibilis vero vt eſt principium aliorum, ergo ſimiliter appetitus ſenſitiuus vnus & idem realiter poteſt eſſe principium omnium diuerſorum actuū, quotquot reperiuntur in parte ſenſitiua, & vt principiat aliquos vocari concupiſcibilis, vt alios vero iraſcibilis.

32. Hæc eſt ſententia Scoti 3.d.34. à n. 12. quem ſequuntur ſui contra Thomiſt. de quo fuſe in Theologia tract. de Actib. Humanis, & tract. de Virtutibus. In duabus diſſentiunt hic Scotiſtæ à Thomiſtis. *Primo* quia facultates concupiſcibilis & iraſcibilis ponunt non ſolum in appetitu ſenſitiuo, ſed etiam in rationali ſcilicet voluntate, ex cuius paritate probauimus concluſionem, propterea ponunt omnes tres virtutes morales videlicet tam temperantiam & fortitudinem quàm iuſtitiam in voluntate. *Secundo* quia non diſtinguunt realiter has duas facultates, ſed dicunt vnum & eumdem realiter appetitum vocari concupiſcibilem, quatenus principium aliquorum actuum, & iraſcibilem, quatenus eſt principium aliorum diuerſæ rationis. Concupiſcibilem quidem quatenus fertur in bonum ſibi conueniens illud proſequendo; iraſcibilem verò quatenus auerſatur & repellit impedimenta obſtantia tali proſequutioni. Ex quibus actibus tales oriuntur paſſiones in appetitu: v. g. delectatio in concupiſcibili ex præſentia conuenientis, & in iraſcibili ex vltione offendentis ob potentiam repellendi: iuxta illud Ariſt. 2. Rethoricor. *Ira viri quaſi mel*; ſicut triſtitia in concupiſcibili ex præſentia diſconuenientis & in iraſcibili ex impotentia repellendi offendens ob non vltionem.

33. Quot autem ſint huiuſmodi paſſiones

ſiones & qualiter inter ſe diſtinguantur, ac cauſentur in appetitu? longiorem diſputationem expoſcit, quæ verè non eſt huius loci. De ipſis habetur ſermo in prædictis tractatibus Theologiæ & in curſu Philoſophico Poncij hic diſp. 61. à n. 24. Illud etiam compertum eſt apud Scotiſtas contra D. Thom. & ſuos communiter. Has paſſiones ſcilicet delectationem ſeu gaudium, triſtitiam ſeu dolorem, iram &c. non eſſe qualitates, qui dicuntur actus eliciti ab appetitu, ſed alias qualitates reſultantes ex actibus, ſcilicet ex proſequutione vel fuga, ex complacentia & diſplicentia obiectorum, quas in ſe vitare non eſt in poteſtate appetitus, ſed præciſe mera ſuſpenſione actuum, ex quibus reſultant.

34. Inquires, qualiter appetitus ſenſitiuus ſubditur voluntati, deſpotice, an politice? Pro ſolutione Notandum, vocari ſubiectionem *Deſpoticam* qua quis ad nutum abſque reſiſtentia obedit alteri in omnibus occaſionibus, quibus alter imperat: qualiter ſerui obediunt Dominis: ſcilicet nulla ſpectata ratione conuenientiæ. *Politicam* vero, qua quis obedit quidem alteri, vt plurimum, non tamen ita ſemper, quin reſiſtat aliquando; vel quia apparet non eſſe obediendum, vel quia poteſt defendere ſe à coactione: qualiter obedit reſpublica Principi, qui quidem rationes conuenientiæ proponit ciuibus: Hoc ſuppoſito, reſpond. appetitum ſubiici politice voluntati. ita Scotus. D. Thom. & communiter omnes. Et conſtat experientia: nam licet nolit efficaciſſime tales motus in parte ſenſitiua conſurgere, nihilominus conſurgunt & permanent. Et hinc vti debet magna diligentia ad eos ſedandos: Nec videtur poſſe eam illos aliter impedire, quam auertendo obiecta, à quibus cauſantur, quod non eſt in poteſtate eius ſic, quin ea inuita aliquando maneant, aut de nouo occurrant.

DISPVTATIO IV.

De anima intellectiua.

QVÆSTIO I.

Vtrum anima intellectiua ſit ſpiritualis.

DEFINITIONEM animæ intellectiuæ ſeu rationalis, de qua præſens diſputatio, facile eſt colligere ex dictis diſp. 1. de anima in communi: poteſt enim dici quod ſit: *actus corporis organici potentia vitam rationalem habentis.* Vel quod ſit *principium quo phyſicum ratione cuius competit ſubſtantiis corporeis diſcurrere & cum electione operari.* Qualem animam dari in nobis, omni illa experientia conſtat, qua colligere poſſumus nos diſcurrere & eligibiliter operari. De hac primo inquirimus: an ſit ſpiritualis?

1. *Concluſio eſt affirmatiua*, quæ & ſequitur ex dictis diſp. 1. q. 5. Et habet fundamentum in ſacris litteris Eccleſiaſtici vltimo: *Reuertatur puluis in terram ſuam, vnde erat; & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Et Luc. 23. *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* Et definitum eſt in Concil. Lateranenſi ſub Innocent. 3. relato in cap. *Firmiter de Summa Trinit.* Vbi dicitur naturam

humanam constitutam esse ex spiritu & corpore.

Probatur ratione desumpta ex Scoto 4.d.43.q.2.n.7. quia homo habet actus cognoscendi transcendentes totum genus cognitionis sensitiuæ; Sed tales actus non possunt prouenire à forma materiali, ergo à spirituali, ergo talis est anima intellectiua eius. probatur ma. quia homo cognoscit actu cognoscendi non organico, ergo transcendenti totum genus cognitionis sensitiuæ. anteced. patet experientia, & conseq. probatur quia ex 2. de anima omne organicum determinatur ad certum genus sensibilium, ergo cum experientia doceat, dari in nobis actus spirituales, quales sunt isti non organici, debemus etiam ponere potentiam & formam spiritualem, in qua subiectentur & à qua procedant; Et talis est anima intellectiua. Plures probationes adducunt Complutenses, quas vt insufficientes merito refutat Poncius.

Ex dictis infertur animam rationalem esse totum in toto & totam in singulis partibus organicis (loquor de partibus, quas disp.1.q.5. dixi informari anima); Nam si spiritualis est; & indiuisibilis etiam vt constat ex q. 4. certum est quod non poterit secundum partem sui parti corporis correspondere; ergo cum omnes prædictæ partes simul informentur anima, tota erit in omnibus & tota erit in singulis.

QVÆSTIO II.

Vtrum Anima rationalis sit immortalis Et qua certitudine hæc veritas ostendatur?

SVpposita animarum nostrarum immortalitate & æterna duratione, vt vno ex principiis fidei primariis ex locis sacr. scripturæ perspicuis & definitione Ecclesiæ in concil. Later. tertio. sess. 8. vt rem hanc philosophice tractemus.

Notandum posse aliquid esse immortale aut incorruptibile tripliciter. *Primo* si nulla ratione possit desinere etiam de potentia Dei absoluta: sic solus Deus immortalis iuxta illud: *Regi sæculorum immortali & inuisibili &c. Secundo* quod licet possit de potentia Dei absoluta & etiam de ordinaria desinere, non tamen desinet vnquam, sed perpetuo conseruabitur: sic esset immortalis anima bruti, si Deus decerneret perpetuo illam conseruare siue in corpore siue extra corpus. *Tertio* denique quod licet possit de potentia absoluta desinere esse siue per corruptionem siue per anihilationem siue per conuersionem, tamen ex natura sua exigit connaturaliter in perpetuum conseruari, adeo vt miraculosum esset, si desineret vnquam: Et sic se habent Angeli & Cæli etiam ac materia prima: In præsenti autem non inquiritur de immortalitate primo modo: Cum Deus qui libere producit & conseruat animam, possit etiam libere eam vlterius non conseruare. Est ergo dubium in duobus posterioribus sensibus.

2 Sit prima coclusio: *Anima rationalis est immortalis; Et quidem ex natura sua connaturaliter loquendo, adeo vt miraculum esset, si non conseruaretur.* Est communis Theologorũ & Philosophorũ ferè omnium contra Sadducæos & Epicureos, pluresque hæreticos: De quo videndus Vallesius de Sacra Philosophia cap. 4. Probari posset conclusio innumeris testimoniis Sacræ scripturæ. Nobis vnum vel alterum sufficiat: Ecclesiastes 22. *Ibit homo*

in

in domum æternitatis suæ. Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Item Matth. 25. Prædixit Christus Dominus, peccatores in iudicio à Deo relegandos in æternum ignem: *Ite maledicti in ignem æternum;* Bonos autem *in vitam æternam.* Probatur etiam ex loco citato, Concil. Lateran. vbi definitur animam rationalem natura sua (dicitur enim *vere per se & essentialiter*) esse formam corporis & esse immortalem, præcipiturque Philosophiæ magistris, vt soluant argumenta, quæ contra hanc veritatem fieri possunt. Et hæc de prima parte quæstionis.

3. Secunda conclusio, *Immortalitas animæ rationalis non est demonstrabilis demonstratione euidenti & rigorosa; bene tamen rationibus probabilibus, seu vt Scotus inquit, per persuasiones quoad intellectum bene institutum & non proteruum.* Ita Scotus 4. d. 43. quæstione 2. à num. 16. & videtur esse contra D. Thomam, quatenus Complutenses hic disp. 16. quæstione 2. conantur probare ex ipso hanc veritatem ratione euidenti saltem à posteriori. Scotum sequuntur Scotistæ omnes & nonnulli etiam Iesuitæ. Conclusio non potest efficacius probari, quam soluendo argumenta & rationes, quæ vt euidentes & demonstratiuæ adducuntur à contrariis.

4. Primum sit, quod & adducunt etiam Conimbricenses: quia anima est subsistens per se & spiritualis, ergo immortalis: patet consequentia: quia ob id solum Angeli sunt immortales. Hæc ratio non vrget, quia tam difficulter redditur ratio de immortalitate Angelorum, quam animæ; esse autem spiritualem non arguit immortalitatem: quia res spiritualis potest esse defectibilis, vt sunt omnes actus spirituales, esse vero subsistentem per se vel potest intelligi pro potente per se sine corpore existere; Et vt sic assumitur conclusio pro antecedente, quod est petere principium, vel sumitur pro subsistente completo, & vt sic falsum est antecedens: nam anima non est quid completum subsistens; si tandem accipiatur pro habente subsistentiam, verum est antecedens; sed inde non arguitur immortalitas animæ: quia etiam animæ brutorum habent subsistentiam, & tamen sunt mortales.

Dices, Anima est talis entitas spiritualis, quæ producitur à solo Deo per creationem, ergo non dependet per se à materia in essendo, ergo corrupta materia permanet anima, atque adeo est immortalis? Respondeo non esse euidenter notum, animam esse spiritum; sed adhuc admissa eius spiritualitate, solum probatur esse, independentem à materia, & posse sine illa aliquandiu conseruari; at vero petere durare in perpetuum non probatur.

5. Secundum argumentum est, quia homo habet appetitum innatum & elicitum ad immortalitatem; sed appetitus innatus non est ad impossibile; Item & elicitus (vbi non est natura læsa aliquo habitu vitioso) si sit in omnibus, qualis est iste, sequitur naturalem inclinationem, ergo possibilis est animæ terminus istius inclinationis scilicet immortalitas. Respondeo hoc argumento, vt de se patet, solum probari possibilitatem immortalitatis animæ, non vero esse de facto immortalem, de quo est quæstio; sed adhuc probo cum Scoto, nec eius possibilitatem esse euidenter notam: quia non est naturaliter notum, quod habeat

anima appetitum ad immortalitatem: nam cum appetitus nuturalis sit propensio in bonum conueniens possibile appetenti, non probamus euidenter hunc appetitum, donec probemus ipsam immortalitatem esse animæ possibilem; Et sic argumentum ex hac parte petit principium. Ex alia vero de appetitu elicito, fateor nos appetere immortalitatem, quæ proponitur vt possibilis; sed vtrum ratio proponens ipsam possibilitatem sit recta vel erronea? non est naturaliter notum: nam certum extra controuersiam est, posse dari in nobis desiderium etiam efficax rei nobis nunquam euenturæ; imo non potentis euenire, modo apprehendatur vt bona & possibilis.

6. Tertium argumentum eruitur communiter ex recta Dei Iustissimi iudicis gubernatione & prouidentia, quæ exigit, vt quisque iuxta sua opera accipiat vel præmium pro bonis, vel supplicium pro malis. Et in hac vita non semper id præstatur, vt passim videmus multos malos impune & in deliciis viuere, bonos vero è contra in miseriis, ergo anima debet esse immortalis, vt retributionem accipiat? Respondeo *Primo*, non esse euidens lumine naturæ: an futura sit retributio, nec Deum teneri ad illam vel nunc vel postea; sed dato, quod hoc sit euidens, posset, dici quod bona opera trahunt secum consolationem, sicut mala suum vermem: iuxta illud August. 1. confes. 12. *Iussisti domine & ita est, vt sibi sit pœna omnis peccator.* Vel etiam dici posset cum Poncio, vt occurramus responsioni Complutens. quod auxilium Dei præstitum iustis ad eliciendos reliquos actus bonos præter primum, ad quem gratis concessium est auxilium, sit præmium & retributio pro primo actu; sicut in impijs potest dici pœna denegatio gratiæ.

Respond. *secundo*, hanc rationem etsi probabilissimam, non tamen esse demonstratiuam: ea enim solum videtur conuinci, post hanc vitam futurum præmium & supplicium & consequenter duraturam animam; id autem futurum per æternitatem non probatur euidenter: vt enim terreantur homines à voluptate vnius horæ (quid? vnius instantis) sufficiens videtur (stando solum rationi naturali) pœna grauissima, qualis est infernus etiam per dimidiam horam, licet non duret in æternum. Idem è contrario est in præmio.

Ex his infertur quam bene dixerit D. August. 13. de Trinit. cap. 9. humanis argumentationibus vix paucos magno ingenio præditos, otio vacantes, subtilissimis doctrinis eruditos ad indagandam animæ immortalitatem peruenire potuisse. Vnde plures è Philosophis antiquis, licet animam post mortem durare asseruerint, quod rationes suprafactæ ostendunt, non tamen dixerunt in æternum duraturam. Nihilominus non deficit saltem probabilis ratio pro hac sententia, quam sic confirmo. (Et sit probatio secundæ partis conclusionis.)

Cum possibilis sit aliqua forma substantialis, quæ independenter à corpore duret aliquandiu, non vero semper; possibilis etiam est alia, quæ ex se petat perpetuo durare: quia in ea nulla apparet repugnantia aut contradictio, vt de se patet; sed posita possibilitate talis formæ, certe rationes supra factæ satis ostendunt, nostram animam esse eiusmodi, ergo &c. probo mi. quia argumenta facta probant, animam durare aliquandiu independenter à corpore, & in hoc ipso quod spiritualis & non

dependens

dependens à subiecto sit non habere contrarium, ergo duratura est in perpetuum. Probatur conseq. quia causis eodem modo se habentibus, dicendum effectum eodem modo conseruandum, nisi aliqua experientia aut ratio sit, qua oppositum suadeatur; sed in anima nulla est experientia aut ratio, qua probetur, eam esse defectibilem, ergo conformius naturis rerum philosophabimur, si illam in perpetuum duraturam dixerimus. Quod si demonstrationem pro animæ immortalitate inuenire non possumus, magnum ipsa ignorantiæ confessione Fidei nostræ robur adiicimus: Cum videamus maximos Philosophos in re tanti momenti aut aperte errasse, aut nihil firmum protulisse, Sola enim Christiana simplicitas veritatis assequutione iure gloriari potest.

Perque omnes calles (vt D. Prosperus ait) *errat, sapientia mundi.*
Et tenebris addit, quæ sine luce gerit.

QVÆSTIO III.

Vtrum anima rationalis immediate à Deo creetur; & quo tempore?

7. Sit conclusio, *Anima rationalis nec à semine, nec ab Angelo, nec ab aliqua alia creatura producitur, sed immediate ab ipso Deo creatur; Et non ante sed simul cum corpore.* Prima pars constat ex dictis lib. de generat. disp. 1. qu. 5. Et amplius probatur: quia quod generatur corrumpitur, vt patet ex dictis? sed anima rationalis, quia immortalis est ex q. præced. corrumpi nequit, ergo neque generari ab vlla virtute corporea siue seminali siue altera. Deinde quia anima rationalis non dependet in fieri & conseruari à suo subiecto, ergo creatur. conseq. patet ex dictis lib. Physicor. disp. 1 quæst. 11. & anteced. probatur: quia anima non dependet à manu verbi gratia nec à pede nec ab vlla alia parte determinata corporis in fieri aut conseruari: Quod constat ex eo quod destructa manu aut pede, non desinat anima esse in corpore; & ex eo quod non possit dependere totaliter ab omnibus partibus, quas informat; nec etiam partialiter: quia aliàs quacumque parte destructa, deberet desinere, nisi aliquid aliud suppleret concursum istius partis. Quod non oportet dicere, esse Deum alias variaretur concursus eius, quoties deperduntur partes corporis. Igitur solus Deus & producit & conseruat animam rationalem sine concursu vllo creaturæ. Et confirmatur ex communi sententia, tractat. de creatione, asserente, nullam creaturam concurrere physice ad terminum creationis, ergo neque Angelus neque vlla alia creatura attingit effectiue animam rationalem.

Dices, In materia est potentia naturalis ad recipiendam animam, ergo datur aliqua virtus naturalis actiua & productiua illius in materia: patet conseq. quia potentiæ passiuæ correspondet actiua eiusdem rationis seu generis ex Aristot. 5. Metaph. cap. 12. &c. cum Scoto quæst. 1. prolog. &. 1. d. 5. quæst. 2. (intelligendo per causam naturalem causam creatam) conced. anteced. & neg. conseq. alioquin cæcus posset naturaliter fieri videns; Et Deus etiam naturaliter videri; Nec est contrarius Aristoteles: nam loco citato tantum dixit, potentiæ passiuæ correspondere actiuam. Et si aliud diceret, esse

sibimet

sibimet oppositus: cum 2. de generat. cap. 3. asserat Mentem extrinsecus venire: quod secundum omnes significat, animam creari; quod quidem negat aliis formis. Non igitur correspondet omni potentiæ passiuæ actiua creata, sed creata vel increata.

8. Quod autem non ante corpus sed simul cum corpore animæ creentur, definitum est in Concilio Bracharensi 1. capite 6. & à S. Leone Papa contra Priscillianistas: vt patet ex eius epist. 71. Idem error tribuitur Origeni ex doctrina Platonis asserenti, animas productas ante & extra corpus, posteaque corpori tanquam carceri includi in pœnam peccatorum. Quare circa factum nulla est controuersia. Est tamen vtrum id fundetur in ipsa natura animæ exigentis, non prius produci, quàm vniatur cum corpore; an vero id à sola Dei voluntate proueniat? Et ratio dubitandi sumitur ex independentia animæ à corpore: quia sicut ob hanc potest conseruari post vnionem sine corpore, ita etiam videtur posse existere ante vnionem.

Nihilominus dicendum est, animam exigere connaturaliter produci in corpore: & ratio est, quia anima verè est ens incompletum, & de se dicens ordinem ad corpus. Imo quantum est ex vi naturalis inclinationis, nisi ab agentibus contrariis expelleretur, semper in corpore conseruaretur, ergo ad minimum in primo instanti debet produci in corpore, vt vel sic primo habeat completionem, quam appetit. Et ex hoc patet ad rationem dubitandi: quia quamtumvis independens, adhuc est substantialiter incompleta & ordinatur natura sua appetitu innato in complementum substantiale sui. Quod fit vnione cum corpore, ergo non ante sed simul cum ipso produci exigit.

9. Circa tempus quo infunditur anima, communis Philosophorum, medicorum, ac Theologorum consensus est, non prius eam creari, quàm corpus habeat in vtero humanæ figuræ organa, saltem principalia nimirum hepar, cor, caput &c. Quibus positis infunditur anima. Quod & D. August. quæstio. 80. super Exodum. Et lib. quæst. veter. & nou. testamenti capite 23. aperte docuisse videtur. Dies autem ad perfectam formationem requisiti communiter assignari solent quadraginta in masculis & octoginta in fœminis. Quæ obseruatio ex diutina vtique experientia profecta ita à doctis recipitur, vt magnæ nihilominus varietati locus relinquatur; sicut in ipso partus tempore. Nec in his immorari nostri instituti est.

DISPVTATIO V.

De intellectu & eius actibus.

1. OMITTIMVS disputationem de numero potentiarum animæ, supponendo vt certum cum D. Thom. 1. part. quæstio. 79. art. 7. solum esse duas, intellectum scilicet & voluntatem: nam quamvis vulgariter numerentur tres, addendo memoriam; hæc tamen non est potentia diuersa ab illis, sed eadem potentia in quantum percipit species obiectorum, dicitur intellectus, & in quantum eas conseruat, dicitur memoriæ: non

non enim pro duplici isto munere duplex potentia est assignanda: vt supra diximus disp.3. num. 25. Agimus autem primo de intellectu, non quia nobilior potentia sit, cuius oppositum infra asseremus cum Scoto, sed quia prior est in operando: vt enim voluntas possit agere, prius debet intellectus intelligere.

QVÆSTIO I.

Vtrum detur intellectus agens; & an distinctus ab intellectu possibili?

PHilosophus hic duplicem ponit intellectum, *Agentem* cuius est omnia facere, & *Possibilem*, cuius est omnia pati; dicitur agentis esse omnia facere: quia in se producit species omnium rerum; & possibilis pati, quia easdem in se recipit: commune namque est omni potentiæ cognitiuæ præuiæ ad actum fœcundari specie sui obiecti.

2. Sit prima conclusio, *Datur intellectus agens cum facultate producendi speciem intelligibilem.* Est communis & probatur: vt intellectus constituatur in actu primo potens producere intellectionem lapidis v.g. debet præhabere in se aliquam similitudinem seu speciem lapis, quæ quidem debet esse spiritualis: nam cum tota intellectio, quæ à tali specie & intellectu possibili producitur, spiritualis sit, vtique ipsa species spiritualis etiam debet esse; atqui non est assignabilis alia causa spiritualis præter intellectum, ergo datur talis intellectus agens productiuus speciei intelligibilis in intellectu possibili, qui ea indutus percipit obiectum.

3. Secunda conclusio. *Intellectus non distinguitur in agentem & possibilem tanquam in duas potentias distinctas realiter, sed tanquam in diuersa munera eiusdem potentiæ.* Colligitur ex Scoto 1. d.3. quæst.8. num.3. vbi falso in oppositum citatur à Conimbricensib. & Complutensib. nam iuxta dicta de idetificatione potentiarum animæ inter se & ipsi animæ, non potest non sustineri in principiis Scoti, intellectum agentem & possibilem esse eamdem realiter potentiam licet alias possint dici diuersæ formalitates, de quo modo non curo. Probatur ratione communi in simili quia, non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate: alias deberet poni alia potentia intellectiua producens intellectionem, & altera recipiens, quod nullus dixit. Nec obstat si dicas, quando duo ita se habent, vt vnum efficienter præparet disponatque alterum ad eius operationem, semper id quod disponit, distingui realiter ab eo, qui disponitur: qualiter se habent intellectus agens & possibilis, agens disponens per species intelligibiles possibilem ad intelligendum. Non (inquam) obstat: nam licet in rebus materialibus sic contingat, non tamen in spiritualibus, qualis est intellectus. Quod & constat ex D. Thom. 2. contra Gentes cap. 100. vbi edisserit, ea quæ in rebus corporeis per diuersas potentias sparguntur, in incorporeis copulari, & ad vnius facultatis vim reduci: quomodo quæ pluribus sensibus tam internis quàm externis percipiuntur, sub vnum intellectum possibilem cadunt.

Dices ex dictis disp.2. num.5. non datur sensus agens, ergo neque intellectus agens: ℞. neg. conseq. & ratio disparitatis est: quia species intelligibilis est res spiritualis, & ideo produci non potest ab agente corporeo vt à causa totali; species verò sensibilis

ſibilis eſt res corporea & ideo produci poteſt à ſimili agente corporeo, quod eſt obiectum ſolum. Sed inſtabis, ergo quando obiectum eſt ſpirituale, non datur actio intellectus agentis, quæ eſt productio ſpeciei intelligibilis talis obiecti: quia ipſum ſe ſolo poteſt producere ſui ſpeciem: ℞. conceſſ. anteced. ſi intellectus ſit ſeparatus, ſecùs ſi coniunctus pro hoc ſtatu: quia nunc nullam ſpeciem propriam obiecti externi accipit, quod à phantaſia primo non recipiatur; hæc autem non percipit obiectum ſpirituale. Quod ſi inquiras, an intellectus ſortiatur munus agentis reſpectu ſpeciei intelligibilis, vel reſpectu intellectionis? ℞. ſolum id ipſi competere in rigore reſpectu ſpeciei intelligibilis: qualem producit transferendo obiectum ab ordine materialis ad ordinem ſpiritualis: ſicut ſenſus agens internus transfert obiectum ab vno ordine ad alium, ab ordine verbi gratia viſibilis ad ordinem imaginabilis: nam ſi propter productionem intellectionis aſſignandus eſſet etiam intellectus agens diſtinctus ab eo, qui ſuſcipit, deberet ſimiliter diuidi oculus v. g. in agentem & poſſibilem propter productionem & receptionem ſuæ viſionis.

4 Pro cuius exactiori notitia aduerte, ea potiſſimum eſſe officia intellectus agentis. Primum, quòd illuſtret ſeu illuminet phantaſmata (per phantaſmata intellige obiecta prout in phantaſia repræſentata per ſui ſpecies) ita quòd intellectus ſe habet reſpectu phantaſmatum ſicut lumen exterius reſpectu colorum. Deinde facit obiectum proxime intelligibile, & hoc fit producendo ſpeciem intelligibilem eius. Quæ omnia in hoc vnico conſiſtunt, quòd intellectus agens ſimul cum phantaſmate producit ſpeciem intelligibilem in intellectu poſſibili. Propterea dicimur videre in lumine intellectus agentis: quia lumen illud eſt cauſa actiua faciens obiectum actu intelligibile. Et hoc lumen eſt ipſa entitas intellectus agentis: eſt namque intellectus agens perfectius lumen, quam lumen accidentale, & ſicut lumen externum facit colores actu viſibiles (quamvis enim colores nocte exiſtant, tamen vt actu producant ſui ſpeciem in oculo, requiritur lumen) ita obiectum exiſtens in phantaſmate eſt remote intelligibile, quia adhuc materiale, & phantaſia nequit ſpeciem intelligibilem obiecti producere ſine intellectu agente concurrente: cum eo namque producit, & per eam ſpeciem obiectum fit proxime intelligibile & ſpirituale. Eſt ergo obiectum actu intelligibile, quando ſpecies intelligibilis eius eſt in intellectu poſſibili; itaque idem eſt intellectum agentem producere ſpeciem obiecti, ac facere illud actu intelligibile, & idem eſt illuſtrare phantaſma, ac ipſum producere actu intelligibile.

QVÆSTIO II.

An dentur ſpecies intelligibiles; & quæ ſit earum cauſa?

SOlutio huius quæſtionis maiori ex parte habetur ſupra diſp. 2. quæſt. 2. Quæ enim de ſpeciebus ſenſibilibus & earum cauſis diximus, cum proportione applicanda veniunt ſpeciebus intelligibilibus.

5. Prima concluſio. *Dantur ſpecies intelligibiles in intellectu noſtro præuiæ ad actum intelligendi*, ita Scotus 1. d. 3. quæſt. 6. & quæſt. 17. de anima, vbi licet problematicus videatur procedere, in fine tamen quæſtionis hanc partem

partem reputat veriorem. Est communis inter Peripateticos & probatur *Primo* à paritate ex dictis: nam sicut dantur species in sensibus internis videlicet phantasia, distinctæ à speciebus sensuum externorum, ita in intellectu debent dari species distinctæ à speciebus sensuum internorum. Probatur *Secundo*, quia intellectus noster recordatur actuum propriorum & voluntatis; sed ad hoc requiruntur species remanentes in ipso, & non sufficiunt species sensibiles: quia hæ tantum repræsentant obiecta sensibilia, quales non sunt actus illi spirituales, ergo aliæ requiruntur in intellectu saltem ad hæc obiecta cognoscenda, & tales sunt intelligibiles.

Probatur *Tertio* quia anima separata recordatur actuum præteritorum; sed hoc non potest per phantasma: quia hoc dependet ab organo corporeo, quod non est anima separata, ergo fit per species intelligibiles remanentes; nec oportet recurrere ad Deum, qui infundat tales species animæ post separationem: nam hoc sine necessitate fieret, cum rationabilius sit dicere, perseuerare in anima species, quas habuit ante separationem; quas ex hoc ipso merito colligimus præfuisse; neque est æqualis necessitas ad huiusmodi recursum ad Deum, ac ad recursum pro excitatione aliquarum specierum præ aliis, de quo inferius. Est ergo species intelligibilis imago repræsentans obiectum, dicitur intelligibilis quia fit ab intellectu, phantasia aliquo modo concurrente, de quo statim, & dicitur impressa, quia ante intellectionem imprimitur in intellectu, manetque in eo actu transacto.

6. Obiicies. Si remanent species intelligibiles in intellectu, iam simul haberemus plures cognitiones, imo omnia simul cognosceremus; hoc est falsum, ergo probatur ma. intellectus & species sunt causa totalis & necessaria intellectionis, ergo semper elicient intellectionem, quia non est ratio cur potius intellectus concurrat cum vna specie, quàm cum alia, ergo quælibet species distincta cum intellectu producet distinctam intellectionem simul: ℞. neg. ma. ad probat. neg. conseq. cum sua probatione: cum illa namque specie concurrit intellectus (nisi impediatur à voluntate vel aliunde) quæ fortius mouet, & tunc impeditur, quominus concurrat cum aliis. Illa autem dicitur fortius mouere, cuius phantasma fortius imprimitur. Vnde fit, si aliquis simul aliqua die viderit aliqua mirabilia, ad quæ diligenter attendit, ita vt phantasmata fortiter imprimantur, tunc tota illa die de illis cogitabit, & vix inde se poterit extrahere.

Dices, ergo saltem intellectus separatus debet intelligere omnia simul. Patet conseq. quia habet species omnium, & non determinatur tunc per vllum phantasma, nec datur alia causa à qua determinetur: ℞. neg. conseq. quia obiectum in se aliquando determinat ex Scoto 4. d. 45. quæst. 1. num. 6. voluntas etiam imperat aliquando potius hanc quàm illam elici, vel saltem intendi.

Instabis voluntas non fertur in incognitum, ergo non potest imperare intellectui cognitionem huius obiecti potius, quàm alterius: quia tunc deberet ipsam cognitionem vel cognitionem cognitionis præsupponere. Pro responsione nota *Primo*, duplicem esse cognitionem in intellectu, vna est quæ dicitur prima, qua intellectus vnum obiectum vna vel pluribus cognitionibus simul licet imperfectè cognoscit; alia est secunda, qua obiectum prius cognitum intensius &

perfectius cognoscit, & hæc est prima cognitio continuata & perfectior facta. Nota *Secundo*, quòd quando intellectus vnam rem distincte cognoscit, tunc potest plures alias confuse cognoscere, sicut oculus videt vnum colorem perfecte, alios vero adiacentes confuse, cui potest imperare voluntas, vt magis intendat rei prius confuse visæ visionem, & videat illam distincte, sicut etiam dicitur imperare intellectui, vt cognoscat perfectius rem prius imperfecte cognitam. Hinc in forma ad argumentum dist. conseq. non potest imperare primam cognitionem conced. conseq. secundam, vt fortius intendatur neg. conseq. & sic fertur in cognitum.

7. Inquires, *Vtrum species intelligibiles semel adquisitæ & aliquandiu conseruatæ, vnquam deperdantur?* ℞. negatiue: Et ratio est, quia nulla forma permanens & absoluta destruitur nisi per destructionem subiecti, aut introductionem formæ contrariæ, aut remotionem causæ conseruatiuæ; sed species sunt formæ absolutæ, & non destruitur intellectus, qui est subiectum earum; nec introducitur vnquam in ipsum forma ipsis contraria: quia illam non habent; nec etiam remouetur causa conseruatiua, siue sit solus intellectus siue quæcumque alia: quæcumque enim assignetur, semper inuenietur eodem modo applicata, quando diceretur desinere esse species, ergo numquam deperduntur.

Dices, experientia constat, nos obliuisci rerum, quas antea cognouimus, nisi repetamus sæpe memoriam illarum, quod non videtur aliunde prouenire posse, nisi ex deperditione specierum. Nec potest dici, prouenire hoc ex deperditione specierum phantasticarum intelligibilibus correspondentium, à quibus in suis operationibus dependent; nam eadem difficultas est de speciebus phantasticis: quamvis enim hæ deperdi possint per corruptionem subiecti, tamen non quoties obliuiscimur rerum, corrumpitur subiectum: alias obliuisceremur simul omnium rerum: nam verissimilius est species omnes phantasticas in eodem subiecto reperiri, vnde si ex deperditione vnius speciei colligitur deperdi subiectum, omnes simul deberent prorsus deperdi.

℞. Quòd quemadmodum quando primò mandamus aliquid memoriæ, habentur ad primam lectionem species istius rei tam in intellectu quàm in phantasia, & tamen non possumus recordari statim ipsius rei, nisi sæpissime legamus aut repetamus illud, non defectu speciei, sed ex eo quòd non proponantur aut excitentur istæ species subito illo ordine; ita etiam obliuio rerum oriatur non ex defectu specierum sufficientium aut ex parte intellectus aut ex parte phantasiæ, sed ex defectu excitationis earum secundum illam rationem secundum quam natæ essent causare recordationem.

8. Quænam autem sit causa illa, quæ excitat species eo ordine, quo excitantur; & vnde oriatur, quòd quando volumus recordari alicuius rei, aliquando subito recordemur, aliquando vero diutissime hæreamus, & postea cum nihil minus cogitamus, occurrat nobis? Videtur esse vnum ex difficilioribus naturæ arcanis, sic fatetur noster Poncius hic; & disp.65. quæ est de habitibus, dicit sibi esse prorsus ignotum. Et supponit esse aliquid vltra species: cum experientia constet, quòd in initio, vbi habemus species iam ordinatas, difficulter nobis proponimus obiecta cum tali ordine,

dine, & vt facile id faciamus, opus est valde sæpe ea proponere, suntque qui citius & sunt qui tardius ad illam perfectionem perueniunt, datur igitur aliquid tam in intellectu, quàm in phantasia à quo prouenit talis ordinata excitatio specierum. Quòd quidem esse aliquid vltra species optime probat contra Hurtad. & Arriag. sed vlterius asserit neque hoc etiam posse prouenire à qualitate aliqua absoluta, quæ possit dici habitus. Et probat, quia posita quacumque qualitate absoluta in intellectu, non determinaretur per eam intellectus ad proponendas species tali modo; nec determinarentur species ipsæ ad sic occurrendum, ergo illud à quo facilitatur ad hoc intellectus, non est aliqua talis qualitas: probatur anteced. quia si determinaretur intellectus aut species per illam: cum sint causæ naturales, deberent semper determinari; sed hoc est contra experientiam, ergo.

Nihilominus ex aliorum sententia hæc ratio verissimilis potest assignari: nimirum quòd hæc qualitas generetur ad proportionem, qua species per repetitionem cognitionum radicantur ac magis ac magis firmantur in intellectu; cum autem species acquirantur cum omnibus suis accidentibus ac modis, quibus obiecta mandata sunt memoriæ (Puta, cum quis recordatur se vidisse Petrum & Franciscum deambulantes in foro, recordatur etiam v. g. Petrum fuisse in latere dextero, Franciscum habuisse baculum in manu, Petrum habuisse caput discoopertum & plura huiusmodi) Hinc est quòd hæc qualitas producta ab actibus repetitis percipiétibus obiecta cum tali ordine, cũ tali etiam ordine determinet species & promptum faciat intellectum ad talium obiectorum cognitionem cum tali ordine, quali obiecta mandata sunt memoriæ. Vnde in forma responderi potest neg. anteced. pro vtraque parte & eius probationem: quia cum non semper cum eisdem accidentibus commendentur memoriæ obiecta, ideo non semper, licet sint causæ naturales, determinantur eodem modo ad occurrendum.

9. Secunda *Conclusio*, *intellectus agens & phantasma integrant vnam causam productiuam speciei intelligibilis quarum qualibet est vera causa efficiens, licet phantasma sit minus principalis.* Est expressa sententia Scoti 1. d. 3. quæst. 8. num. 3. Sed aduerte, duplex esse phantasma, impressum & expressum, illud est species phantastica ab obiecto phantasiæ impressa; hoc vero actualis sensatio phantasiæ, quam mediante illo impresso elicit. Conclusio intelligitur de expresso: quia phantasia non determinat intellectum, siue concurrat efficiendo siue non, nisi operando seu phantasiando. Probatur conclusio à priori: principium vnius rationis non potest esse causa totalis assimilandi se variis & diuersæ rationis obiectis; sed intellectus per singulorum species assimilatur talibus obiectis: iuxta illud Aristot. *Intellectus agentis est omnia facere, & possibilis omnia fieri*, ergo non est causa totalis speciei intelligibilis, per quam assimilatur obiectis, atque adeo ipsa phantasia concurrit etiam cum ipso efficienter.

10. Respondet noster Cauellus ad quæst. 17. de anima, sufficienter determinari intellectum, per hoc quòd phantasma præbeat ipsi materiam seu exemplar ad efficiendam speciem. Et per hoc (inquit) concurrere materialiter seu exemplariter, non vero effectiue. Sed contra, si iste modus exemplariter causandi consistit solùm in hoc, quòd ad operationẽ phantasiæ

ſequatur operatio intellectus, ad quod ſufficit ratio potentiarum in eadem anima, vt ipſe explicat in tertia concluſione, & non eſt opus influxu obiecti vnius potentiæ in operationem alterius, ſequitur *Primo*, ſpeciem ſenſus externi (intellige expreſſam) non concurrere effectiue cum ſenſu interno ad operationem ipſius ſenſus interni, cuius contrarium probauimus ſupra diſp. 2. q. 2. & conſequenter obiectum non eſſe cauſam efficientem notitiæ genitæ contra communem ſententiam. *Secundo* ſequitur, quod ſi ſolus intellectus eſt potens producere ſpeciem intelligibilem, poterit etiam & intellectionem ſine ſpecie aut obiecto: non enim vrgeret maior ratio ad vnum, quàm ad aliud: quod eſt falſum & contra illud commune ſumptum ex D. Auguſt. *Ab obiecto & potentia paritur notitia.*

Sed obiicies, agens imperfectius non attingit effectum perfectiorem ſe, neque agens corporeum effectum ſpiritualem, ergo phantaſma non attingit effectiue ſpeciem intelligibilem quæ eſt quid ſpirituale & illo perfectius: ℞. anteced. eſſe verum de agente totali, non partiali, vt in propoſito: nam licet omne obiectum ſenſibile, omniſque ſpecies ſenſibilis imperfectior ſit ſenſatione: quia hæc eſt actus vitalis, vtrumque tamen vel alterutrum ad eam concurrit; imo Scotus 2. d. 3. q. 11. n. 13. docet, corpus vt cauſam minus principalem agere in ſpiritum: vt comproducendo ſpeciem in intellectu Angeli. Item quia ſpecies vt ſpiritualis eſt correſpondet intellectui, & eo quod repræſentet obiectum, correſpondet phantaſmati. Manet ergo ab vtroque tanquam à cauſis partialibus effici.

QVÆSTIO III.

Ad quos actus; & quorum obiectorum dentur ſpecies in intellectu?

11. PRima concluſio, *Ad actus apprehenſionis, item & ad iudicium de re apprehenſa dantur ſpecies in intellectu.* Probatur quoad primam partem, quia apprehenſio eſt primus actus intellectus, ergo ſi ad aliquem actum requirantur, vt requiri probatum eſt, maxime ad apprehenſionem: patet conſeq. quia ad illam, cum ſit prima, non poteſt alius actus munus ſpeciei exercere; ſed neque ipſum obiectum immediate, ergo ſpecies illius. Probatur etiam quoad ſecundam partem, quia actus iudicij etiam eſt imago expreſſa obiecti, ergo ad tale datur etiam ſpecies intelligibilis. Quod ſi dicas, apprehenſionem deſeruire loco ſpeciei ad iudicium, atque adeo non eſſe neceſſariam ſpeciem ad illud. ℞. quòd producere cognitionem loco obiecti eſt proprium munus ſpeciei, quare cum illa adeſt, non debet id tribui alteri cauſæ; hic autem adeſt ſpecies concurrens ad apprehenſionem, quæ ſufficienter continet repræſentationem obiecti factam in iudicio: nam totum quod iudicatur de obiecto, apprehenſum eſt prius, ergo ad iudicium concurrit ipſa ſpecies apprehenſionis. Et idem omnino dicendum exiſtimo de ſpeciebus requiſitis ad efficiendas præmiſſas & ad aſſenſum concluſionis: ſpecies enim vtriuſque præmiſſæ concurrit ad aſſenſum concluſionis.

12. Secunda concluſio. *Intellectus noſter ex natura potentiæ, & ſublata imperfectione huius ſtatus poteſt cunctarum rerum creatarum ſiue ſenſibilium ſiue nō, ſiue ſingularium ſiue vniuerſalium, ſiue naturalium*

naturalium siue supernaturalium species intelligibiles habere. Probatur quia, hæc omnia sunt naturaliter intelligibilia & cadunt sub obiecto adæquato intellectus, vt infra vibebimus; sed omnis potentia naturalis non impedita potest naturaliter moueri à quocumque contento sub suo obiecto adæquato, ergo &c.

13. Tertia conclusio, *Intellectus noster pro hoc statu non potest acquirere speciem propriam, atque adeo nec proprium conceptum substantiæ.* ita habet Scotus 1. d. 3. q. 3. n. 9. & d. 22. q. 1. & q. 1. prologi. Ante probationem conclusionis oportet notare *primo*, intellectum nostrum ita dependere à sensibus in cognoscendo pro hoc statu, vt nihil possit cognoscere, nisi quod sensus percipit. (Vnde autem oriatur ista dependentia, an ex peccato vel ex natura & subordinatione potentiarum, dubium est apud Scotum q. 8. de anima, lege ibi Cauellum & Poncium hic q. 6.) Cum autem sensus solum percipiat accidentia materialia, & non substantias vel accidentia immaterialia; hinc oritur dubium: quomodo pro hoc statu cognoscat intellectus substantias & accidentia immaterialia? supponitur enim quod aliquo modo ea cognoscat: alias non possemus disputare de illis.

14. Notandum *secundo*, quod cum in vna re multæ rationes formaliter vel virtualiter contineantur: vt in homine ratio animalis, viuentis, rationalis &c. In albedine ratio entis, qualitatis, coloris &c. Hinc duplex est modus assignandi speciem, vel quod vna species v.g. hominis possit producere singulorum intellectionem; vel quod species obiecti totalis producat postea illas species partiales singulorum graduum, quibus intellectus, cum sit abstractiuus, vti potest ad libitum nunc vnius gradus tantum, nunc alterius cognitionem producendo. Ex hoc sequitur, quod intellectus cum specie entis potest producere solam cognitionem entis, ita tamen vt non vtatur specie albedinis. Habens igitur cognitionem entis potest per aliam speciem rationem accidentis concipere; & quia per affirmationem cognoscitur negatio, saltem tamquam per terminum, potest per speciem accidentis cognoscere negationem actualis & aptitudinalis inhærentiæ. Deinde potest huiusmodi duos conceptus coniungere cognoscendo ens non inhærens actu vel aptitudine, & in huiusmodi conceptibus compositis intellectus concipit substantias & non aliter pro hoc statu. Aduerte tamen quod licet substantias & alia immaterialia pro hoc statu tantum concipiamus per istos conceptus complexos, non tamen intendimus per illos exprimere entia sic complexa, sed vnam certam & determinatam essentiam.

15. Nota *tertio*, conceptum dici proprium dupliciter *primo*, ita vt huic rei & non alijs conueniat, & in hoc sensu habemus etiam de Deo conceptum proprium scilicet entis infiniti, summi boni &c. De quo videndus Scotus 1. d. 3. q. 2. *Secundo* dicitur proprius quando ab ipsa re immediate vel ab eius propria similitudine absque negatione vel analogia ad aliud habetur. Et in hoc sensu debet intelligi, quod sola accidentia sensibilia proprijs conceptibus cognoscuntur; alia vero, esto materialia sint, minime. His prænotatis,

16. Probatur iam nostra conclusio, potentia cognoscens aliquod obiectum sub propria ratione & in proprio conceptu potest illud discernere à quocumque diuerso: propterea visus cognoscens album vt album discernit

ſcernit ipſum à nigro; ſed pro ſtatu iſto nequit intellectus noſter diſcernere ſubſtantiam à non ſubſtantia, ergo non habet propriam ſpeciem, atque adeo nec proprium conceptum de ea. probatur mi. quia alias cognoſceret abſentiam ſubſtantiæ, & ſic naturaliter cognoſceret abſentiam panis in Euchariſtia; ſed hoc eſt falſum, ergo. ma. fundatur in Ariſtot. 1. de Anima, vbi dicit, quod viſus eſt tenebræ perceptiuus, quando ſcilicet lux non adeſt.

Reſpondebis forte, iſtam rationem procedere de cognitione intuitiua, non de abſtractiua: quia hæc ſtat ſine præſentia reali obiecti. Sed contra, cognitio abſtractiua ſupponit realem præſentiam cogniti aliquando habitam, à qua relinquitur ſpecies, per quam poſtea in abſentia cognoſcitur, & qui vidit ſolum hoſtiam conſecratam, non habuit realem præſentiam panis, & tamen eodem modo ſe habet quoad notitiam abſtractiuam panis in Euchariſtia, ac alius qui vidit hoſtiam non conſecratam, ergo ratio procedit de vtraque notitia.

Probatur *ſecundo* Concluſio, nulla cognitio haberi poteſt pro hoc ſtatu de ſubſtantia, niſi mediante accidente ſenſibili: vt paſſim docet Philoſophus; ſed accidens non poteſt repræſentare diſtincte & formaliter ſubſtantiam: alioquin eſſet eius ſpecies intelligibilis; neque virtualiter vel eminenter: quia ſic non continet ſubſtantiam: nam ſicut ſe habet res ad eſſe, ita ad cognoſci, ergo nunquam haberi poteſt propria ſpecies, atque adeo nec formari proprius conceptus ſubſtantiæ pro hoc ſtatu.

17. Obiicies Ariſtot. 7. Metaph. cap. 4. vbi dicit ſubſtantiam eſſe priorem accidenti in entitate & cognoſcibilitate, ergo non dependet in cognoſci ſubſtantia ab accidentibus. Reſpond. ſubſtantiam eſſe priorem, quatenus poteſt eſſe, cognoſci, & definiri abſque accidenti (ſic intelligit Philoſophum Scotus 2. d. 3. q. 4. n. 5.) non verò quod in ſimplici intellectione prius nobis occurrat ſpecies ſubſtantiæ, quam accidentium. Imo 2. de anima dicit, prius nos cognoſcere ſenſibilia. Vnde ortum habet axioma: *Nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu.*

QVÆSTIO IV.

An, & quo modo intellectus noſter pro hoc ſtatu cognoſcat ſingularia?

18. Svppono ex Scoto 7. Metaph. q. 15. & q. 22. de anima, vbi pulchra habet pro hac quæſtione, ſingulare ſecundum ſe eſſe intelligibile ab intellectu noſtro: habet enim propriam entitatem atque adeo intelligibilitatem. Item etiam pro hoc ſtatu eſſe à nobis intelligibile: nam *inductio* vna ex ſpeciebus argumentationis eſt proceſſus à ſingularibus ad vniuerſalia, ergo ad talem diſcurſum efficiendum cognoſcit intellectus noſter ſingularia. Quo modo autem cognoſcat? vertitur in dubium. Pro quo.

19. Notandum, ſingulare poſſe dupliciter conſiderari *primo* proprie & ſic ſumitur pro natura contracta per principium indiuiduationis, abſtrahendo ab accidentibus ſenſibilibus. vt ab *hic* & *nunc*, *tanta quantitate* & *talibus qualitatibus*. *Secundo* impropriè pro natura determinata certis accidentibus ſenſibilibus v. g. natura humana habente talem vel talem figuram, tales vel tales colores. His præmiſſis,

20.

20. Sit nostra conclusio, *Singulare non cognoscitur ab intellectu nostro pro hoc statu sub propria ratione singularitatis; sed tantum cognoscitur in quantum cognoscit intellectus vnum aggregatum talium conditionum accidentalium & non aliarum*, ita Scotus supra & alibi pluries citatus à Cauello q. de anima citata. Probatur, si intellectus noster pro hoc statu cognosceret singulare qua tale & per propriam cognitionem, ergo posset discernere inter duo indiuidua eiusdem speciei, seclusо quocunque alio extrinseco; sed hoc est falsum, ergo probatur ma. quia habens propriam cognitionem rei, potest illam vt distinctam à quocumque alio cognoscere, ergo habens propriam cognitionem singularis, qua tale est, potest ipsum vt ab alio distinctum cognoscere: patet conseq. quia singulare qua tale includit principium sui distinctiuum ab alio, ergo hoc indiuiduum cognitum vt hoc, cognoscitur vt distinctum ab alio. Falsitas consequentis probatur, quia intellectus noster pro hoc statu non potest discernere inter duo oua eiusdem coloris, magnitudinis & figuræ posita in eodem loco simul vel successiue, nec inter duos radios Solis positos in eodem medio. Et hanc rationem confirmat argumentum adductum q. præced. de cognitione hostiæ consecratæ & non consecratæ.

21. Cognoscitur ergo singulare pro hoc statu (& sit probatio secundæ partis conclusionis) in quantum intelligitur aliquod indiuiduum signatum: quia est hic & nunc & in tali figura, colore, magnitudine &c. *Sicut enim res ipsas intelligimus* (inquit Scotus supra quæstio. 22. de anima numero 8.) *Sic significamus & exprimimus aliis; sed conceptum singularis signati nullo alio modo exprimimus, quàm prædicto modo; nec alios aliter scimus docere: vnde dicimus: sortes est vnus homo albus, crispus, longus* &c. habemus ergo pro hoc statu de singularibus cognitionem certam non physice, sed solum moraliter: quia scilicet hæc accidentia huius singularis, licet possint alteri inesse, & propter hoc non habeamus certitudinem physicam de illo, tamen verisimile est, quòd hæc omnia æqualiter non conueniant alteri.

Obiicies *Primo*, singulare materiale non est intelligibile, nisi vt abstrahit à materia, ergo in solo vniuersali est intelligibile: hæc est opinio Thomistarum communiter: ℞. dist. anteced. nisi vt abstrahit à materia idest à differentia indiuiduali neg. anteced. nisi vt abstrahit à materia, idest à materialitate phantastica & sensitiua, transeat anteced. Itaque singulare materiale vt proportionatum intellectui, qui est spiritualis, debet per speciem spiritualem abstrahi à phantasmate, & ista est abstractio eius à materia. Idem dico de cognitione cuiuslibet alterius rei materialis lege Scotum q. de anima citata.

Obiicies *Secundo*, species impressa ab obiecto repræsentat illud, sub ea ratione, qua imprimitur; sed species intelligibilis causatur ab obiecto, qua singulare est, ergo repræsentat illud, qua singulare est mi. patet, quia actiones sunt singularium: ℞. dist. mi. causatur ab obiecto sub ratione singularis tanquam conditione agendi conced. mi. tanquam ratione formali seu principio agendi neg. mi. & cum dicitur, quòd actiones sunt singularium, sensus est quòd principium agendi debet esse prius singulare seu contractum, quàm agat, non vero quod ipsa singularitas sit ratio agendi.

Obiicies *Tertio* ex Aristot. sensus est singularium & intellectus vniuersalium, ergo intellectus non cognoscit singularia: ℞. neg.conseq. & sensus axiomatis est, quòd sensus sit singularium, quatenus solùm singulare intuitiue cognoscitur; intellectus vero vniuersalium, quia cognoscit siue res existat, siue non.

Dubium

22 Inquires, *Quodnam sit primum cognitum intellectus nostri inter vniuersaliora?* Et dubiũ est non de diuersis obiectis nullum ordinem aut subordinationem dicentibus inter se, quæ possunt cognosci ab intellectu nostro: vt colore, sono, albedine & dulcedine; sed de variis conceptibus inter se subordinatis, qui possunt haberi de eadem re: verbi gratia cum de Petro potest haberi conceptus, quòd sit homo, quòd sit animal, quòd sit ens &c. Propterea dixi *inter vniuersaliora.*

Pro quo nota, duplicem esse processum in cognitione, vnus est cognitionis confusæ: qua scilicet res cognoscitur in suo vniuersali, vt quando cognoscitur homo & equus in animali, quod potentia tantum & confuse continet illa; vel qua cognoscitur res, vt per nomen exprimitur, quod non indicat rem per partes essentiales. Alius est processus cognitionis distinctæ, qua res cognoscitur per partes essentiales quibus constat. Nunc Resp. primum cognitum in ordine cognitionis distinctæ esse vniuersalissimum, nempe ens, & suo ordine quæ vniuersaliora sunt, sunt priora; primum vero cognitum in ordine cognitionis confusæ esse speciem specialissimam, & inter species specialissimas illa, cuius singulare fortius mouet sensum. Probatur prior pars quia nihil concipitur distincte, proprie & in rigore loquendo, nisi concipiantur omnia essentialiter contenta in eo; sed ens essentialiter continetur in omnibus inferioribus, sicut & reliqua vniuersalia in suis particularibus & inferioribus, ergo particularia non cognoscuntur distincte nisi prius cognoscantur vniuersalia, atque adeo nulla res sub ente cognoscitur distincte, non concepto ente; ens autem quia indiuisibile & simplex est, non potest concipi nisi distincte, ac proinde quia vniuersalissimum erit primum cognitum cognitione distincta. Posterior pars sic probatur ex Scoto 1.d.3. q.2. n.21. quia causa naturalis non impedita producit primò perfectissimum effectum, quem potest: quia semper agit secundum vltimum potentiæ; sed intellectus cum specie vel obiecto concurrente est talis causa, ergo producit primò intellectionem speciei specialissimæ fortius mouentis, id est cuius singulare fortius mouet sensum; talis autem cognitio est perfectissimus effectus, quem potest producere in ordine cognitionis confusæ, ergo &c. ita habet Scotus q.16.de anima.

Et confirmatur ex ipso ibidem: quia ideo Metaphysica ordine acquisitionis est vltima, quia eius principia & termini horum principiorum difficile à nobis cognoscuntur, ac per consequens non primo sed vltimo loco; principia vero aliarum scientiarum & eorum termini sunt faciliora, ac per consequens prius à nobis addiscuntur; sed termini principiorum Metaphysicæ sunt omnium vniuersalissimi: vtpote ens, substantia, accidens, bonum, verum &c. Termini vero aliarum scientiarum non ita vniuersales sunt, ergo signum est quod minus vniuersalia facilius, ac per consequens prius à nobis cognoscuntur.

QVÆSTIO V.

Quodnam sit obiectum adæquatum intellectus nostri?

23. ET si omnia illa, circa quæ potest intellectus versari, ipsa intelligendo, possint proprie appellari obiecta eius. Est tamen controuersia, quodnam ex pluribus, quæ possit concipere sit obiectum adæquatum ipsius? Ad modum quod id ipsum inquiritur de scientiis. Pro quo Notandum *primo*, obiectum intellectus esse duplex, motiuum & terminatiuum simul, & terminatiuum tantùm, primum est quod terminat & suo modo causat cognitionem, secundum tantum terminat intellectionem, non mouendo intellectum ad illam; vt omnis creatura respectu diuini intellectus.

Notandum *Secundo*, obiectum intellectus adhuc esse duplex *adæquatum, & proportionatum*, illud est quod ita adæquat potentiā, vt in nihil extra illud tendere possit, & in omne contentum sub illo possit tendere, vt sonus respectu auditus. Et hoc iterum sumitur dupliciter, primo pro obiecto adæquato secundum virtutem, & est illud quod solum cum potentia potest concurrere ad, cognitionem omnium cognoscibilium ab aliqua potentia, quodque omnia cognoscibilia continet virtualiter vel eminenter: vt essentia respectu intellectus diuini. Secundo dicitur obiectum adæquatū secundum prædicationem, & est quod essentialiter prædicatur de omnibus obiectis potentiæ. Obiectum *proportionatum* est, in quod potentia potest tendere sine eleuatione, & hoc est duplex proportionatū ex natura potentiæ, in quod scilicet potentia sibi relicta potest tendere; Et proportionatum secundum hunc vel illum statum. Vtrumque obiectum tam adæquatum quam proportionatum dicitur esse naturale potentiæ in quantum neutrum excedit eius capacitatem, siue eleuetur siue non; diuersimode tamen: nam primum est naturale potentiæ secundum inclinationem, qua inclinatur ex se ad suum obiectum adæquatum & omnia sub eo contenta, licet aliqua egeat eleuatione. Secundum est naturale secundum attingentiam, quia potest suis viribus potentia sine eleuatione tendere in obiectum sibi proportionatum.

Notandum *Tertio*, intellectum nostrum posse varie considerari, *primo* in ratione potentiæ præcise. *Secundo* vt est separatus à corpore. *Tertio* vt coniunctus corpori mortali, & hoc iterum dupliciter ante & post lapsum. Et secundum hanc vltimā considerationem intelligitur, cum dicitur *intellectus pro hoc statu*, secundum alligationem videlicet ad phantasmata, quam forte pro peccatis incurrit ex stabili & infallibili lege Dei, qui status durabit, quādiu erimus in hac mortali vita: *quarto* denique sumitur, vt est coniunctus corpori glorificato.

24. Item suppono, non posse assignari aliquod vnum obiectum terminatiuum adæquatum intellectus nostri, quod sit taliter commune & comprehendat sub se omnia, quæ concipi possunt seu de quibus formare potest conceptum intellectus noster, vt prædicari possit de illis omnibus aut formaliter aut realiter: Et ratio est, quia intellectus æque potest concipere entia realia ac entia rationis; entia positiua ac negatiua, quæ cum nullam conuenientiam saltem æquiuocam habeant inter se (de quo in Metaph. disp. 2. q. 1.) nec etiam potest assignari aliquod ipsis tali communitate vnum pro obiecto

adæquato terminatiuo intellectus nostri. Igitur siue assignetur ens præcise, siue ens verum obiectum adæquatum intellectus, non nisi prædicto modo commune omnibus rebus ab ipso conceptibilibus assignatur. Comprehendit tamẽ aliquo modo illa: quia vel tanquam species aut quasi species, vel tanquã modos aut differentias, quibus aut ipsum aut cõtenta sub ipso contrahuntur & constituuntur siue Physice siue Metaphys. vel tanquam proprietates aut accidentia; vel tanqum aliquid sibi aut suis speciebus oppositum; qualia possunt dici entia rationis & negationes ac priuationes. His præmissis,

25. Sit prima conclusio, *obiectum adæquatum terminatiuum intellectus non est ens præcise, sed ens verum.* Est communior quam opposita contra aliquos Scotistas Poncium hic & alios. Et Notandum per ly *verum* debere intelligi *intelligibile seu conceptibile* ab intellectu sic cum dicitur veritas est passio entis idem est ac dicere intelligibilitas est passio entis: nam in nihil potest tendere intellectus, quod non sit verum; quod quidem tenet suo proportionali modo tam in ente incomplexo quam in complexo: sicut enim intellectus non potest tendere actu iudicatiuo, qui sit assensus nisi in obiectum complexum, hoc est propositionem quæ sit vera saltem apparenter, & actu dissensus, nisi in eam quæ sit falsa; sic nec potest tendere in obiectũ incõplexum actu simplici, qui sit apprehensio seu perceptio eius, nisi sit verum, hoc est intelligibile; nec opus est vt ens, non nisi vt verum, sit obiectum terminatiuum intellectus, quod ipsam intelligibilitatem cognoscat formaliter intellectus; sicut nec vt propositio, non nisi vt vera saltẽ apparenter, sit terminatiua assensus, opus est intellectũ cognoscere ipsã apparentiã veritatis formaliter loquẽdo. In quo minus attente Philosophatus est Poncius.

26. Ex hoc iam manet fere probata conclusio: quia veritas est talis passio entis, quod est obiectum *quo* & ratio sub qua transcendentalis eius quoad intellectum, ergo non ens vt ens, sed ens verum est obiectum adæquatum terminatiuum eius. Probatur anteced. quia veritas seu intelligibilitas se habet quasi quædam potentia, qua omne obiectum parit & causat notitiã sui: ad modum quo anima non intelligit obiectum nisi medio intellectu tanquam potentia & principio *quo*; ergo non ens præcisum, sed ens verum est terminatiuum intellectus.

Nec obstat si dicas *primo*, veritatem esse passionẽ entis atque adeo posse ipsum ens præcisum à veritate cognosci: sicut omne subiectum præcisum à sua passione, eo quod distinguãtur formaliter, quæ est doctrina indubitata in via Scoti. Non (inquam) obstat: quia sicut impossibile est animam intelligere nisi medio intellectu, quo non obstante intellectus est formalitas & passio seu potentia distincta formaliter ab anima sic impossibile est vllum obiectum parere notitiam sui (quod accommode intelligendum est vel de terminatiuo solum vel de terminatiuo & motiuo simul) nisi media intelligibilitate sua seu veritate transcendentali; quo non obstante intelligibilitas est formalitas & passio formaliter distincta ab ente: Et ratio vtriusque est, quia eo anima, non absolute sumpta sed vt intelligens id est medio intellectu intelligit, quia intellectus est principium *quo* & ratio cum *qua* tendit in obiectum; sic similiter ideo obiectum non secundum se, id est vt ens præcise, sed vt ens verũ seu intelligibile terminat intellectionem: quia intelligibilitas

bilitas est quasi principium & potentia eius & ratio sub qua est terminatiuum) intellectionis. Et idem omnino dicendum est de passione entis quæ est bonitas, idest appetibilitas eius, respectu voluntatis.

27 Nec obstat, si dicas *Secundo* cũ nostro Poncio, debere hic assignari obiectum intellectus secundum aliquam rationem, secundum quam posset quis per ordinem ad ipsum explicare essentiam intellectus & distinguere ipsum ab omnibus aliis potentiis cognoscitiuis. Quod non habetur ponendo obiectum intellectus ens intelligibile, quod quidem intelligi non potest, nisi intelligatur ipsemet intellectus: Nõ (inquam) obstat: quia præterquam quod minus habetur hoc intentum distinctionis intellectus ab aliis potentiis, ponendo obiectum eius ens præcisum, quale ponit ipse Pócius, vt de se patet; Sicut ipse & communiter omnes distinguunt quinque sensus externos penes sua obiecta, describendo & assignando ipsa taliter, quod non possint intelligi, nisi intelligantur ipsimet sensus: Describit enim obiectum auditus, quod sit qualitas illa quæ sentitur per aurem solum & sic de reliquis; ita similiter posset æque bene distingui intellectus ab aliis potentiis cognoscitiuis, ponendo obiectum eius ens verum seu intelligibile. Sed de hoc in Metaphysica disp. 5.

28. Sed Obiicies *primo* ex Scoto q. 20 de Anima vbi contrarium videtur tenuisse assertiue: Quód secundum propriam rationem intelligi potest, vt distinguitur ab alio, non intelligitur sub ratione eius, à quo distinguitur; sed bonum vt distinguitur à vero sub ratione propria boni potest intelligi, ergo non intelligitur sub ratione propria veri, atque adeo nó est *verũ* ratio terminatiua omnis actus intellectus. probatur mi. quia intellectus cognoscit differentiam inter rationem veri & rationem boni: ℞. quod quando cgnoscitur ratio veri vt distincta à ratione boni, & è contra, tunc ista ratio veri est obiectum materiale, quæ cognoscitur ab intellectu sub alia ratione veri tamquam ratione sub qua, quæ est conformabilitas obiecti cum intellectu. Vnde in forma. dist. mi. si consideretur tamquam entitas *quid*.. conced. mi. tamquam *qualis* neg. mi. sicut quando anima cognoscit intellectum suum, intellectus cognitus consideratur tamquam entitas *Quid*, & cognoscitur medio seipso tãquam entitate *Qua* seu *Quali* & principio *Quo*. Itaque tunc bonitas est obiectum *Quod*, & veritas seu intelligibilitas *Quo*, tunc distincta à veritate seu intelligibilitate tamquã obiecto *Quod*.

29 Nec oportet multum insistere auctoritati Scoti in hoc puncto: quia intentio eius, vbi hanc materiam attingit, semper fuit probare latitudinem obiecti intellectus respectu aliarum potentiarum inferiorum. Et hoc idem intendit 2. d. 24. Vbi habet, obiectum intellectus & voluntatis esse idem: nam certum est pro diuersis potentiis quales sunt intellectus & voluntas, diuersa obiecta specificatiua debere assignari. Nec obstat doctrina eius q. de Anima citata n. 6. vbi dicit, quod potentiæ subordinatæ in diuerso genere, quales sunt intellectus & voluntas, si sint adæquatæ in operatione, idest quod circa omne, in quod vna tendit, & alia operetur habeant idem obiectũ formale. Non (inquã) obstat: nam etiam fides & charitas supernaturales sunt facultates subordinatæ in diuerso genere, & adæquatæ etiam in operatione: Cum quidquid fide credimus, charitate diligamus, & tamen quælibet habet suum obiectum formale diuersum; Nec hoc vnquã negauit Scotus. Igitur mẽs eius

ſemper fuit tam intellectum quam voluntatem habere pro obiecto omne ens in tota ſua latitudine. Quod tamen debet intelligi quoad latitudinem potentiæ, non tamen quoad ſpecificationem attingentiæ in intellectu, aut quoad ſpeciales attingentias in voluntate, vt & magis conſtabit diſp. ſeq. vbi de obiecto voluntatis dicemus.

30. Obiicies *ſecundo*. Volitio eſſentialis in Deo terminatur ad eſſentiam præciſam. Item Beatus ſecundum Scotum videre poteſt de potentia abſoluta eſſentiam diuinam ſine perſonis. Et hoc protendunt Scotiſtæ, vt videat etiam ſine attributis; ſed vnum ex eis eſt veritas, item ſimiliter bonitas, ergo non eſt terminatiuum intellectus ens verum, ſed ens præciſum etiam à veritate. Et confirmatur ex Scoto 1. d. 13. q. 1. n. 23. vbi dicit, idem eſſe obiectum formale intellectus ac voluntatis Diuinæ, *ita quod vtraque potentia beatificatur in eodem obiecto primo ſecundum eamdem rationem formalem primi obiecti: nulla enim perfectio quaſi radicata in ipſa eſſentia Diuina eſt primo beatificatiua intellectus vel voluntatis Diuinæ, ſed ipſa eſſentia Diuina ſub omnimoda prima ratione, vt ſcilicet eſt fundamentum omnis perfectionis in Diuinis.* Reſpond. cognitionem & volitionem eſſentiales terminari quidem ad eſſentiam præciſam ab attributis, ab attributis inquam quæ non ſunt rationes ſub quibus talium operationum, quales ſunt veritas & bonitas tranſcendentales. (Quidquid ſit, an tales rationes ſint propriè attributa) tenet quidem ratio Scoti in intellectu & voluntate & reliquis virtutibus, quæ ſunt idem formaliter vel cum intellectu & voluntate, vel cum intellectione & volitione, ſi ſermo ſit de actibus earum. Vnde applicando rationem ſuperiorem poteſt dici, quod ſicut Deus non intelligit ſe per eſſentiam ſuam, ſed medio intellectu, quo non obſtante intellectus eſt formalitas diſtincta ab eſſentia; ſic eſſentia non terminat actum intellectionis nec volitionis eſſentialis niſi media veritate & bonitate tranſcendentalibus, quo non obſtante ſunt formalitates diſtinctæ ab eſſentia. Idem dici poteſt de viſione beatifica creata eſſentiæ ſine attributis. Quod verificatur in hoc, quod videat eſſentiam ſine intellectu & voluntate, iuſtitia, miſericordia &c. non tamen videat eſſentiam ſine veritate tranſcendentali, & fruatur ſine bonitate tranſcendentali, quæ eſt appetibilitas.

Ad auctoritatem Scoti reſponderi poteſt, quod nulla perfectio Diuina eſt primo beatificatiua vt *quod*, ſed ſolum eſſentia Diuina; non tamen vt *quo*. Quod apparet, quando dicit *ſecundum eamdem rationem formalem primi obiecti*: ideſt eſſentia Diuina ſemper vt obiectum *quod* eſt beatificatiua; quando vero dicit *ſub eadem prima ratione vt ſcilicet eſt fundamentum omnis perfectionis*, intelligendum eſt de omnibus perfectionibus, quæ non ſunt rationes *ſub quibus* Eſſentia terminat actus. Vel poteſt dici, quod loquitur de obiecto formali *quod*, non de ratione *ſub qua* ſeu obiecto formali *quo*. Qualem doctrinam habet Doctor in prologo, q. 1.

31. Ex hac concluſione infertur, obiectum adæquatum terminatiuum intellectus noſtri pro hoc ſtatu eſſe quodcumque ens ſiue ſpirituale ſiue materiale, ſiue ſenſibile ſiue inſenſibile & ita etiam pro hoc ſtatu concipimus obiecta ſpiritualia vt Deum & Angelos, atque adeo terminant cognitionem noſtram.

Quod ſi dicas, ea tantum intellectum noſtrum intelligere, quorum ſpecies

species producit intellectus agens; sed hic tantum producit species relucentes in phantasmate, quæ sunt sola sensibilia, ergo sola quidditas rei sensibilis est obiectum terminatiuum intellectus nostri. Respond. dist. ma. quoad primam abstractionem & operationem specierum à phantasmatibus conced. ma. quoad alias sequentes neg. ma. nam intellectus iam factus in actu primo per species intelligibiles potest abstrahere & componere intellectualiter & ita deuenire in cognitionem aliarum rerum.

32. Secunda conclusio, *Obiectum adæquatum motiuum intellectus nostri pro hoc statu nō est quidditas rei materialis, sed ens sensibile vt sic comprehendens omnia, quæ apprehendi possunt per sensus externos.* Hanc tenet noster Poncius hic n. 8. & citat pro ea Scotum. Est contra Thomistas vt Complutenses disp. 27. n. 24. Probatur *primo*, quia experientia constat, nos non moueri ab vllis rebus nisi sensibilibus, vt supra diximus iuxta illud commune: *Nihil est in intellectu quod non fuerit prius in sensu*; sed sic est quod nec quiditas rei materialis vt sic nec quidditas substantiæ materialis est sensibilis, ergo illa non est obiectum adæquatum motiuum ac proportionatum intellectus nostri pro hoc statu. Relinquitur ergo quod tale sit ens sensibile. Probatur mi. quia non cognoscimus quidditates rerum materialium substantialium nisi per discursum, sicut & etiam cognoscimus res spirituales vt Deum & Angelos, ergo illa quidditas nō minus erit extra obiectum adæquatum motiuum intellectus nostri, quā Deus & Angeli.

Aduerte tamen sensum conclusionis non esse, quod solum ens sensibile sensu externo moueat intellectum nostrū sic, quin aliquādo moueri possit ad intelligendum absque eo quod actu moueatur sensus vllus externus per sensibile aliquod: hoc enim esset manifeste falsum; nec etiam esse quod solum ens sensibile sensu externo aut etiam interno moueat immediate intellectum ad quamcumque cognitionem quam habet: quia quando cognoscit se habere cognitionem intellectualem cognitione reflexa, non mouetur immediate ad illam habendam per aliquid sensibile perceptum à sensu externo aut interno. Sensus igitur est quod ens sensibile sensu externo ita sit pro hoc statu obiectum motiuum intellectus, vt possit mouere ad intellectiones aliquas habendas per quodcumque ens sensibile sensu externo; & quod non possit moueri ad vllam intellectionem habendam absque motione aliqua vel præsenti vel præterita entis sensibilis.

33. Ex his infertur, quidditatem rei materialis multo minus esse obiectum motiuum adæquatum intellectus nostri ex natura seu ratione potentiæ, aut etiam in statu coniunctionis cum corpore. *Primum* patet: quia aliàs intellectus separatus: non posset moueri ab alijs obiectis nisi materialibus, quod est falsum: nulla enim apparet ratio, cur intellectus separatus non possit intelligere directe res spirituales absque dependentia vlla à rebus materialibus. Et per hoc patet, quod talis quidditas non sit obiectum intellectus pro statu separationis. *Secundum* etiam constat, quia aliàs intellectus Beatorum post resurrectionem non posset moueri ad intelligenda spiritualia directe absque dependentia à sensibilibus, nec possent videre clare ipsum Deum.

34. Tertia conclusio, *Obiectum adæquatum naturalis attingentiæ intellectus nostri pro hoc statu non bene assignatur esse omne ens non dicens ordinem ad supernaturale increatum; sed potius omne ens prout comprehendit sub se omnia, de* quibus

quibus intellectus noster pro hoc statu potest aliqualem formare conceptum. Hæc est etiam nostri Poncij hic n. 11. In qua ipse incidit etiam in inconueniens (si tale est) quod obiiciebat nobis ponentibus obiectum terminatiuum intellectus ens verum seu intelligibile. Est contra aliquos Scotistas, & posterior pars est clara probata priori, de qua est controuersia. Probatur autem sic; quia si loquamur de cognitione confusa siue simplici siue indicatiua, certum est quod possimus cognoscere ipsum Deum & Trinitatem, ac vnionem hypostaticam, quæ dicit ordinem ad quid supernaturale increatum & infinitum nempe ad personalitatem Verbi, quæ est sine dubio quid supernaturale & infinitum. Si vero loquamur de cognitione distincta & propria, qua viderentur res intuitiue aut abstractiue conceptu proprio & non causato ex aliarum rerum conceptibus, non minus certum est, quod sic non possimus cognoscere Angelos, animas aut substantias, quam vnionem hypostaticam aut aliud supernaturale huiusmodi. Male ergo ponitur prædictum obiectum.

55. Quod si dicas, posse quidem nos concipere Deum Trinum & etiam vnionem hypostaticam, non tamen naturaliter, atque adeo non sequi, quod huiusmodi obiecta sint intra sphæram naturalis attingentiæ. ℞. neg. anteced. quia attinguntur naturali cognitione: vt patet in hæreticis, quorum aliqui credunt Deum Trinum & Incarnatum, cum tamen non habeant cognitionem supernaturalem.

Sed dices, illa solum possunt naturaliter attingi, quæ possunt attingi viribus naturæ absque auxilio vllo supernaturali extrinseco aut intrinseco; sed licet aliquis possit concipere Trinitatem aut aliud huiusmodi intelligibile pro hoc statu absque auxilio supernaturali intrinseco, non tamen absque extrinseco: quia non posset cognoscere Trinitatem aut Incarnationem absque reuelatione particulari Dei, quæ etiam est auxilium supernaturale, ergo. ℞. neg. mi. quia potest quis absque reuelatione cognoscere quæcumque potest pro hoc statu per reuelationem aliquo genere cognitionis: nam si possumus ex speciebus desumptis à rebus materialibus formare nobis aliquales conceptus Chymerarum & rerum impossibilium, non mirum est quod formaremus nobis quoscumque conceptus, qui ex illis speciebus formari possunt; atqui omnes conceptus, qui pro hoc statu haberi potest per reuelationem est conceptus formabilis ex illis speciebus: neque enim alias species pro hoc statu habemus, & est conceptus possibilis, ergo posset formari ex illis speciebus absque reuelatione.

Quod si instes, posse quidem formari conceptum de Trinitate & quibuscumque alijs mysterijs fidei absque reuelatione; non tamen posse haberi cognitionem vllam de illis absque reuelatione, quæ habeat certitudinem aut probabilitatem. Sed contra, quia præter quam quod hoc non est contra conclusionem nostram, quæ solum asserat posse haberi naturaliter aliqualem cognitionem vel conceptum de huiusmodi obiectis; adhuc posset quis habere cognitionem tam certam de illis, ac habet de multis alijs rebus: nam posset habere cognitionem fidei humanæ prudentem de ipsis: vt si quis vir doctus & alias bonus conciperet Deum esse Trinum, & proponeret hoc alteri tamquam verum, prudenter crederet alter ipsi, & sic haberet fidem humanam prudentem de illo mysterio, absque reuelatione supernaturali: quod est intentum.

QVÆSTIO VI.

Quidnam sit formaliter intelligere; seu in quo consistat formalis ratio intelligendi?

36. DVplicem sensum pôtest habere hæc quæstio; *primum* in quo genere seu prædicamento ponatur intellectio? *Secundum* in quo munere intellectus ex tribus, quæ assignat Scotus 1.d 39.n. 21. potentiæ operatiuæ, consistat formaliter eius intelligere? Et aduertendum quod quæcumque ex his resoluerimus, cum proportione applicanda sunt actibus reliquarum potentiarum sensitiuarum & appetitiuarum.

Et circa primum nota ex Scoto quodlib.13. n.24. & 1.d.3.q.6. n.21. solum posse esse dubium, vtrum intellectio pertineat ad prædicamētum actionis, passionis vel qualitatis? nam tria hæc videntur interuenire in intellectione nostra ex Scoto ibid. Plures sententias refert noster Pōcius hic, quas specialiter & sigillatim proponere aut referre omitto, tum quia aliquæ sunt ex antiquis, & quarum non est vsus in scholis; tum etiam quia dum fundamenta nostræ sententiæ apponamus, reliquas refutabimus, & dum argumenta contra ipsam proponamus, quibus rationibus oppositæ innitantur, & qui sint earum auctores, insinuabimus. Sit ergo,

37. Prima conclusio, *Intellectio nostra neque est actio, neque passio, sed est formaliter qualitas vitalis; non quidē quæ se ipsa producatur ab intellectu sine actione, sed potius quæ media actione (quæ appellatur dictio) producitur.* Est Scoti locis supra citatis. Quem sequuntur discipuli & Arriaga hic disp.6.n.37. qui & plures alios pro ea citat. Probatur quoad primam partem ex Scoto supra. Quia intellectio est vltima perfectio intelligentis, qua intellectiuus est; ergo non consistit in actione productiua termini (& eadem ratio est de passione.) antecedens est certum, quia eo ipso, quo intelligitur intellectus reductus ad actum secundum perfectum intellectionis alicuius obiecti, licet nihil aliud intelligatur aduenire ipsi, intelligitur vltimate complexi in ordine ad tale obiectum. Probatur conseq. quia nulla actio de prædicamento actionis productiua termini potest esse aut intelligi vltima perfectio rei, cuius est: quia omnis talis ordinatur ad terminum per ipsam producendum, qui terminus si perficiat agens, erit potius vltima perfectio eius, quam ipsamet actio ad ipsum terminata: vt patet; si vero non perficiat agens, tunc nec actio erit perfectio agentis, sed potius erit perfectio illius, quod recipit terminum productum, aut ipsiusmet termini producti, si producatur in se ipso.

38. Probatur quoad secundam partem, quia non possunt negare cōtrarij, per talem actionem produci qualitatē aliquam; sed hæc est similitudo expressa obiecti & conceptus formalis ipsius; & nihil aliud prorsus requiritur ad rationem formalem intellectionis præter illud, quod requiritur formaliter ad illā similitudinem & conceptum, ergo sola illa qualitas est intellectio: actio enim & passio licet requirantur ad ponendā illam qualitatem in esse, non tamen tamquam quid pertinens formaliter ad illam similitudinem, atque adeo non sunt intellectio nec de ratione formali eius, sed hæc est sola qualitas. Quod confirmatur ex intellectione formali in Diuinis, in qua, etsi in ratione formali intellectionis conueniat cum nostra, nulla actio interuenit: cum Deus tali intellectione se intelligat, & tamen nihil per illam producat.

39. Probatur quoad tertiam partem, quæ est contra Auersam hic q. 75. sect. 3. quia si hæc qualitas se ipsa egrederetur ab intellectu absque actione distincta, non posset produci absque concursu intellectus à Solo Deo; nec qualitas illa quæ est in vno intellectu, posset poni in alio; sed hoc videtur falsum (vt & inferius probabimus) quia nulla apparet ratio tam necessariæ connexionis inter intellectum & illam qualitatem absolutam, quæ est similitudo expressa obiecti. Et confirmatur, quia calor non egreditur se ipso ab igne, aut quodcumque aliud accidens à subiecto, à quo producitur, ergo neque intellectio, anteced. admittitur à contraria sententia probatur conseq. quia ideo hoc dicitur de intellectione: quia alias multiplicarentur entia sine necessitate: nam non est implicantia, quòd intellectio se ipsa absque actione superaddita egrediatur aut producatur ab intellectu; sed eodem modo posset dici, quòd non sit implicantia, quod calor se ipso egrediatur à quocumque subiecto, à quo producitur, ergo potest dici, quod egrediatur se ipso; aut si hoc non dicatur, nec de intellectione debet dici, quòd egrediatur se ipsa.

Deinde quia est contra D. August. 9. de Trinitate cap. 7. vbi dicit: *Quod conceptum & veracem notitiam tanquam verbum apud nos habemus, & dicendo intus gignimus*, ergo datur dictio quæ est actio media qua producitur verbum, quæ est intellectio. Quod & confirmatur amplius ex eo quod emanatio verbi à nostro intellectu non potest nec debet esse magis intima quàm emanatio Verbi diuini ab intellectu Patris; sed hoc verbum producitur per dictionem seu generationem ab eo distinctam ergo & nostrum verbum. Denique probatur tam ex parte agentis & passi, quàm ex parte termini: ex parte quidem agentis quia intellectus verè producit intellectionem, ergo media actione: nam actio ex dictis in Physica est fieri termini, & non datur factum esse quin præcedat fieri. Ex parte passi, quia dum intellectus recipit qualitatem patitur & mutatur, ergo mediat actio: nam non est passio sine actione neque è contra. Et etiam ex parte termini: nam terminus productus est verbum; sed de ratione verbi est, quòd inter illud & loquentem mediet dictio aut loquutio, ergo semper mediat actio.

Dices cum Vasquez, hoc esse falsum: nam si quis interrogatur quid dixisti? Non respondebit, dixi qualitatem, sed dixi rem, ergo dictio non est productio intellectionis: ℞. ex Scoto 1. d. 27. quòd in intellectione & est esse qualitatem & est esse talem scilicet verbum, sic in dictione & est esse productionem qualitatis & est esse dictionem verbi medio, quo res intelligitur & aliquo modo dicitur: nam quando interrogatur quid dixisti? non interrogatur de termino producto, sed de obiecto manifestato. Vbi pro equiuocatione vitanda aduerte ly *loquutio* dupliciter accipi, primò pro actione & sic non est verbum, sed est prolatio loquutionis. Secundò pro ipso verbo, quamvis vulgò non dicatur verbum loquutio; quod parum interest Philosopho inuestiganti veritatem, vnde loquutioni in sensibilibus primo modo sumptæ correspondet dictio in intellectu, quæ est actio media qua producitur intellectio, quæ est verbum & correspondet loquutioni secundo modo acceptæ.

40. Obiicies *Primo* pro opposita sententia, quam tenent plures Thomistæ asserentes intellectionem esse actionem; Arist. 10. Ethicor. c. 3. dicit felicitatem,

citatem, quæ est contemplatio, non esse qualitatem, sed actionem; & sæpe etiam enumerat intellectionem inter actiones vt 9. Metaph. cap. 7. vbi diuidens actiones in transeuntes & immanentes, inter has enumerat intellectionem, ergo est actio: ℞. *Primo* cum Scoto quodlib. 13. n. 29. quòd Aristot. loquitur de fieri intellectionis, quod est dictio & actio, & non est qualitas: ℞. *Secundo*, quòd Aristot. ait, non esse qualitates in esse quieto, sed fluxas dependentes à continuo fluxu potentiæ. Quam expositionem colligit Scotus ex eo quòd Aristoteles redarguebat dicentes, non posse delectationem esse bonum, & probabant hoc argumento: *omne bonum est qualitas habens esse quietum, sed delectatio non est bonum habens esse quietum ergo delectatio non est bona.* Ad quod respondet neg. ma. nam intellectio seu contemplatio est bona & non est qualitas, intellige *habens esse quietum.*

Ad aliud de diuisione actionis ℞. ex Scoto 1. d. 3. quæst. 6. num. 35. & quodlib. citato n. 27. Aristot. loqui de actione grammaticali, vt est intellectio, quæ licet sit qualitas, vocatur actio propter similitudinem quam habet cum actione: vtraque enim dependet in esse & fieri à sua causa proxima, vtraque etiam habet terminum, calefactio calorem, intellectio rem intellectam; solum distinguuntur, quòd transiens habet terminum productum per ipsam, immanens non habet talem terminum. Quare talis diuisio est æquiuoci in æquiuocata: nam actio transiens est vera actio, immanens vero est qualitas. Addit Scotus quòd si diuisio sit in transeuntem, cuius terminus subiectatur in passo & in immanentem cuius terminus subiectatur in ipso agente: verbi gratia in calefactionem, cuius terminus est calor; & in dictionem cuius terminus est intellectio, diuisio est vniuoca; sed prima diuisio (inquit Scotus) est magis ad mentem Philosophi propter rationem, quam ibi adducit.

41. Obiicies *Secundo* cum Complutensib. hic disp. 21. q. 14. vbi præfatam sententiam modificant dicentes, dictionem non esse aliam operationem ex æquo distinctam ab intellectione, sed esse ipsammet intellectionem cum modo quodam seu formalitate modali superaddita, quem modum ponunt, non vt producatur ipsamet intellectio, sed potius vt intellectio producat verbum, ita etiam Montesinos & plures alij ex fidelioribus Thomistis. *Obiicies* (inquam) verbum procedit à notitia rei intellectæ, ergo ab intelligere, probatur anteced. *Primo*, quia hoc ipso quod nihil intelligatur, nihil potest intellectualiter dici, ergo procedit ab intelligere. *Secundo* quia præcise per hoc, quod producatur verbum, habet res intellecta esse intellecta, ergo verbum procedit ex notitia rei intellectæ. *Tertio* quia de ratione verbi mentalis est, quod procedat ab intellectu tanquam terminus suæ operationis; sed operatio adæquata intellectus est notitia rei intellectæ, ergo. *Quarto* quia verbum diuinum procedit ex cognitione essentiæ diuinæ, ergo & verbum creatum procedit ex aliqua cognitione: ℞. neg. anteced. nam potius verbum est ipsa notitia rei cognitæ. Ad *primam* probat. neg. conseq. quia non ideo nihil dicitur, si nihil intelligitur, quod id quod dicitur procedit ab intelligere, sed quod id quod dicitur; sit ipsa intellectio. Ad *secundam* neg. etiam conseq. nam ideo res intellecta habet esse talis præcise per hoc quod producatur verbũ, quia ipsũ verbum est intellectio. Ad *tertiam* dist. ma. tanquam terminus suæ operationis, quæ est dictio seu actio

productiua intellectionis & notitiæ genitæ conced.ma.tamquã terminus operationis, quæ est qualitas neg. ma. & dist. etiã mi.operatio quæ est qualitas conced. mi. operatio quæ est dictio seu actio productiua intellectionis neg. mi. Ad *Quartam* dist. anteced. tamquam ex ratione formali producendi, nego tanquam ex aliqua perfectione præsupposita necessario, transeat. Et hinc neg. conseq. quia ad verbum creatum non debet præsupponi notitia, neque tamquam ratio formalis, neque tamquam perfectio necessario competens supposito ante productionem verbi; Illa autem notitia præsupposita in diuinis ante productionem verbi, est notitia essentialis improducta, quæ neque est via ad aliquam terminum producendum, neque est terminus aliqua actione productus, sed est quid improductum. De quo in Theologia tractat. de Trinitate.

42. Obiicies, *tertio*, Intellectio nihil aliud est nisi actus intellectus dicens ordinem ad rem intellectam; sed actio productiua verbi dicit hunc ordinem, ergo actio & intellectio sunt idem; Probatur mi. quia sicut verbum dicit ordinem ad rem intellectam, sic productio verbi dicit eumdem ordinem, vnde sicut verbum dicit duplicem respectũ vnum ad rem intellectam, alterum ad dicentem, sic productio verbi dicit duplicem respectum, vnum ad rẽ intellectam, alterum ad verbum productum, ergo vna & eadem res dicitur dictio, quatenus respicit verbum, & intellectio, quatenus respicit rem intellectam, & sic dicto & intellectio sunt idem. Et confirmari potest ex his, quæ diximus in Physicis disp. 3. q. 2. vbi eadem res realiter secundum diuersos respectus aut formalitates denominatur actio, passio & motus, ergo sic similiter in præsenti. ℞. verum esse, dictionẽ dicere respectum ad obiectum, sed non immediate, sed potius mediante intellectione & verbo, & sic propter illum respectum non erit formaliter intellectio, sed causaliter, causat enim intellectionẽ, quæ formaliter est significatio & repræsentatio obiecti. Ad confirmat. dico, quod paritas tenet quantum ad dictionem quæ cum sit actio, qua producitur intellectio, est fieri ipsius intellectionis, in qua tamquam in quadam realitate reperiuntur tres illæ denominationes & respectus; sed non ob hoc confundi debet in eadem realitate dictio cum intellectione in facto esse, quæ est terminus productus per dictionem, & de qua est controuersia.

43. Obiicies *quarto*, Actio est actus agentis vt agens est, sed intellectio est actus intellectus vt agens est, ergo intellectio est actio: Et confirmatur quia intellectio est vita in actu secundo, ergo includit actionem, per quam qualitas prædicta producitur; probatur conseq. quia vita in actu secundo, est id, quod facit viuens in actu primo viuere formaliter in actu secundo? sed vel actio qua producitur illa qualitas est quæ hoc facit, vel certe includitur in eo, quod id facit, ergo illa actio vel est intellectio, vel includitur in ratione formalis intellectionis. ℞. concess. ma. neg. mi. quia intellectus non intelligit, vt producit intellectionem: Sed vt operatur circa obiectum & illud percipit. Quare cum intellectio à solo Deo produceretur in intellectu creato, non diceretur Deus per illam intelligens, sed tantum intellectus creatus: quia media illa operatur actione immanenti: nam de ratione essentiali actionis immanentis non est vt sit in subiecto à quo producitur, sed vt sit in subiecto agente, hoc est operante per illam: Intelligere enim per quod significatur proprie actio

imma

immanens, nihil aliud est quam quod intellectus percipit obiectum sensibiliter tali modo, quo sentimus, nos percipere obiecta illa quæ dicimus nos intelligere. Quod quidem certum est non haberi formaliter ab actione, de quo in secunda parte quæst.

Ad confirmat. Respondeo neg. conseq. cum minori suæ probationis. Quia quamvis non esset illa actio, modo esset illa qualitas, redderetur illud quod erat viuens in actu primo, viuens in actu secundo. Verum quidem est quod per actionem illam de facto reddatur viuens in actu primo, vivens in actu secundo, sed causaliter tantùm & effectiue, quatenus scilicet per eam producitur qualitas illa, quæ modo inferius explicando est vita in actu secundo, & quæ formaliter facit viuens in actu primo viuens in actu secundo; non vero per actionem redditur viuens in actu secundo formaliter, ita quod ipsamet per communicationem formalem sui faciat ipsum viuens in actu secundo. Quare sicut licet per productionem caloris in se aliquid fit calidum tamen illa productio non est de intrinseca ratione caloris, nec constituit illud subiectum calidum formaliter loquendo secundum omnes, ita licet per productionem qualitatis in se intellectus redderetur intelligens & viuens in actu secundo, tamen illa productio non debet esse de in trinseca ratione intellectionis aut vitæ in actu secundo: quia est eadem prorsus ratio de vtroque.

44. Circa secundum sensum quæstionis Nota ex Scoto dist. 39. citata, triplex munus assignari potentiæ operatiuæ. *Primum* est quod sit productiua sui actus. *Secundum* est quod sit receptiua eius. Et *Tertium* quod habens suum actum tendat formaliter in obiectum. In quorum ergo ex his tribus consistat formaliter intelligere, restat nobis discutiendum. Pro quo suppono (quod & constat ex dictis & constabit ex dicendis q. seq.) non consistere formaliter in productione intellectionis? nam in diuinis non est idem formaliter dicere seu producere & intelligere, ergo neque in creatis: cum sit eadem ratio quantum ad hoc. Probatur anteced. quia Pater æternus cum intelligit, non dicit formaliter: nam suum intelligere, cum sit ingenitum, præcedit dictionem seu productionem verbi. Item quia Verbum & Spiritus sanctus formaliter intelligunt, & tamen nihil producunt intelligendo, ergo intelligere non est formaliter producere intellectionem. Sit ergo,

45. Secunda conclusio, *Intelligere, qui est effectus formalis intellectionis: videlicet reddere intellectum intelligentem, consistit formaliter in recipere intellectionem, taliter quod concomitetur ipsam relatio attingentiæ ad obiectum.* Ita Scotus quodlib. 15. & 13. Nec obstat quod hic n. 24. dicat non debere duas præfatas rationes simul includere quia bene stat includere vnum formaliter & directe nempe absolutum? & alterum indirecte & in obliquo nempe relationem; quæ quidem relatio attingentiæ non potest non concomitari & resultare in subiecto, cui inhæret intellectio, si hæc præstet effectum formalé intelligendi ipsi: vt videbimus q. seq.

Vtraque pars constat ex Scoto supra n. 16. vbi dicit: *Si possum habere operationem Beati sine illa relatione, essem Beatus; non autem essem Beatus, si haberem relationem sine operatione:* Et n. 11. dicit: *Cognitio in se necessario habet annexam relationem & actualem ad ipsum obiectum.* Et n. 16. supra. *Beatitudo creata non est vltimum bonum nisi cum relatione annexa.* Quod si dicas Deum esse Beatum sine tali relatione, ergo non est opus ponere ipsam in homine? Respondet Scotus ibid. neg.

conſeq. nam ad intellectionem requiritur, quod obiectum ſit aliquo modo idem cum operatione, & operatio Dei ſine relatione eſt idem: cum obiectum ſit eius eſſentia; operatio vero creata non habet vnitatem, neque identitatem cum obiecto, niſi per relationem, per quam fiunt intentionaliter vnum & idem.

46. Inquires, *Vtrum huiuſmodi relatio ſeparabilis ſit à qualitate intellectionis*? Reſpondeo ſupponendo ex Scoto n. 11. citato, interuenire hic duplicem reſpectum, alterum menſurabilis ad menſuram, alterum attingentiæ ſeu tendentiæ in alterum vt in terminum. Dico igitur hunc ſecundum reſpectum ſeparabilem eſſe ab intellectione, vt eſt qualitas abſoluta; qualiter contingeret, ſi poneretur in lapide aut in voluntate vel quocumque alio ſubiecto non habente virtutem intellectiuam & perceptiuam obiecti, de quo q. ſeq. Non tamen primum, quia vbicumque ponatur qualitas intellectionis, eſt ſpecies expreſſa obiecti, atque adeo dicens reſpectum menſurabilis ad ipſum tanquam ad menſuram; at vero ſi intellectio inhæreat intellectui debite diſpoſito, etiam ſecundum reſpectum attingentiæ habet ſibi neceſſario annexum: Nam ſic debite diſpoſitum intellectum, impoſſibile eſt, intellectione in ſe recepta, non tendere ea in obiectum; tuncque præſtabit ſibi effectum formalem intellectionis, quod eſt reddi intelligentem. Et de hoc procedit noſtra concluſio.

47. Dices ex hoc ſequitur, quod intelligere formaliter conſiſtat, in hoc quod potentia connectatur cum obiecto & fiant idem; ſed hoc efficit relatio attingentiæ ſeu tendentiæ, ergo in illa conſiſtit formaliter intelligere, licet præſuppoſitiue connotet receptionem intellectionis, quæ eſt opinio plurium Scotiſtarum? Reſpondeo ex Scoto ibid. numero 17. talem connexionem & identitatem intentionalem eſſe fundamentaliter ab intellectione; Et in hoc conſiſtere ſuam vltimam perfectionem; licet formaliter denominentur connexa ab illa relatione, quæ nequit eſſe vltima perfectio: Et patet exemplo: nam ſicut eſſe cauſam dicit magnam perfectionem; Et tamen eſſe cauſam habet quis fundamentaliter à ſua entitate, & formaliter à relatione cauſæ, quæ nullam perfectionem intrinſecam addit cauſæ; ita eſſe intelligentem dicit perfectionem, quod prouenit ab intellectione, in qua conſiſtit perfectio, quamvis formaliter denominentur potentia & obiectum connexa à relatione illa, quæ nullam perfectionem addit. Et explicat clarius Scotus in fine quæſt. vbi dicit: hoc quod eſt intelligere explicari per *conari* & *tendere* in obiectum, non quia relationem dicat formaliter ſed tantum dicit illam concomitanter, quia non eſt vox, qua poſſit aliter exprimi, & ita relatio eſt formalius quantum ad ſignificationem nominis: ſicut ſpecies impreſſa eſt qualitas formaliter, & vocatur ſimilitudo obiecti, quæ denotat relationem.

QVÆSTIO. VII.

A quo producatur; Et in quo ſit producibilis qualitas intellectionis?

48. SVppono vt certum & ab omnibus indubitanter receptum, intellectionem produci de facto & cõnaturaliter ab intellectu, concurrente ſimul cum ipſo ſpecie intelligibili, quæ eſt

est imago obiecti ad modum quo supra n. 9. diximus de productione ipsius speciei intelligibilis. Constat ex auctoritate D. August. 9. de Trinitate cap. vltimo dicente, quod à cognoscente & cognito pariatur seu producatur notitia. Et etiam ex eo quod: Quia dum intelligimus attendimus obiecto cum quodam conatu, & inde fit quod fatigemur ex nimia speculatione. Quæ quidem attentio & conatus nequit explicari absque actione potentiæ, vt & probat Scotus, 1. d. 3. q. 7. n. 17. Quod si dicas conatum hunc explicari per relationem attingentiæ seu tendentiæ potentiæ in obiectum; non vero per actionem qua producit intellectionem: vt constat in Deo attendente obiectis, absque productione vlla, per ipsamet intellectionem improductam, quam habet: R. verum esse, conatum & attentionem explicari formaliter per prædictam relationem attingentiæ seu tendentiæ; attamen negari non posse attingentiam hanc proportionari cum qualitate ipsa intellectionis, ita vt qui perfectiorem intellectionem secundum suum esse absolutum habet, perfectius etiam attendat & attingat obiectum. Cum autem non oporteat recurrere ad Deum ad productionem intellectionis, quia id fieret sine necessitate, causæ illi creatæ, cui conatus explicatus competit, qui est intellectus, adscribi etiam debet productio intellectionis. Quare sicut ex fatigatione satis verisimiliter colligimus intellectū conari & attendere, ita etiam agere & qualitatem, quæ est intellectio producere. Quod quidem ex pluribus rationibus diuersimode contingit in Deo. His tamquam certis suppositis,

Controuersia & difficultas est: Vtrum intellectio produci possit à solo Deo absque concursu effectiuo intellectus: Et si sic an extra omne subiectum, an etiam in alio subiecto quam in intellectu.

49. Sit prima conclusio, *Possibile est, Deum de potentia absoluta producere intellectionem absque concursu effectiuo intellectus.* est Scoti locis q. præced. citatis & alibi pluries. Consequitur ad ibidem dicta. Tenent Scotistæ omnes, quos sequitur Arriaga hic qui optime difficultatem hanc pertractat & impugnat aduersarios. Probatur *primo* contra auctores asserentes intellectionem consistere in actione, vel saltem includi in ratione formali eius, & contra asserentes se ipsa sine media actione egredi ab intellectu. Probatur inquam iisdē fundamentis & rationibus, quibus q. præced. omnes has sentētias refutauimus: cum enim ex suppositione earum procedant in præsenti q. vtique eis refutatis & refutata manet illorum de præsenti difficultate sententia. Probatur vero contra alios nobiscum tenentibus esse qualitatem media actione productam. Quia Deus potest supplere quācumque causalitatē effectiuā causæ secūdæ, se solo efficiēdo quidquid effici potest à causa secunda, quia hoc arguit perfectionem in ipso. Et ob hanc solam rationem potest se solo producere calorem & similia, quæ aduersarii fatentur ab ipso solo produci posse; atqui intellectus nullam aliam causalitatem habet respectū illius qualitatis, quæ est intellectio, nisi effectiuam & materialem extrinsecam, talem scilicet, qualem habet subiectum respectu accidentis in se subiectati & ex eius potentia educti, ergo cum Deus possit huiusmodi causalitates supplere: vt patet in exemplo de calore & aliis, similiter & hoc idem posset facere in intellectione.

Quod si dicas, intellectionem esse vitalem, ergo includit essentialiter

respectum

respectum ad principium vitale, atque adeo nequit à Solo Deo produci. Resp. quòd vitalitas intellectus, vt potentia operatiua est, non consistit in efficientia, sed intendentia ad obiectum, quæ potest esse absque efficientia. Præterea etiamsi vitalitas intellectionis sumeretur ex principio vitali tanquam ab efficienti, non deberet sumi ex habitudine actuali, sed aptitudinali: sicut accidens non dicit habitudinem actualem essentialiter ad subiectum, sed solum inhærentiam aptitudinalem in secundo modo dicendi. Quare sicut hoc potest de potentia absoluta existere extra subiectum, ita & intellectio produci & non à principio vitali.

51. Contra instabis: ratio viuentis in intellectu non solum colligitur ex prædicta tendentia in obiectum, sed etiam ex productione ipsius intellectionis, ergo vt dicatur intellectus adæquate vitaliter operari, dum intelligit, debet ipsemet producere in se intellectionem. Resp. dist. anteced. ratio viuentis vt communis est ipsi & viuentibus omnibus creatis conced. anteced. ratio viuentis vt communis est ipsi & omnibus viuentibus cognoscitiuis neg. anteced. & dist. similiter conseq. vt dicatur adæquate vitaliter operari conceptu vitæ communi ipsi & viuentibus omnibus creatis, qui potest dici conceptus vitæ physicæ, ob hoc debet ipsemet producere in se intellectionem conced. conseq. conceptu vitæ communi ipsi & omnibus viuentibus cognoscitiuis, qui potest dici conceptus vitæ intentionalis. neg. conseq. itaque cum conceptus vitæ in intellectu significatus formaliter per eius intelligere, & de quo debet esse controuersia quoad præsens, consistat præcise intendentia in obiectum, & hanc possit habere intellectus, habita seu recepta in se intellectione, etsi ab ipsomet non sit producta; hinc est saluari conceptum viuentis in ipso, & intellectionem sortiri effectum formalem actus vitalis eius, quamvis ab ipso non producatur: nam talis effectus est reddere ipsum viuentem & operantem intentionaliter, non physice. Quod si vtrumque efficiat, vtroque conceptu vitæ erit viuens, sed non implicat vnũ ab altero separari, vt probauimus.

52. Obiicies *primo*, Deus non potest supplere effectum potentiæ generatiuæ aut nutritiuæ, producendo scilicet generationem aut nutritionem, ergo neque intellectionem: ℞. aliud esse producere terminos generationis & nutritionis, aliud vero ipsas actiones generatiuam & nutritiuam, primum vtique sine dubio Deus potest; non vero secundum: quia generatio & nutritio, vt actiones sunt dependent essentialiter à generante & nutriente: sic similiter Deus potest producere intellectionem, qui est terminus dictionis, non tamen ipsam dictionem, quia hæc dicit essentialem ordinem ad dicentem, qui est intellectus. Nec Deus vt producens intellectionem potest denominari dicens ipsam (Nec etiam intelligens vt constat ex dictis) sicut nec producens terminos generationis & nutritionis diceretur generare & nutrire: dubium est, vtrum subiectum terminos istarum actionum recipiens: vt homo recipiens hoc augmentum à solo Deo productum, diceretur nutriri, sicut recipiens intellectionem ab ipso etiam productam, potest ea denominari intelligens? Ad quod Resp. negatiue: quia cum potentiæ generatiuæ & nutritiuæ solum habeant conceptum vitæ physicæ, quæ consistit in productione suæ perfectionis cõpetentis sibi in actu secundo, non vero vitæ intentionalis, qualem habent potentiæ cognoscitiuæ;

gnoscitiuæ; hinc est quod nisi ab ipsomet producantur isti termini, non adest ratio ob quam possimus ipsis tribuere exercitium vitæ. Quod secus contingit in potentiis cognoscitiuis, quæ vltra hoc exercitium, habent exercere attingentiam seu tendentiam in obiectum, quæ est vita propria & specialis earum.

53. Obiicies *Secundo*, si intellectio potest produci à Solo Deo, ergo & amor: quia idem philosophandum diximus de potentiis appetitiuis; sed hoc est falsum, ergo & anteced. probatur mi. quia de ratione amoris est, quod sit voluntarius; sed voluntarium essentialiter fit *à principio intrinseco cum cognitione*, ergo nequit fieri à Deo, sed solum à voluntate, quæ est principium intrinsecum; Deus autem principium extrinsecum est: ℞. neg. mi. quid autem dicendum de ratione voluntarij in tali actu? dico ex Scoto quodlib. 18. n. 21. quod esset voluntarius largo modo, quatenus inhæret voluntati, & medio ipso operaretur vitaliter intentionaliter voluntas.

54. Quod si dicas *Primo* cum aliquibus Scotistis, vitam propriam voluntatis esse vitam intentionalem, ergo si hanc exercet medio isto actu, non est ratio cur actus iste non sit stricte voluntarius. Resp. vitam specialem voluntatis, qua voluntas est, esse qua exercet formaliter suam libertatem; & cum medio isto actu non exerceret illam: quia sicut non esset in potestate eius ipsum recipere, qualiter est, quando illa ipsum producit, sic, ipso recepto, non tendere intentionaliter in obiectum (licet forte benè perseueret in illo;) ita non esset proprie voluntarius, sicut nec ob rationem dictam esset actus liber (adhuc operatiue) contingenter, sed hoc exactius tractat. de actibus humanis.

55. Quod si dicas *Secundo*, posse Deum producere amorem sine intellectione: cum sint distincta realiter, & tunc sequi voluntatem posse amare sine intellectione, quod implicat quia ferretur in incognitum: Resp. Deum necessario producturum etiam intellectionem: quia eo ipso quod producat actum in appetitu rationali, quo habito non potest non operari ipse appetitus, debet etiam præstare ipsi obiectum talis operationis, si alias non habetur; & cum tale obiectum sit res in apprehensione, non potest non producere etiam intellectionem, etsi distincta realiter sit ab amore: sicut etsi electio mediorum sit realiter distincta ab intentione finis, posita efficaci intentione finis, non potest non poni electio mediorum quorumcumque.

56. Secunda conclusio, *intellectio potest produci de potentia absoluta extra omne subiectum; imo & in alio quàm in intellectu, vt in voluntate, etsi distingueretur realiter ab ipso; & etiam in lapide, si alias non repugnet ipsi ratione spiritualitatis*. Est conformis ad superius dicta. Tenent eam Poncius & Arriaga hic. Dixi autem *nisi repugnet sibi &c.* quia abstrahendum est pro nunc à difficultate illa: vtrum forma spiritualis possit subiectari in corporeo subiecto? De qua in Metaph. disp. 9. Et inquirendum hic præcise, an hoc repugnet sibi ratione actus immanentis & vitalis. Prima pars conclusionis probatur ex dictis: quia non habet intellectio aliam dependentiam ab vllo subiecto, quàm in genere causæ efficientis & materialis extrinsecæ; sed hæ dependentiæ possunt suppleri à Deo: vt patet in accidentibus Eucharisticis, quæ non obstante quòd dependeant à suo subiecto efficienter & materialiter in genere causæ materialis extrinsecæ, cõseruantur à solo Deo: ergo &c.

Et ex hoc probatur ſecunda pars concluſionis : quia tam eſſet contra rationem actus vitalis & immanentis poni extra omne ſubiectum, quàm in alieno ſubiecto, ergo ſi illud non repugnat, neque hoc.

57. Dices (& hæc eſt præcipua & totalis ratio repugnantiæ, quam opponunt contrarij) ſequeretur tale ſubiectum verbi gratia voluntatem vel lapidem intelligere poſſe, dum ſubiectaretur in ipſo intellectio : probatur ſequela: quia effectus formalis permanens intellectionis eſt facere ſuum ſubiectum intelligens, ſicut albedinis reddere ſuum ſubiectum album : effectus enim formalis primarius huiuſmodi formarum nihil aliud eſt, quàm communicatio ſui ipſius, qui quidem effectus, vt communiter dicitur non eſt impedibilis à Deo, ergo ſicut impoſſibile eſt albedinem inhærere ſubiecto, quin reddat ipſum album, ita neque intellectionem inhærere lapidi, quin redderet ipſum intelligentem. Nec valet ſi dicas, hunc effectum ſolùm poſſe præſtari intellectui qui eſt ſubiectum connaturaliter capax intellectionis. Nam ſi albedo poneretur in cœlo naturaliter incapaci eius, cœlum eſſet album, ergo quamvis lapis ſit connaturaliter incapax intellectionis, dum tamen poneretur in illo intellectio redderet ipſum intelligentem.

Ad hoc reſpondent aliqui authores noſtræ ſententiæ, dependere aliquando huiuſmodi effectum formalem à conditione aliqua particulari ex parte ſubiecti; cuius defectu (inquiunt) ſubſiſtentia incommunicabilis, ſi afficiat naturam irrationalem, non reddit ipſam perſonam (de quo in Metaph. diſp. 8.) ſic ſimiliter dicunt in noſtro caſu de effectu formali intellectionis ſi afficiat aliud ſubiectum, quàm intellectum, non reddere ipſum intelligens. Hanc rationem infirmat noſter Poncius hic num. 84.

Sed reſpondetur iuxta dicta quæſt. præced. à numero 45. intelligere, qui eſt effectus formalis intellectionis, videlicet reddere intellectum intelligentem non conſiſtere præciſe in receptione intellectionis, ſed in receptione intellectionis quam concomitetur relatio attingentiæ ſeu tendentiæ in obiectum; & cum huiuſmodi relatio ſolummodo concomitetur intellectionem, dum inhæret ſubiecto habenti virtutem perceptiuam obiecti in actu primo, hinc eſt quòd ſoli intellectui, qui habet talem virtutem, præſtet talem effectum. Et ratio eſt quia vis determinatiua intellectus, quam habet intellectio in præſtando illi ſuum effectum formalem, proportionatur cum virtute perceptiua obiecti, quam habet ipſe intellectus in actu primo; & cum hanc non inueniat in alio ſubiecto, propterea non reddet ipſum intelligens, licet poſſet denominare ipſum habens intellectionem: vt dicit noſter Smiſing. tractatu 2. diſputatione 6. numero 280.

Et per hæc poteſt adæquatè reſponderi ad argumentum : quia reddi ſubiectum intelligens ab intellectione plus dicit, quàm reddi album albedine : nempe relationem illam explicatam per tendentiam & attingentiam obiecti : Quæ vt de ſe patet, non reſultaret in intellectione, dum inhæreret lapidi, ſicut reſultat, dum inhæret intellectui, propterea intellectio non reddit quodcumque ſubiectum intelligens, ſicut albedo reddit album.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VIII.

Quid sit verbum mentis ?

58. CVm certum sit ex D. August. & communi sententia Doctor. dum intelligimus, reperiri in intellectu nostro aliquid, quod dicitur & est verbum mentis, dubium est: quidnam sit dicendum verbum, an dictio quæ est actio, qua producitur qualitas intellectionis, an vero vtrumque simul, vel forte aliquid aliud præter illa? & suppono cum communi sententia contra Complutenses, non esse qualitatem aliam distinctam productam à qualitate intellectionis: quia talis qualitas superfluit: cum ipsa intellectio quæ est notitia genita sit species expressa & similitudo formalis obiecti, ergo præter eam non requiritur alia species expressa aut verbum mentis. conseq. patet, & anteced. probatur: quia ratione eius simus similes obiecto, vnde in Patria, vbi habebimus cognitionem intuitiuam Dei, non producetur aliud verbum distinctum à cognitione, & tamen erimus similes Deo ratione visionis beatæ: iuxta illud 1. Ioan. 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.*

59. Et notandum *primo*, quod Verbum mentis est ita proprie verbum, sicut & Verbum oris: quia spiritus Angelici loquuntur inter se, & verba proferunt: nam sicut Verbum oris est qualitas expressiua conceptus, qui latebat in mente, ita Verbum mentis est qualitas expressiua rei conceptæ. Notandum *secundo*, quod sicut Verbum oris aliud est proprium, quod scilicet prouenit à mente, aliud improprium quod aliunde prouenit, qualia sunt verba Psitaci; ita declaratio obiecti in mente est duplex, alia proueniens à memoria fæcunda, & hæc est propriè Verbum, alia potest prouenire aliunde: vt si Deus produceret intellectionem lapidis in meo intellectu. His præmissis accipe ex Scoto definitionem Verbi. 1. d. 27. qu. 3. nu. 12. sumptam ex varijs locis D. August.

60. *Verbum est actus intelligentiæ productus à memoria perfecta non habens esse sine actuali intellectione repræsentans Verbum Diuinum.* Dicitur *actus intelligentiæ*: quia constituit intelligentem, sicut calor est actus calidi; dicitur *productus à memoria perfecta* idest fœcunda: quia est proles memoriæ, & in hoc differt ab intellectione non producta à memoria; dicitur *non habens esse absque actuali intellectione*: quia est ipsa intellectio secundum Scotum, & secundum omnes habet eam concomitantem; denique additur *repræsentans Verbum Diuinum*; quia est secunda pars imaginis Diuinæ existentis in anima, & ideo correspondet secundæ personæ Trinitatis, de quo August. apud Scotum loco citato.

61. Sit conclusio, *Verbum non dicit formalitatem absolutam distinctam ab actuali intellectione nostra; bene tamen importat aliquem respectum, quem non necessario importat intellectio, scilicet ad memoriam tamquam ad Parentem.* ita Scotus supra nu. 16. Et probatur ex D. August. 1. de Trinitate. 10. *formata cogitatio ab ea re, quam scimus, verbum est*; quod autem intellectio nostra, vt sit Verbum, debeat dicere talem respectum ad memoriam, probat Scotus ibid. dicens: *quod non qualibet intellectio actualis est Verbum, sed tantum notitia genita.* Ad quod adducit auctoritatem August. *omne quod notum est, Verbum dicitur ani-*

mo impressum, quamdiu de memoria definiri & proferri potest. Probatur etiam ratione, tum ex definitione Verbi assignata; tum etiam, quia vt ibidem probat Scotus, Verbum est proles expressiua Parentis: nam Filius & Verbum significant eamdem relationem, licet connotent diuersa, filius naturam, Verbum intellectionem, ergo nisi habeat Parentem, quem exprimat scilicet memoriam fæcundam, à qua producatur, non erit Verbum.

62. Ex his Colligo duo contra nostrum Poncium hic. *Primum*, intellectionem productam à solo Deo in meo intellectu non esse proprie & formaliter Verbum: & ratio est, quia licet haberet entitatem absolutam eiusdem rationis cum intellectione producta à mea memoria, quod est Verbum, careret tamen relatione ad memoriam gignentem, in qua formaliter consistit ratio Verbi: sicut si idem Petrus produceretur à solo Deo, esset idem qui modo, sed non Filius Patris sui.

63. *Secundum* est, Visionem Beaficam, quæ est intellectio, qua Beati vident Deum, nec etiam esse proprie Verbum: ita Rada, Smising. Pilosus & plures ex Scotistis inter quos est certum & indubitatum, obiectum beatificum, qui est Deus Opt. Max. non concurrere naturaliter ad causandam visionem, sed libere: est enim speculum voluntarium: vt dicitur tract. de visione; hinc oritur controuersia, vtrum sufficiat ad rationem Verbi, quod producatur naturaliter ex parte intellectus, an etiam requiratur quod ex parte obiecti? Poncius negat hoc requiri; sed oppositum probatur: quia cum Verbum ex dictis sit imago obiectiua naturaliter expressa ab intellectu fæcundo; si sit expressa libere, qualiter visio beatifica, non erit Verbum. anteced. constat ex D. Aug. 9. de Trinitat. cap. vltimo, vocante Verbum *partum* seu *prolem*, & ex Damasc. lib. 1. de Fide cap. 18. vocante Verbum *naturalem notitiam.*

64. Sed obiicies *primo* Scotum quoblib. 15. in initio vbi supponit Beatos de obiecto secundario producere Verbum ad cuius productionem etiam est voluntarium obiectum beatificum. Respond. quod Scotus non supponit hoc tamquam verum, sed hoc supposito inquirit, vtrum intellectus possibilis respectu illius Verbi habeat se mere passiue? ad quam quæstionem decidendam impertinens est, talem cognitionem esse vel non esse Verbum. Item n. 21. dicit, quod de creatura cognita in genere proprio habetur Verbum, non vero de creatura cognita in essentia Diuina: videatur ibi. Per quod fit satis replicæ, quam contra Smising. facit Poncius. num. 93.

66. Obiicies *secundo.* Christus Dominus dicitur verè filius Virginis Mariæ, etiamsi Spiritus Sanctus libere cõcurrerit ad productionem eius, ergo licet obiectum beatificum libere concurrat ad visionem, visio erit Verbum. Respond. quod ideo Beata Virgo dicitur & est mater Christi: quia concurrit ad eius generationem præbendo sanguinem purissimum vel semen vel vtrumque, & propterea Christus Dominus est imago naturalis Virginis & similis ei in natura; at vero etsi intellectus concurrat naturaliter ad visionem beatam, non tamen concurrit medio semine scilicet specie impressa; neque visio est similitudo aut imago intellectus, sed respectu obiecti debet taliter se habere, ad quod requiritur concursus naturalis eius, saltem vt genitum, quod debet esse ei simile, sit proles & partus.

66. Hinc infertur (meo iudicio) consequentissimè, visionem beatificam, quæ haberetur media specie impressa repræsentante Diuinam essentiam (quam possibilem iudicat Scotus) fore proprie & in rigore Verbum: quia licet libere producta fuerit: qualiter contigit in Beata Virgine præbente sanguinem, tamen producta iam, naturaliter concurret ad causandam visionem. Nec obstat si dicas minus consequenter cum nostro Fœlix. tom. 2. Tentatiuæ Complutens. tractat. de visione disp. 6. difficult. 4. requiri etiam, quod species producatur naturaliter ab obiecto: aliàs non ab obiecto & potẽtia pareretur notitia: tunc enim notitia non esset partus obiecti: siquidẽ ab ipso non procederet naturaliter. Non obstat, quia præter quam quod si species impressa se habet sicut semen obiecti: vt consequenter loqueretur Fœlix ad exemplum de concursu, Virginis vt matris ad productionem Christi Domini, non opus est ipsam speciem produci naturaliter, sed sufficit cõcurrere ipsam naturaliter ad gignendam notitiam: sicut etsi Beata Virgo libere administrauerit purissimum sanguinem seu semen; quia tamen ex huius naturali concursu generata fuit humanitas Christi Domini, vere & proprie dicitur filius Virginis, & imago naturalis eius. Praeterea absolute falsum est dicere, quòd quia species producitur libere, etsi concursus eius ad gignendam notitiam naturalis sit, non sufficiat vt notitia sit partus. Et posset redargui iste auctor ex doctrina Scoti, quam pro se adducit ibidem numero 4. dicens, non obstare ad rationem verbi, quod voluntas libere applicet intellectum ad gignendam notitiam: quia est verbum à concursu immediato intellectus qui naturalis est, ergo similiter licet obiectum beatificum libere producat, & applicet speciem vicariam sui, quia tamen concursus huius naturalis est, notitia ab ea producta erit etiam Verbum. Sed de hoc satis.

QVÆSTIO IX.

Quid sit cognitio intuitiua & abstractiua?

QVæstio hæc à pluribus iudicatur de nomine, de qua videndus noster Theodorus Smising. de Deo vno tractat. 2. disp. 6. à n. 21. vbi perdocte (vt assolet) rem totam, si quæ est, explicat.

67. Sit nostra conclusio, *cognitio intuitiua est quæ repræsentat rem existentem & præsentem secundum quod existens & præsens est in se vel in alio eminentiori continente ipsam. Abstractiua vero est quæ non repræsentat rem vt præsentem & existentem in se sed in aliquo sui repræsentatiuo, abstrahenti à præsentia & existentia illius.* Sic colligunt Scotistæ omnes ex Scoto 2. d. 3. quæst. 9. & pluribus aliis locis citatis à Smising. Recipitur communiter, quamvis cum diuersis explicationibus, quas non est nostri instituti hic sigillatim discutere; sed pro captu addiscentium rem breuius, & quod cõmunius est proponere. Dicitur igitur cognitio intuitiua *repræsentare obiectum præsens in se vel in alio eminentiori*: nam cognitio, qua Beati vident creaturas repræsentatas in essentia Diuina, vere intuitiua, quia perfectius quam in se ipsa repræsentatur creatura in essentia Diuina. Dicitur abstractiua *repæsentare obiectum non in se, sed in alio sui repræsentatiuo &c.*

quia per ipsam cognoscitur obiectum absens & non præsens in se; sed in sui specie derelicta in intellectu ex præcedenti aliqua cognitione. Et per istas differentias distinguuntur inter se specie cognitio intuitiua & abstractiua.

68. Sed contra Obiicies *primo* descriptio abstractiuæ conuenit intuitiuæ, ergo non distinguuntur per prædictas differentias. probatur anteced. visio qua oculus corporeus intuetur colores fit per species: vt constat ex dictis; sed talis cognitio est proprie intuitiua: vt docet Scotus quol. 13. Item quia in communi sententia Theologor. potest Deus intuitiue videri per speciem impressam repræsentatiuā diuinæ naturæ, ergo hoc quod est repræsentare obiectum per speciem, quod est proprium cognitionis abstractiuæ conuenit etiam intuitiuæ. Pro Responsione nota, speciem intentionalem esse duplicem, altera est producta immediate & naturaliter ab obiecto, quæ semper est in continua dependentia ad illud; alia vero est producta immediate à cognitione præcedenti, quæ manet in memoria transacto actu, nec est in continua dependentia ad obiectum, sed solum ad suum subiectum. Hæc posterior species nequit deseruire ad notitiam intuitiuam: quia talis cognitio ex natura sua est certificatiua de existentia & præsentia obiecti; hæc autem species æque bene repræsentat obiectum, siue existat siue non existat; At vero prior illa species ob continuam dependentiam, quam habet ad obiectum certificatiua est de existentia & præsentia illius: sicut radius Solis ob similem dependentiam à sole certificat oculum de præsentia solis, vnde talis species deseruire potest ad intuitiuam cognitionem. His præmissis R. ad argumentum neg. anteced. Ad cuius probationem dist. ma. visio coloris fit per species priori loco explicatas conced. ma. posteriori. neg. ma. Et ex hoc habetur plena solutio: quia idem dicendum est de specie Diuinæ Essentiæ.

69. Obiicies *secundo*, Datur visio abstractiua attingens obiectum præsens & existens, ergo definitio intuitiuæ conuenit abstractiuæ. probatur anteced. cognitio abstractiua, quam docet Scotus supra habuisse Angelos viatores de essentia diuina per speciem sibi inditam in initio suæ creationis, fuit vera cognitio quiditatiua; sed talis cognitio de Deo non potest non includere eius existentiam & præsentiam, eogo talis cognitio abstactiua erat de Deo præsente & existente. mi. patet, quia existentia est de conceptu essentiali Dei & eius præsentialitas oritur ab attributo immensitatis, ergo &c. R. concess. anteced. neg. conseq. quia illa cognitio Angeli, licet repræsentaret Deum præsentem & existentem, non tamen vt præsentem & existentem; idest non taliter quod ex vi illius cognitionis certificaretur intellectus de existentia & præsentia obiecti: Et hoc significat illa particula: *vt præsens & existens est in se*. Et insinuat Scotus ibid. n. 7. dicens: ***Quod talis species distincte repræsentaret Essentiam Diuinam, licet non repræsentaret eam vt in se præsentialiter existentem.*** Itaque cognosceret Angelus per talem cognitionem Deum præsentem & existentem, non tamen ex vi huiusmodi cognitionis, sed potius ex vi obiecti cogniti, de cuius ratione est existere & esse præsens vbique.

Dubium.

70. Inquires, ***An Deus posset de potentia absoluta producere in intellectu creato cognitionem intuitiuam de obiecto***

obiecto absente vel non existente? Affirmat Smising. & alij Scotistæ, Negat Poncius hic n. 109. Hæc pars videtur mihi probabilior & consequentior ad doctrinam traditam qq. præced. Ex quibus constat, impossibile esse, poni intellectionem in intellectu, quin præstet ipsi suum effectum formalem, qui est reddere ipsum intelligentem & percipientem obiectum; Et cum hic consistat in receptione intellectionis, cui annexa sit relatio attingentiæ & tendentiæ in obiectum hæc non posset resultare, si obiectum esset absens: quia relatio annexa cognitioni intuitiuæ habet essentialiter pro termino obiectum præsens vt præsens, sicut annexa abstractiuæ habet pro termino obiectum abstrahens à præsentia. Et hoc videtur significari per verbum *intueri*: alias nunquam possemus habere certitudinem de existentia reali actuali vllius obiecti intuitiue visi.

Nec obstat si dicas, cognitionem intuitiuam esse qualitatem absolutam, atque adeo posse conseruari & produci absque existentia reali sui obiecti. Non obstat: quia sicut non obstante quod absoluta sit, impossibile est ipsam poni in intellectu, quin resultet relatio tendentiæ in obiectum, ita quin resultet debita & proportionata relatio, si sit abstractiua, in obiectum abstrahens à præsentia, si vero intuitiua, in obiectum præsens vt præsens & existens vt existens. Et cum hæc (vt dixi) resultare nequeat, si sit absens, hinc est quod nec produci possit talis cognitio, nisi sit obiectum præsens & existens: sicut nec posset produci paries albus, cui necessario annexa esset relatio similitudinis nisi existens esset alius paries albus, vt de se patet.

QVÆSTIO X.

Quid sit cognitio comprehensiua?

71 QVæstio hæc sicut præcedens plurimum habet de nomine. Et supponitur quod cognitio comprehensiua debet esse quiditatiua & euidens: non enim vlla cognitio fidei aut opinionis potest esse comprehensiua. Quid autem addat supra rationem quiditatiuæ & euidentis explicandum est in præsenti.

Theologi definitionem comprehensionis sumpserunt ex D. August. epist. 112. c. 8. vbi sic ait S. doctor. *Quandoquidem videtur quod præsens vtcumque sentitur; Totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumspici possunt.* Et lib. 12. de Ciuitate. *Illud scientia comprehenditur quod scientis cognitione finitur*: ex quibus aliqui colligunt vt obiectum comprehendatur, debere intelligi omnia quæ in illo continentur, non solum formaliter, sed etiam virtualiter & eminenter; alias (dicunt) aliquid ipsius lateret cognoscentem. Sed hæc expositio non debet sustineri: quia sequeretur, quod non solũ Deus esset incomprehensibilis; sed etiam quælibet creatura, quod non debet admitti. Probatur, quia etiam est impossibile, quod vllus intellectus creatus etiam Angelicus cognoscat omnes cogitationes possibiles elici ab anima rationali, omnes ignes possibiles produci à quolibet igne & sic de reliquis, quia hi infiniti sunt.

72. Igitur solum requiri iudico ad cognitionem comprehensiuam, quod cognoscãtur omnia quæ sũt in obiecto formaliter, id est formalitates omnes secundum quas continet plura alia, quæ continet

continet virtualiter & eminenter. Et ex hoc haberetur, quod intellectus cognosceret omnia quæ continentur in obiecto, nec aliquid eius lateret ipsum: nam quæ in obiecto sunt virtualiter & eminenter, non sunt aliquid eius & ipsi intrinsecum.

Sed neque hoc solum sufficit: aliàs Beati, qui intuitiue vident Deum & omnia, quæ in ipso sunt formaliter, comprehenderent ipsum, quod est falsum. Quid ergo vlterius requiritur.

73. Sit conclusio, *Cognitio comprehensiua est, qua cognoscuntur omnia quæ sunt formaliter in obiecto, sed tamen quæ sit intellectio commensurata intelligibilitati obiecti comprehensi.* Est Scoti 3. d. 14. quæst. 1. & communiter recepta. Et sensus eius est quod cognitio comprehensiua, sit tam perfecta: quam ipsum obiectum ex natura sua intrinseca requirit ad se terminari; seu quod talis intellectio habeat tantum, vt ita dicam, intellictiuitatis, quantum habet obiectum intelligibilitatis. Probatur quia tunc comprehenditur obiectum ex definitione August. quando nihil eius latet cognoscentem, sed si non cognoscatur obiectum secundum quod cognoscibile est, aliquid lateret, ergo vt comprehendatur prædicto modo debet cognosci.

74. Nec valet si dicas, quod si cognoscatur totum quod est formaliter in obiecto, cognoscatur totum quod est cognoscibile, & hoc sufficere ad comprehensionem. Nam contra est, quod licet cognoscerentur omnia prædicata obiecti extensiue non tamen intensiue (ita loquitur Scotus) hoc est secundum omnem suam intelligibilitatem: nam cum intelligibilitas sit passio entis, ad proportionem perfectionis in entitate habet etiam perfectionem intelligibilitatis. Itaque si ens habet perfectionem vt duo, habebit etiam intelligibilitatem vt duo: Et actus qui non penetrauerit totam hanc perfectionem, non comprehendet obiectum, etiamsi illud cognoscat: nam cognoscet illud totum, non vero totaliter.

QVÆSTIO XI.

Vtrum possint dari simul scientia, fides, & opinio de eodem obiecto?

75. SCientia multipliciter sumitur *Primo* latissime pro quacumque cognitione intellectuali præsertim certa & infallibili. *Secundo*, strictius pro cognitione euidenti alicuius rei siue discursia siue immediata. *Tertio* strictissime pro cognitione euidenti deducta per discursum ex præmissis euidentibus. Scientia sic sumpta diuiditur in actualem & habitualem, habitualis est habitus productus ex conclusionibus scientificis facilitans intellectum ad similes assensus iterum eliciendos; actualis est ipse actus assentiendi conclusioni. Quæ sic potest definiri. *Est cognitio discursiua, certa & euidens.* Per ly *discursiua* differt à cognitione primorum principiorum. Per ly *certa* distinguitur ab opinione Per ly *euidens* à conclusionibus fidei diuinæ, quæ non sunt euidentes. Et Aduerte illam particulam *certa* videri redundantem: includitur enim in illa altera *euidens*, licet è contrario *euidens* non includatur in *certa* ponitur tamen ad maiorem explicationem.

76. Opinio late sumpta significat assensum cum formidine. Propterea excluduntur à ratione opinionis omnes assensus certi, siue euidentes siue obscuri. Continentur autem sub opinione in hoc sensu assensus tam improbabiles quam

quam probabiles, & etiam errores, quos sæpe vocamus opiniones, etiamsi eos omnino falsos iudicemus. *Secundo* sumitur strictius pro assensu probabili, etiamsi cum formidine sit, in quo sensu excluduntur à ratione opinionis omnes errores. Vnde rem omnino improbabilem semper dicimus non cadere sub opinionem. Opinio sic sumpta definitur ab Aristot. 1. Posterior. cap. 26. *Est acceptio propositionis immediatæ non necessariæ:* Id est, est actus intellectus deductus ex principiis intrinsecis quæ veritatem vel falsitatem non ostendunt euidenter.

77. *Fides est assensus alicuius propositionis ob solam authoritatem extrinsecam dicentis.* Et est duplex, alia naturalis, quæ nititur authoritate creata hominis vel Angeli; alia supernaturalis, quæ nititur authoritate Dei dicentis. Illa est fallibilis: quia non repugnat hominem vel Angelum, quantum ex se falli in suis dictis; hæc vero est infallibilis: quia Deus nec potest fallere nec falli.

78. His præmissis, difficultas solum est de actibus: nam de habitibus, imo de actu vnius cum habitu alterius communior opinio tenet non repugnare. Item de actibus est dubium ex suppositione, quod intellectus possit habere simul diuersos actus, etiam non subordinatos, si ipsi applicentur diuersa obiecta & motiua; quod etiam communior fert opinio saltem de potentia absoluta Dei potentis eleuare potentiam ad plures actus simul eliciendos, præsertim si motiua non sint infinita, sed numero determinata. Est autem hoc suppositum necessario præmittendum, vt demus locum quæstioni: aliàs negando simultatem plurium actuum & respondendo ad rationes in contrarium sufficienter soluere-mus quæstionem pro parte negatiua. Supposita igitur possibilitate simultatis plurium actuum intellectu procedit quæstio; Et non est, An idem intellectus possit de eodem obiecto incomplexo habere simul fidem, opinionem & scientiam in ordine ad diuersa prædicata: posset enim quis de homine habere scientiam, quod sit risibilis, fidem, quod sit bonus, & opinionem, quod sit doctus; sed procedit de eadem propositione v. g. Vtrum de eo quod sit risibilis possit quis habere simul scientiam & opinionem?

79. Sit nostra conclusio, *Repugnat etiam de potentia absoluta stare simul actum fidei, aut opinionis cum actu scientiæ de eodem obiecto.* Ita Scotus 3. d. 24. num. 13. & 21. sequuntur fere omnes discipuli, & plures ex Thomistis. Est contra aliquos recentiores, Arriagam hic num. 107. Probatur ex Aristot. 3. Ethicor. 2. & 2. Physicor. cap. 3. Et 1. Posterior. cap. 24. vbi ait. *Opinio namque & scientia non omnino eiusdem est*, & paulo infra. *Ex his autem emergit, fieri non posse vt simul opinetur quisquam ac sciat.* Ergo ex Aristot. scientia & opinio sunt incompossibiles. Quod si aliquis respondeat debere intelligi Scotum & Aristotelem de incompossibilitate naturali. Contra, & in primis nec congrue nec fideliter explicatur Scotus in hoc sensu: vt constat ex discursu & medio, quod ad hoc probandum assumit n. 21. citato; sed probo repugnantiam & contradictionem atque adeo incompossibilitatem etiam supernaturalem. Esse intellectum certum & non esse certum simul de eadem re sunt contradictoria; sed per actum scientiæ esset intellectus certus de veritate obiecti, & per actum opinionis esset non certus, ergo repugnat habere vtrumque simul.

Probatur etiam de repugnantia scientiæ cum actu fidei: quia non est

minus intrinseca scientiæ euidentia, cui opponitur obscuritas fidei, quàm certitudo, cui opponitur dubietas opinionis, ergo sicut cum actu scientiæ repugnat actus opinionis, ita & actus fidei: esset enim eidem intellectui clarum & obscurum, euidens & ineuidens idem obiectum. Respondet Arriaga num. 96. hoc non repugnare: quia claritas & obscuritas cadunt supra ipsos actus distinctos, qui possunt esse alter obscurus & alter clarus. Sed contra: quia actus intellectus informans ipsum præstat illi suum effectum formalem, ergo qualis fuerit actus, talem reddet intellectum, ergo per actum clarum & euidentem, qualis est scientiæ reddetur clare cognoscens obiectum, & per actum fidei obscurè seu non clare cognoscens; sed hæc sunt contradictoria, ergo. Neque hoc est petere principium: vt dicit Poncius disp. 22. num. 42. quia dum controuersia est de actibus & per simultatem effectuum formalium eorum, probamus verificationem contradictoriarum de intellectu, non petimus principium.

80. Dices ex Arriaga num. 110. Ad hoc vt intellectus per actũ opinionis sit incertus de veritate obiecti, debere assentiri ipsi cum formidine; sed in casu, quo simul compatiatur cum actu scientiæ, non esset assensus cum formidine, sed solum assensus ob medium probabile: opinio enim non dicit formaliter hanc formidinem, sed solum assentiri obiecto ob medium probabile. Sed contra: quia eo ipso quod sit assensus ob medium probabile præcise, & non ob medium certum & euidens: hoc est ob medium necessario connexum cum re scita qualis est assensus scientificus, est assensus cum formidine, atque adeo reddit intellectum incertum, ergo nunquam potest compati cum actu scientiæ. Probatur antecedens medium præcisè probabile idest non necessario connexum cum re scita dicit necessario vel saltem connotat probabilitatem pro opposita sententia, ergo assensus elicitus ob tale motiuum semper erit cum formidine oppositi, & nunquam cum certitudine, quæ expellit formidinem.

Nec ita patenter concludit contra nos (vt existimat Poncius num. 41.) quòd possit sub duplici motiuo prædicto simul proponi nobis obiectum affirmandum vel negandum: quia vt expresse docet Scotus num. 21. versiculo *ad aliud dico, quòd quando effectus sunt in aliquo simul incompossibiles, & causæ eorum simul sunt incompossibiles in causando, sed si altera causet, alia non causabit impedita à fortiori &c.* licet possit proponi simul vtrumque motiuum, non tamen habebitur actus simul ob vtrumque; *Sed si habeat quis primo opinionem, & superueniat demonstratio, corrumpitur opinio: si enim ambæ causæ sint in eodem: scilicet medium dialecticum & demonstratiuum, dialecticum nihil faciet impeditum à demonstratiuo &c.* Hæc Scotus & est doctrina consequens ad illa quæ diximus in lib. de generat. de incompatibilitate duorum contrariorum.

81. Ex dictis colligitur à fortiori non posse eundem actum esse simul scientiam, opinionem & fidem, cuius oppositum etiam defendit Arriaga ibidem num. 111. Qui respondet ad contradictionem, quæ sequeretur, ex eo quod idem actus esset clarus & obscurus, certus & incertus, non sequi contradictoria: quia non sunt eiusdem de eodem & secundum idem: nam medium est diuersum, & sic actus esset euidens ob medium scientiæ, obscurus

ſcurus ob medium fidei, & dubius ob medium opinionis.

Sed contra: quia præterquam quod ſi hæc ſolutio vera eſt, ergo ſine neceſſitate tollit ſupra num. 110. ab actu opinionis, quando compateretur cum actu ſcientiæ, rationem aſſentiendi cum formidine: nam poſſet dici, quòd idem intellectus cum actu ſcientiæ, & propter medium euidens aſſentiretur firmiter, & cum actu opinionis & propter medium dialecticum aſſentiretur cum formidine, vbi & hic auctor videtur formidinem habuiſſe. Præterea ſi hæc doctrina eſſet vera, ſequeretur ex nullis actibus ſequi contradictionem, ne quidem ex amore & odio eiuſdem obiecti, aſſenſu & diſſenſu concluſionis eiuſdem; ſed hoc non debet admitti, ergo. Probo ſequelam: Dato amore & odio eiuſdem obiecti, aſſenſu & diſſenſu concluſionis eiuſdem, poſſet dici, quòd contradictoria illa non conuenirent eidem ſecundum idem: poſſet enim dici quòd amaretur vt terminat amorem & ob motiuũ amoris, odio haberetur vt terminat odium & ob motiuum odij; & ſimiliter de cõcluſione cui ſimul aſsẽtiretur, & diſsẽtiretur. Itẽ de ſubiecto calido in ſummo & frigido in ſummo. Quare explicatio illa communis axiomatis ſcilicet quòd debeant eſſe *Secundum idem*, non debet ſic intelligi, quod obiectum materiale proximum, cui dicerentur competere illa contradictoria, non poſſit conſiderari ſub diuerſa ratione per ordinem ad ipſamet contradictoria; ſed debet ſic intelligi, quod non ſint cenſenda contradictoria, quæ competunt alicui ſecundum diuerſas rationes materiales: vt ſi competeret homini eſſe ſimilis Angelo in ſpiritualitate & non ſimilis in materialitate. Vnde cùm controuerſia noſtra ſit de obiecto ſecundum eamdem rationem materialem videlicet de iſta propoſitione, homo eſt riſibilis, vtique in caſu quæſtionis prædicta prædicata verè eſſent contradictoria.

Denique confirmatur noſtra concluſio ex pluribus ſanctor. Patr. authoritatibus, quas adducunt authores noſtræ ſententiæ in Theologia tractat. de fide probantes incompatibilitatem etiam ſupernaturalem viſionis aut ſcientiæ cum fide diuina: vt ex Auguſt. tractat. 40. in Ioan. *Quid eſt fides niſi credere quod non vides?* Et tractat. 68. *Fides autem quod non videt, credit: nam ſi vides, iam non eſt fides.* Eadem enim eſt ratio quoad hoc de fide humana, ac de diuina; & de ſcientia ac de viſione: cum per vtramque clare & euidenter cognoſcatur obiectum.

QVÆSTIO XII.

Quot ſint habitus intellectus verum aſſenſum generantes; & quomodo inter ſe diſtinguantur?

82. Sit concluſio, *Habitus intellectus verum aſſenſum generantes ſunt quinque, nimirum intellectus, ſcientia, ars, prudentia, & ſapientia, inter ſe ſpecie diſtincti*, ita Ariſtot. & communiter omnes. Propterea ſolum indiget declaratione. Pro qua aduerte nomine *intellectus* ſignificari non ipſam potentiam intellectiuam ſed qualitatem quamdam ipſi ſuperadditam. Et eſt habitus quo facile aſſentimur primis principiis abſque vllo diſcurſu, ex ſola terminorum apprehenſione: ſicut enim ponitur habitus ad facile aſſentiendum concluſioni, non obſtante quòd ipſa ſit euidens intellectui mediante cognitione principiorum, ita ſimiliter poni debet habitus facilitans

tans intellectum ad assentiendum præmissis, etiamsi sint euidentes ex sola terminorum apprehensione. Ex hoc etiam distinguitur iste habitus ab habitu *scientiæ*, quia hic est discursiuus, ille vero non.

83. *Ars* est quidam habitus, qui versatur circa factibilia, quæ singularia sunt & contingentia, propterea aliter se habere possunt. Et in hoc distinguitur à scientia, quæ versatur circa vniuersalia & perpetua. Et nota alias esse artes, quæ versantur circa actiones, quæ transeunt in materiam non permanentem, quæ dicitur agibile, vt ars citharizandi, rethorica, grammatica &c. Et vocantur artes liberales. Aliæ vero sunt artes, quæ versantur circa factibilia: vt ars ædificandi, nauificandi &c. quarum materiæ sunt permanentes, & tales dicuntur ab aliquibus artes mechanicæ.

84. *Prudentia* est habitus practicus, qui dirigit actiones ad tale vel tale opus conficiendum. Et est in triplici differentia: alia enim est quæ vocatur *Eubulia*, alia *Synesis*, alia *Gnome*. *Eubulia* est habitus consultatiuus eorum, quæ facienda sunt, vt rectè operemur. *Synesis* est habitus iudicatiuus, qui habita iam consultatione, iudicat oportere sic vel sic operari. *Gnome* est habitus imperatiuus, qui habita iam consultatione & iudicio de re, quæ hic & nunc est facienda, imperat vt talis res fiat. Priori habitui opponitur præcipitatio, qua quis absque consultatione aliquid operatur. Secundo habitui opponitur inconsideratio, qua quis non recte iudicat de his quæ facere tenetur. Tertio habitui opponitur prauum imperium, quo res aliqua turpis fieri imperatur. Denique cuilibet ex tribus opponitur imprudentia. Sed nota solam prudentiam, quæ est *Synesis* correspondere scientiæ strictè sumptæ: quia hæc sola est habitus iudicatiuus; verùm non est speculatiua: alias eius finis esset speculatio, vt diximus in Logica; sed est practica: quia versatur circa illud, quod per se primo aut secundo est praxis; iudicat enim hoc vel illud esse faciendum à voluntate vel ab aliis potentiis ab ipsa imperatis, idque conformiter rationi rectæ.

85. *Sapientia* est quidam habitus intellectualis, qui adæquate versatur circa cognoscenda principia & conclusiones simul ita vt eminenter comprehendat habitum primorum principiorum & habitum conclusionis: ita Aristot. 6. Ethicor. 7. vbi ait: *Sapientiam non solum ea scire, quæ ex principiis cognoscuntur, sed etiam circa principia dicere vera oportet, quare sapientia intellectus est & scientia*, ita etiam habet Scotus 3. d. 35. Et suaderi potest ex eo, quod sicut ponitur sensus communis, qui obiecta omnium sensuum externorum cognoscat, non obstante quod ponantur quinque sensus ad iudicandum de particularibus obiectis; ita similiter quamvis ponatur quidam habitus peculiaris circa principia & alius circa conclusiones, nihilominus ponendus est habitus alius vtrumque adæquatè complectens, & iste est *Sapientia*.

QVÆSTIO XIII.

Quomodo concurrunt præmissæ ad assensum conclusionis?

Ratio dubitandi oritur ex Aristot. 1. Posterior. dicente omnem cognitionem discursiuam fieri ex præexistente præmissarum cognitione, vbi secundum commentatorem particula *ex* causalitatem aliquam denotat, de ista est dubium. Pro cuius solutione

ne nota, præmissas alias esse obiectiuas videlicet ipsa obiecta seu propositiones præmissas vt obiectiuè sumptas; alias præmissas formales quæ sunt ipsi actus, quibus intellectus assentitur propositionibus præmissis. De præmissis obiectiuis non est difficultas: quia certum est ipsas non causare conclusionem obiectiuam. Procedit ergo quæstio de præmissis formalibus, idest de assensibus, quibus intellectus assentitur maiori & minori propositioni, vtrum causent & in quo genere assensum conclusionis, an scilicet effectiue producendo assensum ipsum, an vero solum per modum conditionis sine qua non seu vt Arriaga dicit, formaliter & illuminatiue idest illuminando intellectum, vt eliciat assensum conclusionis? Ad modum quo se habet propositio obiecti ab intellectu, vt volũtas amet ipsũ.

86. Et suppono, assensum conclusionis formaliter sumptum, idest provt hic & nunc ex præmissis sequitur, dicere ita intrinsecam & necessariam dependentiam à præmissis, ex quibus hic & nunc sequitur, vt nec de potentia absoluta Dei possit idē in specie actus sequi & inferri à diuersis præmissis. Quod probatur, quia alias assensus conclusionis deductæ ex præmissis obiectiuis probabiliter cognitis, posset prouenire ex eisdem præmissis scientifice cognitis. Et è contra assensus conclusionis deductæ ex præmissis certo cognitis posset prouenire ex præmissis probabiliter tantum cognitis, cuius contrarium nemo est qui ambigat.

87. Sit conclusio, *Assensus præmissarum concurrunt efficienter ad productionem assensus conclusionis, idque immediate, & non mediante aliqua specie.* Est communis contra Auersam & Arriagam quorum rationes & discursum optime infirmat noster Poncius disp. 20.n.24. Probatur prior pars quia experientia constat, quod ipsæmet præmissæ obiectiuæ & conclusio obiectiua cum speciebus quibuscumque ab iis productis & apprehensione, ac etiam iudicio necessariæ connexionis, quam habet veritas conclusionis cum præmissis, non sufficiunt ad determinandum intellectum ad assensum conclusionis, ergo aliquid aliud requiritur ad cōcurrendum physice effectiue cum intellectu; sed nihil præter assensus præmissarum, quibus positis necessario sequitur ille assensus conclusionis, ergo assensus præmissarum concurrunt physice efficienter cum intellectu ad eliciendum assensum conclusionis.

Nec valet si dicas, sufficere, si prærequiratur tanquam conditio sine qua nō qualiter cognitio ad amorem, nec opus esse, quod concurrat physice. Nam contra est quod ad diuersitatem specificam assensus præmissarum: nimirum si sint certi & probabiles, etiãsi conclusiones obiectiuæ & præmissæ obiectiuæ sint eiusdem speciei, sequitur diuersitas specifica in assensibus conclusionum, ergo assensus illi non se habent præcise vt conditiones, sine quibus non respectu conclusionum formalium; probatur cōseq. quia ad variationem specificam conditionis sine qua non, præcise non sequitur diuersitas specifica in effectu sequuto: vt posset multis instantiis demonstrari: v. g. in duobus actibus eiusdem virtutis moralis vt temperantiæ aut fortitudinis: qui etsi à diuersis in specie iudiciis prudentialibus dirigantur & regulentur, si cætera sint eiusdem rationis, tamen non propterea sunt eiusdem speciei.

Probatur posterior pars, quia superfluè requireretur species vlla producta per præmissas formales ad productionē assensus conclusionis: qua enim ratione possent concurrere ad productionem istiusmodi speciei immediate, possent

possent etiam ad productionem assensus conclusionis, ergo ita concurrunt. Nec video qua ratione probare posset Arriaga, non posse vnum actum intellectus concurrere efficienter ad productionem alterius. Quare, vt bene Poncius, quam facile id asseritur ab ipso, ita à nobis negatur.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum assensus præmissarum necessitent intellectum ad assensum conclusionis?

Sensus quæstionis est, vtrum intellectus assentiens præmissis debite dispositis, & apprehendens conclusionem, ac iudicans præmissas esse recte dispositas in modo & figura, necessitetur ad assentiendum conclusioni? Et hoc non solum necessitate specificationis, qua scilicet necessitetur ad eliciendum assensum circa conclusionem, casu quo vllo modo habeat actũ circa illam, quamvis non necessitaretur ad producendum vllum actum circa illam verum etiam necessitate exercitij, qua scilicet necessitaretur ad eliciendum aliquem actu circa conclusionem.

88. Sit conclusio, *Intellectus, posito quod assenserit præmissis, & iudicauerit eas esse rite dispositas in modo & figura, necessitatur ad assentiendum conclusioni & necessitate specificationis & exercitij.* Est communis & probatur quoad priorem partem. Intellectus nequit dissentire vero & assentiri falso vt tali proposito; sed per præmissas proponitur intellectui vt euidenter verum obiectum conclusionis & eius contrarium vt euidenter falsum, ergo stantibus illis præmissis non habet intellectus potentiam ad dissentiendum obiecto conclusionis & assentiendum opposito: ma. & conseq. sunt euidentes: mi. facile probatur: nam per præmissas proponuntur extrema conclusionis vnita cum medio, ergo per illas proponitur intellectui vt euidens cõnexio extremorum inter se & separatio vt euidenter falsa: nam iuxta principium syllogisticum. *Quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se*, ergo &c. Et confirmatur, quia si voluntas quæ est potentia libera non potest nolle bonum, vt disp. seq. dicemus, sed si velit tendere vllo modo in illud, debet tendere actu prosequutionis, certe multo magis dicendum est de intellectu, quod non possit dissentire vero, sed si habet aliquem actum circa illud, debeat esse assensus.

89. Probatur quoad posteriorem partem intellectus non est potentia libera, sed mere naturalis, ergo quando proponitur ipsi obiectum verum sub ratione veri, necessario producet aliquẽ actum circa tale obiectum verum; sed non eliciet dissensum, vt probauimus, ergo assensum; sed quando proponitur intellectui syllogismus bonus, cuius præmissis assentitur, proponitur ipsi conclusio sub ratione veri euidentis, ergo necessario debet elicere assensum circa ipsam: prima conseq. est certa, quia in hoc distinguitur potentia naturalis à libera, quod illa determinatur ad actum circa obiectum debite applicatum, ista vero minime. Et confirmatur *primo*, quia sicut necessitatur intellectus ad assentiendum primis principijs debite applicatis, ita ad assentiendum conclusioni scientificæ debite applicatæ; sed ibi necessitatur necessitate exercitij, ergo & hic; Nec est assignabilis, ratio disparitatis. Confirmatur, *Secundo* quia tam naturalis est potentia intellectiua quam visiua, ergo sicut hæc non impedita debet necessario ferri circa obiectum propositum, ita & illa.

90. Dices

90. Dices *Primo*, voluntas est domina aliarum potentiarum & intellectus, & sic potest impedire intellectum, ne assentiatur conclusioni. Sed contra: quia contrarium ostenditur exemplo actuum intuitiuorum: si enim visus recte dispositus sit & obiectum præsens, non potest voluntas cohibere, ne videat colorem, & ne assentiatur illud ibi esse: Numquid si videam duos homines ambulantes, & aliquis dicat: *Duo ambulant*, potero ego illi non assentiri? Certe experientia contrarium manifeste ostendit. Non igitur est maior ratio, cur intellectus debeat esse subiectus voluntati in ordine ad actus euidentes, quam potentia visiua & aliæ exteriores; sed hæ non possunt impediri directe à voluntate; ergo neque intellectus.

Dices *Secundo*, posset intellectus habere rationem potentiæ naturalis in ordine ad assensum per hoc, quod determinaretur necessario ad agendum supposita volitione, quāvis non posset agere sine tali volitione: vt patet in potentia loco-motiua, quæ est potentia naturalis, licet possit suspendi ab actu per voluntatem: sicut & etiam patet in ipsomet intellectu respectu actus fidei; naturaliter enim illum producit, licet possit ab ipso impediri per actum voluntatis, ergo similiter saluaretur quod intellectus esset potentia naturalis, etsi impediri possit & suspendi actus eius circa assensum conclusionis à voluntate? Respondeo, id non sequi ex ratione potentiæ naturalis, quomodocumque, sed ex ratione potentiæ naturalis non subordinatæ quoad actum suum ad voluntatem. Qualem naturalitatem colligimus per experientiam, qua comperimus voluntatem solum indirecte: hoc est diuertendo ab obiecto seu auertendo obiectum, impedire operationes intellectus & aliarum potentiarum intentionaliter operatiuarum; non vero directe: nam circa obiectum debite applicatum potentiam bene dispositam non potest cohibere voluntas ab operatione, qnod secus experimur in potentia loco-motiua, circa quam, si imperium suum exercet voluntas directum exercet. Ad illud de actu fidei dico, ideo indigere imperio voluntatis: quia non conuincitur à veritate obiecti: cum obscure proponatur, sicut conuincitur in assensu conclusionis, & in assensu etiam primorum principiorum.

Dices *Tertio*, intellectus est magis coniunctus voluntati, quam potentia exterior, propterea debet esse magis obediens & sic poterit impediri actus eius. Resp. quod in nostra sententia, cum omnes potentiæ animæ etsi sint externæ; sint identificatæ cum anima, omnes sunt æqualiter coniunctæ. Deinde potentia loco motiua est exterior, & tamen magis obedit (vt constat ex dictis, cum obediat directe,) quam intellectus.

100. Obiicies ex dictis supra quæstione 12. datur habitus facilitans intellectum ad assensum conclusionis, ergo ille assensus non est necessarius quoad exercitium: aliàs non adderetur illa noua facilitas circa illum? Respondeo neg. consequent. quia etsi intellectus sit necessitatus, datur talis habitus, non vt magis determinetur ad conclusionem, neque vt magis à veritate eius conuincatur; sed vt minori cum concursu illam eliciat, & in ea elicienda minus defatigetur; vel vt facilitetur ad disponendas præmissas in ordine ad assentiendum tali conclusioni; vel vt determinetur ad assentiendum illi sine actuali dispositione præmissarum; vel denique vt magis difficulter

difficulter possit amoueri, etiam indirecte, ne assentiatur tali conclusioni: vt & constat in habitu ad assentiendum principijs, & si ad ijs assentiendum determinetur ab eorum euidentia, quando sunt prima principia. Quæ omnes rationes traduntur & expenduntur à Theologis tractat. de Habitibus, de quibus & nos etiam ageremus in præsenti, nisi breuitati, vt promisimus, consuleremus.

DISPVTATIO VI.

De Voluntate & eius actibus.

QVÆSTIO I.

An; & Qualiter voluntas sit Potentia libera?

1. PRo priori parte quæstionis: *Conclusio est affirmatiua* & communis cum omnibus Theologis. Imo constat de fide: nam secundum Concil. Trident. sess. 6. cap. 4. & 5. datur in homine principium & potentia, qua mediante possit pro arbitrio suo bonum vel malum eligere, & obseruare vel non obseruare præcepta tam Diuina quam humana; sed principium hoc nullum aliud est quam voluntas, igitur voluntas potentia libera est.

2. Sed circa posteriorem partem quæstionis plura sunt notatu & explicatione dignissima. Nam primo supponendum est, *potentiam liberam* & *liberum arbitrium* non esse idem, sed potentiam liberam esse quid communius & superius, quod per rationem *liberi arbitrij* contrahitur: iuxta quod Aduertendum est, *principium productiuum per modum appetitus vt sic quod commune est agentibus rationalibus & irrationalibus contrahi ad esse principij liberi formaliter per realitatem quasi differentialem quæ est ratio determinatiua sui per modum electionis à se ipso.* Est doctrina Scoti quodlib. 16. n. 10. vbi sic dicit: *In quo igitur est libertas? Respondetur quia delectabiliter, & eligibiliter elicit actum & permanet in actu.* Quæ assertio licet subtilis valde sit & à Thomistis impugnata variis in locis in Theologia, solum indiget explicatione, ex qua quidquid contra illam obiici potest, facillimè soluitur. Est ergo Notandum ex Scoto 1. d. 2. quæst. 7. num. 33. & 4. d. 43. q. 4. num. 2. principium liberum opponi principio naturali: vt patet ex Philosopho 2. Physicor. text. 49. & 9. Metaph. cap. 2. diuidente agens *in naturale & à proposito*, id est liberum tanquam in membra opposita; *Et cum principium naturale sit illud, quod ex se & ex natura sua est determinatum ad operationem*, consequenter *principium liberum erit quod non est determinatum ex natura sua, sed se ipsum determinat.* Est ergo in agente naturali v. g. igne considerato in actu primoi modus quidam vel conditio agend, de ratione intrinseca ipsius principij per quam est determinatus ad ignefactionem ante omnem actum. E contra in principio libero ante omnem actum nulla reperitur determinatio; sed indeterminatio omnimoda. Et tantum potest intelligi determinatum per suam operationem. Hoc vocat Doctor elicere actum eligibiliter & permanere in illo, vel habere determinationem sui actus.

3. Hinc infertur, falsam esse descriptionem *potentiæ liberæ*, quæ circumferri solet à Thomistis: scilicet

cet esse illam; *quæ positis omnibus præ-requisitis ad operandum potest agere & non agere*; docentque principium liberum vt liberum continere eminenter vel virtualiter actum & negationem eius, aut duos actus contrarios: ista enim descriptio non conuenit causæ liberæ in communi, *sed causæ liberæ indifferenti & contingenti*, quæ opponitur causæ necessariæ, sicut libera opponitur naturali, & in hoc sensu interpretandæ sunt authoritates Patrum, quas pro se adducunt, vt probent, libertatem consistere in indifferentia ad operandum: loquuntur enim de causis liberis contingentibus, non de liberis vt sic. Et similiter explicandus est Scotus 2. d. 25. in fine: nam vt legenti constabit, non definit ibi libertatem vt sic & in communi, sed libertatem contradictionis, quæ est ad actum & negationem eius; libertas autem essentialis respectu vnici actus necessario eliciendi perfectissime saluatur.

Nec valet si dicas, quod principium respiciẽs vnicum actum sit determinatum ad illum, atque adeo non esse liberum: quia determinatio in actu primo opponitur libertati. Non valet: nam quamuis actus sit vnicus, non ponit determinationem in potentia libera, antequam illum eliciat, sed postea vel concomitanter: sicut enim est duplex necessitas secundum Scotũ quodlib. 16. supra, ita est duplex determinatio, alia cadens supra principium, & hæc constituit principium naturale, alia procedens ab ipso principio, quæ nullo modo opponitur libertati. Quod autem voluntas necessario operetur, non prouenit ex eo quod est determinata, sed ex eo quod se determinat, licet necessario; aut quia est summe recta, & obiectum in se est necessarium: vt apparet in voluntate Diuina respectu productionis Spiritus Sancti & respectu actus amoris essentialis; aut quia est rectificata: vt voluntas creaturæ in statu Beatitudinis: nam vt ait D. Anselm. de libero arbitrio cap. 1. liberior est voluntas quæ à rectitudine declinare non potest: quæ & est doctrina D. Aug. Enchirid. cap. 14. & ratio à priori est, quia tam libertas quam necessitas sunt perfectiones compossibiles, nec vna alteram excludit.

4. Ex his dicendum venit, *libertatem cum contingentia & indifferentia tam contradictionis quam contrarietatis esse formale constitutiuum liberi arbitrij.* Indifferentia cõtradictionis vocatur indeterminatio potentiæ liberæ respectu actus & negationis eius, qui sunt termini contradictorij. Indifferentia contrarietatis respectu actuum contrariorum scilicet odij & amoris. De assertione hac sic intellecta nulla est controuersia: nam certum est apud omnes liberum arbitrium aliquid addere supra libertatem in communi: alioquin superflue vterentur Patres & Doctores hoc nomine, si nihil aliud intelligerent præter liberam voluntatem, sed nihil potest intelligi superadditum nisi indifferentia, quod ipsum nomen *arbitrij* indicat: denotat enim deliberationem & consultationem de re, quæ aliter euenire potest, ergo &c. Itaque descriptio Thomistarum supra reiecta conuenit proprijssime libero arbitrio.

5. Quod si inquiras, *An indifferentia & contingentia sint omnino idem; & quid sint proprie loquendo?* Respond. vt enunciantur de voluntate esse synonyma omnino, aut saltem conuertibilia. Et potentiam quæ operatur indifferenter circa aliquod obiectum vel in aliquo actu, etiam respectu eiusdem operari contingenter. Dico igitur iuxta doctrinam traditam & ea quæ docet Scotus 1. d. 39. n. 26. & 2. d. 25. n. 22.

contingentiam esse modum quemdam positiuum tam in principio operante, quam in operatione ipsa, qui in hoc consistit, quod principium vt operans & actio vt egrediens possint aliter esse. Quare contingentia creata includit imperfectionem, sicut necessitas perfectionem. Illud igitur dicitur contingens, quod euenit euitabiliter; etsi efficiatur à causa potente se determinare ad alteram partem, est contingens liberum; si autem à causa quæ ab altera determinatur, est contingens naturale.

Dubium 1.

6. Vltra dicta potest dubitari: *An libertas competat voluntati secundum quod productiua est sui actus præcise, vel secundum quod receptiua eiusdem; an etiam secundum quod volitione recepta tendit vitaliter operando in obiectum?* & in primis certum est, non competere ipsi secundum quod passiua est seu receptiua sui actus. Quia ex Scoto 2. d.25.n.24. vt potentia dicatur operari libere debet habere actum in sua potestate; sed potentia passiua vt passiua formaliter non habet actum in sua potestate, ergo vt passiua præcise non est libera; mi. sic ostenditur, quia habens actum in sua potestate, mouet se ipsum, qui autem patitur mouetur ab alio priori, & prius vt prius aut eius actio non est in potestate posterioris, & consequenter si passum non habet in sua potestate actionem agentis, nec habere potest suam passionem: quia ipsum non patitur, nisi quatenus agens agit. Vnde Scotus 2. d.6.q.2.n.10. & 3. d.17.n.5. voluntatem, vt inclinatur ad recipiendum, appellat potentiam naturalem: habet enim inclinationem innatam seu appetitum suæ perfectionis, & à quocumque producatur, naturaliter recipit.

7. Item certum est, quod voluntati vt productiua est, competat proprie libertas: nam cum liberum & non liberum ex dictis diuidant adæquate principium actiuum, voluntas vt actiua seu productiua includi debet in altero membro diuisionis; sed non potest dici producere vt non libera: quia cum productio sit primus actus eius, si hic esset necessarius, reliqui omnes haberent eamdem necessitatem, nec saluaretur vnquam libertas voluntatis in operando. Est ergo difficultas an voluntas semel producta & recepta in se volitione, libere operetur & tendat in obiectum, non solum libertate essentiali quia de hoc non est dubium, sed etiam contingentiæ, idest an prout informatur volitione, ita operetur circa obiectum vt possit non operari?

8. Ad quod respond. negatiue. Et est sententia Scoti 1. d. 17.q.2.n.35. vbi hæc habet: *Concedo quod Spiritus Sanctus posset actum causare immediate in voluntate, & ipsum tamquam à se creatum acceptare tamquam dignum vita æterna; sed nec tunc iste actus esset voluntatis, vt in potestate eius, nec credimus ipsum talem actum acceptare: quia disposuit actum liberi arbitrij & qui esset in potestate eius acceptare.* Ex quibus manifeste colligitur, Scotum nō admittere libertatem operationis distinctam à libertate productionis: nam si contrarium sentiret, facile videret tendentiam ipsam in obiectum posse libere elici, atque adeo acceptari. Item 1. d. 3. q. 9. n.11. dicit: *Quod non est intelligibile, quod sit intellectio & volitio & quod non sit alicuius termini*; sed eo ipso quod intelligatur volitio transire super obiectum tamquam super terminum intelligitur voluntatem operari vitaliter intentionaliter, & relatio attingentiæ, qua formaliter dicitur volens: iuxta dicta disp. præced. quæst. 6.

quæst. 6. & 7. ergo semel producta volitione, non remanet vlterius libertas ad operandum. Vide disp. preced. num. 53. & 54.

Nec valet si dicas cum Neotorico quodam satis docto Scotista, qui forte iam sua scripta typis mandauit, quod licet necessario resultet, volitione posita, relatio mensurabilis in ipsa ad obiectum, non tamen relatio tendentiæ in obiectum, atque adeò in hac, in qua operari voluntatis consistit, posse etiam exercere suam libertatem. Non inquam valet: nam iuxta dicta disp. præced. num. 46. & 57. impossibile est volitione posita & recepta in voluntate, quæ est subiectum habens vim tendendi appetendo obiectum, non resultare etiam relationem tendentiæ & attingentiæ obiecti. Quod & insinuat Scotus dum dicit; *Quod sit volitio & quod non sit alicuius termini:* vbi relationem tendentiæ in obiectum, quæ sola est ad ipsum vt ad terminum, significat. Igitur voluntas formaliter vt operatiua est, non est libera libertate contingentiæ, de qua est dubium. Nec etiam obstat doctrina Scoti 1. d. 39. num. 21. vbi adscribit libertatem voluntati, vt operatiua est formaliter: nam vltra quod dubitatiue loquitur, dum dicit: *tamen libertas videtur esse eius in quantum est operatiua*; videtur ibi negare libertatem ipsi in quantum productiua est, quod est aperte falsum. Igitur ibi solum intendebat Scotus saluare libertatem in voluntate diuina absque productione & receptione sui actus. Quod quam æquiuoce & dissimiliter contingat in voluntate creata, satis constat. Propterea cum conceptus libertatis quantum ad omnes formalitates non sit vniuocus Deo & creaturæ, nec ex doctrina præfata sumi potest argumentum contra nos.

Dubium 2.

9. Denique dubitari potest, *An libertas formalis reperiatur in sola voluntate?* Circa quod tria sunt nobis discutienda. *Primum* est, An reperiatur etiam in parte sensitiua? *Secundum* an reperiatur etiam simul in intellectu? & *Tertium* an saltem libertas radicalis ponenda sit in intellectu?

Circa *Primum* nota, dupliciter potentiam aliquam vel eius actum posse dici habere libertatem: nimirum *formaliter & intrinsece, vel per extrinsecam denominationem. Tunc libertas dicitur formalis, cum potentia est principium totale suæ determinationis, vel actus eliciuntur à potentia se determinante; libertas per extrinsecam denominationem est tam in potentia quàm in actu subordinato potentiæ vel actui formaliter libero.* Certum est in parte sensitiua coniuncta cum rationali esse libertatem per extrinsecam denominationem: nam omnes actus appetitus sensitiui & potentiarum exteriorum imperati à voluntate sunt per subordinationem liberi: cum eliciantur à potentiis materialibus prout motis à voluntate. Est ergo tantum difficultas de libertate formali.

10. *Conclusio est negatiua*, Et non solum communis sed etiam certa & fere ipso lumine naturali nota: & ratio est, quia libertas & dominium sui actus tantùm reperiri potest in agente per cognitionem intellectualem, per quam percipiat quid agendum sit, & eo cognito possit pro suo arbitratu se in vtramque partem determinare; sed perfectio pertinens ad naturam intellectualem quatenus intellectualem non potest esse in parte sensitiua vel materiali, ergo nec formalis libertas.

11. Hinc infertur *Primo*, in brutis

non esse admittendum vllum vestigium libertatis, nec moueri ad aliquod obiectum ex indifferentia vel potestate operandi. Quod ostenditur tam ex parte imaginationis mouentis eorum appetitum, quam ex parte ipsius appetitus: nam illa apprehensio imaginationis præcedens appetitionem bruti non est collatiua vnius obiecti cum alio, nec proponit appetitui delectabile cum indifferentia, sed cum omnimoda determinatione, prout obiectum magis vel minus mouet. Ipse vero appetitus: vt egregie docet Scotus 3.d.33.n.9, vel patitur ab obiecto, vel coagit ei quantum potest, vnde non habet in potestate sua actum vel modum actus. Et licet operetur mediante cognitione, illa non se habet vt conditio ad appetendum, quemadmodum in agentibus, rationalibus; sed est causa efficiens, vel sola vel coagens appetitui. Quando ergo brutum ex diuturna alligatione fatigatum appetit deambulationem vel volutationem, non præfert vnum obiectum alteri per electionem, sed trahitur ab apprehensione fortius mouente. Sic Scotus 2. d. 25. num. 8, cum vero offeruntur ei obiecta æqualia v. g. Duo pabula, appetit illa per modum vnius, & à parte aliqua incipit naturali instinctu monstrante totum pabulum simul consumi non posse.

12. Infertur *Secundo* contra aliquos Thomistas appetitum sensitiuum etiam prout in nobis est coniunctus cum gradu intellectiuo, esse incapacem omnis libertatis formalis. Fundamentum sumitur ex dictis: quia appetitus sensitiuus noster est eiusdem rationis cum appetitu brutorum, ergo si in illis non est liber, neque in nobis.

Quod si obiicias Scotum 2. d. 42. num. 19. aperte docere appetitum in nobis esse rationalem per participationem, quod negat appetitui brutorum, ergo etiam est liber per participationem: ℞. nomine participationis non intelligere Doctorem aliquod prædicatum vniuocum, rationalis commune appetitui & parti intellectiuæ; sed extrinsecam denominationē per imperium voluntatis, vt explicatum est: nam participatio alia est vniuoca vt sapientia creata dicitur participatio Sapientiæ Diuinæ, alia æquiuoca secundum quam possumus dicere, mare participare à Luna augmentum & decrementum; Actus sensuum participare bonitatem vel malitiam à voluntate, & eadem ratio est de conceptu libertatis. Hanc duplicem participationem assignat Scotus quodlib. 13. n. 12. in fine, vbi distinguit participationem per communicationem eiusdem formæ vt albi ad album, & per imitationem vt actus ad suum obiectum, & idæati ad idæam.

13. Dices omnes Doctores cum Aristot. lib. Politic. cap. 3. constituunt hoc discrimen inter appetitum sensitiuum & alias potentias materiales, quod istis imperat voluntas principatu despotico, qui est Domini ad seruum; illi vero principatu politico vel regali, qualem habet Princeps erga subditos, ingenuos & liberos, vt & constat ex dictis supra disp. 3. n. 34. ergo signum est in appetitu esse aliqualem libertatem: quia hæc obedientia politica appetitus non videtur intelligi posse, nisi medio vsu rationis dirigatur à voluntate cum aliqua indifferentia. Vnde videmus reliquas potentias v.g. loco motiuam non resistere voluntati efficaciter imperanti: nam vt ait Scotus 2. d. 42. n. 16. nullum membrum habile ad motum, nisi sit aridum, resistit voluntati imperanti; appetitus autem inhæret proprio delectabili,

ctabili, etiam voluntate contranitente, vt copiose tractat Doctor, 2.d.29. num. 4. & 5. R. illud discrimen esse verum & admittendum, sed nihil inferri ex eo contra doctrinam traditam: ratio est quia licet voluntas moueat appetitum media cognitione, in quo differt hæc potentia ab aliis materialibus, hoc tamen non facit voluntas producendo aliquid spirituale in appetitu, quod est impossibile, sed præcipiendo intellectui, vt attente consideret obiectum, in quod inclinare vult appetitum, & hinc cognoscitiua inferior, à qua immediate mouetur appetitus, efficacius illud ipsum ostendens, trahit appetitum, vt illud prosequatur. Sic noster Cauellus disp. 2. de anima sect. 5. ex doctrina Scoti dicta dist. 42. quod vero appetitus inclinari possit in suum obiectum etiam contra motionem efficacem voluntatis, non est ad rem: quia id non facit ex electione, sed potius quia trahitur ab apprehensione boni delectabilis, sicut aliæ potentiæ naturales à propriis obiectis.

Circa *Secundum an scilicet reperiatur libertas formalis simul in intellectu & voluntate?*

14. Sit prima conclusio, *Non est in nobis aliqua potentia quasi media inter intellectum & voluntatem vtriusque motiua, in qua sit formaliter libertas*, ita omnes Theologi contra opinionem singularem nostri Alex. Alens. 1. p. quæst. 72. membro 1. art. 1. Fundamentum est quia talis potentia media superflua est, & si illa poneretur, iam libertas propria esset auferenda à voluntate: cum non possit esse formaliter in duabus potentiis; sequela est omnino falsa vt constabit ex conclusione 4. ergo &c.

Dices cum Alensi, in anima esse imaginem expressam Trinitatis, ergo sicut intellectus correspondet Filio, cui appropriatur sapientia, voluntas Spiritui sancto, qui est amor, ita dari debet tertia facultas motiua vtriusque correspondens Patri, cui tribuitur potentia: R. hac congruentia nihil efficaciter concludi posse: nam imago in tribus animæ potentiis saluatur memoria, intellectu & voluntate. De quo latius videndus est Scotus 1. d. 3. quæst. 9. & 2. d. 16. numero 20. & d. 24. numero 5. & quodlib. 15. numero 6.

15. Secunda conclusio, *libertas formalis non est simul in intellectu & voluntate, ita vt intellectus proprius & principalius liber sit, quàm voluntas.* Hæc est contra aliam opinionem singularem Durandi 2. dist. 24. quæst. 3. Probatur eodem fundamento, quo sequens conclusio probabitur, nunc Durandi rationes audiamus.

16. Obiicies ergo *Primo*, per actus intellectus magis habemus dominium cæterorum, quàm per voluntatem, ergo intellectus est principalius liber. probatur anteced. nam actus intellectus quoad attingentiam obiecti indifferentis æquiualet voluntati: nihil enim volitum quin præcognitum, & ideo quidquid voluntas attingit per volitionem, attingit intellectus per cognitionem, & intellectus excedit voluntatem, quia regulat eius actus indifferentes, ergo &c. R. non sufficere indifferentiam potentiæ ex parte obiecti, sed ex parte modi attingendi illud, scilicet ex eo quod operetur se ipsam determinando eligibiliter, quod nullatenus conuenit intellectui. Vnde quamvis cognoscat omnia, in quæ tendit voluntas, numquam operatur libere, quia ab obiecto determinatur; regulare autem actus voluntatis non est munus potentiæ liberæ; si enim obiectum rectè sit approxima-

tum, proponitur necessario vt in se est, manente voluntate cum omnimoda indeterminatione. Solutio est Scoti pluribus in locis & doctrina indubitata in eius Schola præcipue tractatib. de *Actibus hum.* & de *Peccatis* vbi conueniunt omnes Scotistæ, cum præfata scientia & sine vllo errore aut defectu ex parte intellectus posse voluntatem deuiare & peccare.

17. Obiicies *Secundo*, intellectus in rebus contingentibus & vtrinque probabilibus non tenetur vni parti potius quàm alteri adhærere, sed consultat & ad quamlibet se determinat, ergo operatur cum indifferentia & libertate; sed hæc indifferentia est prior & causa indifferentiæ voluntatis, ergo in intellectu est principalior libertas: ℞. intellectum esse indeterminatum in practicis, non quia habet dominium sui actus: Dominium enim est perfectio potentiæ; indeterminatio vero intellectus circa contingentia oritur ex imperfectione, vt perspicue docet Scotus 2. d. 25. num. 10. Et ratio est, quia nequit syllogizare ad vtramque partem contradictionis, nisi ad alteram syllogizet sophistice; ideo autem circa huiusmodi obiecta intellectus est indeterminatus: quia non sunt perfectè applicata, vt naturali impetu feratur in illa: agente enim obiecto, intellectus agit quantum potest: vt ait Scotus 1. d. 1. quæst. 2. num. 9. Et eius cognitio semper esset euidens, si haberet obiectum debite approximatum. Quare hinc colligere libertatem, est ignorare libertatis naturam, illa enim dicitur causa libera, quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum, potest agere & non agere; defectu vero obiecti omnes potentiæ naturales cessant ab actibus, vel contrarios exercent, provt ab ipsis obiectis mouentur.

18. Obiicies *Tertio*, si intellectus non esset principalius liber, quando concludit iudicium suum, pari ratione voluntas non esset libera in sua electione ergo &c. anteced. probatur, voluntas nequit eligere nisi illud, quod ratio concludit esse faciendum post deliberationem: Quod videtur voluisse Aristot. dum vocat potentias rationales liberas 9. Metaph. cap. 3. & diuidit naturam contra intellectionem & contra agens à proposito 2. Physicor. tex. 49. ergo intellectus sicut est potentia rationalis, ita & libera: ℞. neg. anteced. & eius probat. Ad id autem quod dicitur, rationem concludere quod sit faciendum, nota locum Scoti 4. supra. *Dico quod intellectus apprehendit agibile, antequam voluntas illud velit; sed non apprehendit determinate hoc esse agendum (quod apprehendere dicitur dictare) imo vt neutrum est offert voluntati diuinæ, qua determinante per volitionem suam illud esse agendum, intellectus apprehendit tanquam verum, illud esse agendum.* Hinc apparet, voluntatem concludere, quod intellectus non concludit, idest vel se determinate quod intellectus proponit indifferēter. Nam licet in nobis sit actus ille dictãdi, quē excludit Scotus ab intellectu diuino: quia cum voluntas diuina sit prima regula, non regulatur à cognitione antecedenti; tamen quoad indeterminationem voluntatis eadem ratio est nobis: licet enim iudicium intellectus sit determinatum, potest tamen voluntas illud non sequi, & in hoc sensu eligit quod iudicium intellectus non concludit. Quam autem hoc sit verum intelliges ex alia Scoti doctrina 2. dub. 6. quæstio. 1. numero 6. vbi docet, quod apprehensis per intellectum albedine & coruo absque prædicatione vnius de alio, potest voluntas velle albedinem coruo. Si ergo volitio datur abs-

que actu iudicij præcedente, quanto magis poterit appetere voluntas, quod iudicium intellectus non concludit? Ad Arist. respondet ex professo Doctor, 2. d. 15. n. 23. accepisse intellectum in duplici sensu, *primo* pro potentia operatiua ad intra, *secundo* pro potentia practica respectu agibilis ad extra. Secundum primam acceptionem distinguitur à voluntate & de eo agit Philosophus 3. de Anima cap. 4. iuxta secundam vero loquitur frequentius, vt obseruat Scotus, & pro eodem accipit intellectum, propositum, electionem & appetitum: quia actus vtriusque potentiæ concurrunt ad opera externa. Quare cum Aristoteles videtur tribuere intellectui libertatem, non tribuit illam potentiæ intellectiuæ secundum se, sed agenti intellectuali, idest agenti à proposito ex imperio voluntatis media cognitione.

19. Tertia conclusio, *In intellectu non solum non est principalis libertas, sed nec vlla libertas formalis, in differentia vel dominium sui actus.* Est communis & adeo certa, vt potius supponi quam probari debeat. Probatur tamen *primo.* Motio omnino prima in entibus est necessario naturalis: vt tanquam principium assumit Scotus quodlib. 14. num. 14. Et licet loquatur de motione omnino prima scilicet de essentia diuina respectu intellectus diuini, tamen semper verum est, vbicumque sunt duæ potentiæ quarum vna moueatur ab obiecto naturaliter, alia ad obiectum libere, motionem omnino primam esse naturalem: quia alias nulla esset motio naturalis: cum operatio ex natura rei supponens operationem liberam, sit etiam libera mediate vel immediate; sed in agentibus per intellectum & voluntatem motio intellectus est omnino prima: quia nihil volitum quin præcognitum, ergo eius operatio est naturalis & nullo modo indifferens. *Secundo* libertas vel est essentialis vel contrarietatis vel contradictionis, nullam istarum habet intellectus, ergo; non essentialem, quia non se determinat, sed ab obiecto determinatur; non aliquam ex alijs duabus: quia obiecto sufficienter applicato, non potest actum suspendere nec dissentire, si offertur vt verum, nec assentire, si vt falsum: vt constat ex q. vltima disp. præced. ergo &c.

20. Quarta conclusio, *libertas formalis tantum reperitur in voluntate.* Sic Theologi & Philosophi omnes cum Scoto locis citatis & D. Thoma. Probatur ex D. Paulo 1. Corinth. 7. *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis.* Plura alia testimonia adducuntur frequenter ab auctoribus. Eamdemque veritatem passim tradunt Patres August. Bernard. Damascen. & alij. Ratione sic probatur: modus operandi libere est perfectio rationalis creaturæ, ergo ponendum est in ipsa principium actiuum liberum; hoc non est intellectus ex dictis, ergo voluntas, cum nulla sit alia potentia, cui libertas tribui possit.

Circa *tertium*, *An scilicet libertas saltem radicalis ponenda sit in intellectu?* Nota libertatem radicalem prout distinguitur à libertate formali, de qua hucusque diximus, posse dici illam, à qua dimanat libertas formalis: idem enim mihi videtur *radicalis*, quod *virtualis.* Qua ratione dicimus hominem vt constitutum rationalitate esse radicaliter vel virtualiter risibilem: quia risibilitas causatur efficienter à rationalitate; & animam rationalem esse radicale principium intelligendi & volendi: quia est radix intellectus & voluntatis. Item Nota, Doctores omnes conuenire in hoc certissimo principio:

voluntatem

voluntatem nihil velle aut eligere posse, nisi prauia intellectus cognitione, de quo q. seq. Inquirimus ergo, an ob hanc præcedentiam operationis intellectus, in ipso sit radix libertatis voluntatis?

21. Nostra conclusio est, *quod intellectus nullo modo sit radix libertatis, sed voluntas omnino sit libera à se ipsa.* Est Scoti 2. d. 25. nam aperte sequitur ex his quæ docet totâ illa q. præsertim n. 6. & n. 22. quamuis nomine *libertatis radicalis* non vtatur: quia vt existimo incognita erat in scholis huiusmodi loquutio. Conclusio statuitur contra opinionem communem Thomistarum. Probatur *primo*: Quidquid per se antecedit operationem voluntatis est mere naturale in operando; sed actus intellectus per se & ex natura sua præcedit omnem operationem voluntatis, ergo est omnino naturalis. ma. patet: nam omnis potentia, quæ voluntatem præcedit, operatur vt determinata ad vnum, sicut visus & alij sensus externi & interni.

Respondent aduersarij, iudicium intellectus non esse proprie de requisitis, sed de concomitantibus operationem liberam, vnde voluntas non dicitur libera, vt excludens intellectum, sed vt concomitans tanquam radicale principium libertatis: cuius ratio est quod intellectus est directiuus voluntatis, & ideo actus liber essentialiter pendet ab vtraque potentia, ab vna quidem vt ab eliciente, ab alia vero vt à dirigente. Hæc solutio est insufficiens: omnes enim concedimus cognitionem esse simul tempore cum volitione, sed priorem natura, nec puto ab aliquo posse negari. Indubitatum etiam est, intellectum per suos actus regulare voluntatem, sed difficultas est: vtrum sit regula omnino naturalis & nullatenus libera: nam de ratione regulæ non est libertas radicalis: alioquin obiectum actus voluntatis, quod etiam est regula, haberet radicalem libertatem. Controuersia in hoc consistit, an intellectus ita sit regula voluntatis, vt voluntas non possit non sequi eius iudicium; vel aliter an intellectus iudicet aliquo modo libere & ab illo habeat originem libertas voluntatis?

22. Respondent ergo alij, omnem actum qui præcedit voluntatem esse naturalem elicitiue: quia elicitur ab intellectu, qui non operatur cum electione formali; non tamen esse mere naturalem obiectiue: nam cum sit de obiecto necessario, habet ex parte eius contingentiam & indifferentiam. Dicunt ergo duplicem esse indifferentiam, aliam ex parte potentiæ, & hanc non reperiri in intellectu, aliam ex parte obiecti, quam tribuunt iudicio intellectuali. Sed contra, hæc indifferentia obiectiua non est contradictionis nec contrarietatis, ergo nulla est & omnino fictitia; probatur non esse contradictionis: quia huiusmodi indifferentia nihil aliud est, quam intellectum syllogizare practice in vtramque partem inferendo conclusionem aliquam & eius contradictoriam; sed hoc oritur ex imperfectione intellectus: vt docet Scotus supra n. 6. & diximus nuper. nu. 16. ergo si libertas voluntatis radicatur in ignorantia seu imperfecto modo cognoscendi, nec conuenit illi nisi per accidens contra omnium Doctorum sententiam, qui definiunt voluntatem: *Appetitum cum ratione liberum.* De indifferentia contrarietatis sic ostendo: potest esse libertas in voluntate absque indifferentia intellectus ad iudicia contraria, ergo hæc indifferentia non est radix libertatis. Assumptum probo in casu quo proponantur homini duo media æque conuenientia & bona, tunc potest

test acceptare vnum pro suo libito & alterum reiicere; hæc libera electio non prouenit ab indifferentia contrarietatis obiectiua intellectus: suppono enim æqualiter de vtroque bono iudicare, ergo &c.

23. Respondet Caiet. 1.2. q.13. art.6. Et videtur esse sententia Thomistar. ibid. In casu assignato voluntatem eligere non posse; si autem quæras, quo modo saluetur libertas voluntatis, cum dependeat ab indifferentia iudicij? Dicunt eatenus voluntatem in casu prædicto posse libere eligere, quatenus præcipere potest intellectui, vt attentius consideret & iudicet de conuenientia obiectorum, quousque in aliquo excellentia peculiaris splendeat, propter quam eligatur. Sed contra, ergo voluntas ab intellectu determinatur non solum radicaliter sed etiam formaliter. Præterea videtur hæc responsio repugnare manifestæ experientiæ, qua videmus, eligere nos sæpe aliquod bonum, dimisso æquali, imo excellentiori. Et quis dubitet voluntati Diuinæ præsentata esse plura media æqualiter bona cum illis, quæ eligit ad ostensionem misericordiæ & liberalitatis suæ? Sed his omissis insto adhuc rationem à priori. Indifferentia illa ex parte obiectorum non tollit omnimodam naturalitatem ex parte intellectus in operando: nam vnumquodque eorum necessario mouet ad cognitionem sui, ergo siue iudicium sit æquale siue inæquale de bonitate mediorum, nunquam est contingens ex modo operandi, nec egreditur à potentia se determinante, ergo ibi nulla reperitur libertas; etsi voluntas sequatur necessario tale iudiciũ, omnis eius operatio erit ex necessitate naturæ. Fateor his rationibus æstimatis, me nõ percipere quo modo hi Auctores saluent vere, & in re libertatem.

Probatur *secundo*, quod est radix & origo alterius, debet aliquo modo esse causa illius: id enim videtur exposcere ratio radicis; sed intellectus aut eius actus non sunt causa concurrens efficienter ad actum volunratis, ergo nullo modo potest dici radix libertatis. mi. in qua est vis probationis, constabit ex dicendis q. seq.

24. Nunc ex dictis infertur, intellectum tantum posse habere libertatem per participationem, sicut & reliquas potentias naturales: cum enim nec formali nec radicali libertate sit præditus non magis quam visus vel auditus, ideo non aliter potest libertatem habere, quam participando ipsam à voluntate, quatenus subditur eius imperio. Hinc colliges cum Scoto 4. d. 14. quæst. 2. num. 5. & alibi pluries, actum imperij, qui exprimitur per hæc verba: *Fac hoc* soli voluntati conuenire, quæ omnibus potentijs dominatur. Quæ vero obiiciunt Thomistæ 1. 2. quæst. 17. art. 1. facile soluuntur: nam solum probant, ad actum imperij requiri iudicium præcedens, quod libenter fatemur; negamus tamen id esse formaliter imperare; nec admittimus post electionem voluntatis intimationem intellectus, sed posita efficaci volitione imperatiua obediunt reliquæ potentiæ, vnaquæque secundum suam naturam: vt latius traditur tractat. de Actibus humanis.

QVÆSTIO II.

Qua ratione voluntas à cognitione dependeat?

25. SIT prima conclusio, *nec naturaliter nec Diuinitus potest voluntas amare, quod non cognoscit prius intellectus.* ita communiter fere omnes cum Philosopho 3. de anima; imo nec sufficit ad volendum aut amandum habuisse aliquando cognitionem, sed requiritur haberi actu: vt docet Scotus 2.d.42. quæst.4. nu.7. dicens: *Impossibile est voluntatem velle actu nisi sit actualis intellectio in intellectu? si enim sufficeret habitualis, tunc dormiens, vel quantumcumque distractus posset velle aliquid notum in habitu.* Est doctrina expressa & copiose tradita à D. August. in libb. de Trinitate præsertim lib. 8. & 10. cap. 1. vbi ait: *Rem prorsus ignotam amare omnino nullus potest.* Probatur prior pars: quia in Ecstasi, vbi minus videtur necessaria cognitio propter abstractionem à sensibus, semper adest cognitio: vt docet idem August. in illud Psalm. 67. *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu.* Item D. Anselmus, Beda & alij; & ipse Paulus testatur 2. ad Corinth. 12. *Audiuit arcana verba &c.* & ratio est quia quilibet amans aut odio habens, fertur in aliquod obiectum: & si rogetur quid amet Ecstaticus? poterit dicere, quod tale vel tale obiectum, ergo cognoscebat quod amabat: alioquin non posset reddere rationem de illo: nam cum dicunt se experiri, amare sine cognitione, vel hoc experiuntur, dum sunt in Ecstasi, vel postea? si in Ecstasi, ergo pro tunc habent cognitionem, quia experientia cognitio est; si postea, ergo cum habeant memoriam eorum, quæ sibi contingunt in Ecstasi, habuerunt tunc cognitionem: nam memoria est recordatio præteritæ cognitionis.

26. Opposita sententia immerito tribuitur nostro Seraph. Doctori S. Bonauent. nam opusculum de mystica Theologia, in quo hæc singularis opinio continetur cap. 3. part. 4. qu. vnica, euidenter constat alterius esse auctoris: vt ex annotat. in edit. Vaticana anno 1596. eidem opusculo præfixa cuiuis patere potest. Locus vero ex Itinerario mentis in Deum c. 7. qui etiam allegari solet, alienissimus est ab hac doctrina, vt statim explicabitur. Cuiuscũque ergo sit prædicta sentẽtia.

Obiicitur pro ea D. Dionys. Areopag. epist. 5. vbi explicans quid sit caligo Diuina, sic ait: *Ad hanc pertingit, eoque absorbetur quisquis Deum nosse, ac videre meruerit, eo ipso, quod neque videt neque cognoscit, illi, qui visionem omnem cognitionemque transcendit, familiarius coniungitur:* Similia habet alijs in locis. Resp. iam diu animaduersum esse à viris doctis, etiam qui assertionem amoris sine cognitione aliquo modo defendere conantur, D. Dionysium illi nullatenus fauere. Et sane si eius mens esset, quam intendit opponens, contradictoria & implicatoria loqueretur: cum dicat, in caligine Deum cognosci à nihil cognoscente. Solum ergo excludit cognitionem rerum creatarum, vel quæ habetur ministerio sensuum, vel laboriosam & discursiuam. Eadem prorsus est mens D. Bonau. nam cap. 7. citato postquam dixit: *In hoc autem transitu, si sit perfectus, oportet, quod relinquantur omnes intellectuales operationes, & apex affectus totus transferatur & transformetur in Deum;* addit paulo inferius: *Theologia mysteria secundum superlucentem absconditam*

absconditam occultè docentis silentij caliginem &c. admittens perspicue *silentium occultè docens* in illo ipso statu, quo omnes operationes intellectuales excluserat. Quæ doctrina & modus loquendi, vt omnes fatentur, ex Paulo Apost. sumpta est, quotiescumque sapientiam Christianam *stultitiam* vocat: vt 1. Corinth. 1. & 2. Imo ex verbis Domini Math. 11. *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus.* Quare prædicta testimonia omnino præter rem afferuntur.

Dices. Potest voluntas imperare intellectui vt nihil cogitet, ergo tunc erit amor sine cognitione vlla: ℞. tunc necessario futuram cognitionem carentiæ cogitationis, quam amat: sicut quamtumvis dicat voluntas, nolo aliquid amare, dum tamen perseuerat in eo actu, aliquid amat, nempe carentiam aliorum amorum directorum; carentiam autem sui ipsius non potest amare pro illo instanti.

27. Probatur etiam posterior pars quòd nec diuinitus possit esse amor sine cognitione: nam volitio fertur ad bonum secundum esse apprehensum, sicut appetitus naturalis ad bonum in esse rei; & hinc fit, vt rem in se bonam, si tamen vt malam proponat intellectus, non possit amare voluntas, ergo sicut non potest ferri appetitus naturalis ad rem non habentem in se bonitatem, ita nec appetitus elicitus seu volitio ad obiectum non habens esse in intellectu, idest non cognitum. Et confirmatur, quia res non existens non potest nec diuinitus operari, ergo nec res non cognita amari: probatur conseq. quia quod in causis physicis est existentia physica ad producendum, est in obiecto voluntatis existentia intentionalis seu per intellectum, vt ametur, ergo sine cognitione nec diuinitus poterit amari.

28. Dices, amor non dependet essentialiter à cognitione: cum sit entitas absoluta, ergo non est negandum, quin Deus aliquando viris perfectis det amorem sui sine cognitione: ℞. si intelligatur de amore, prout est operari voluntatis neg. anteced. de quo disp. præced. num. 55. quia etsi amor produci possit sine cognitione in subiecto non habente vim appetitiuam v. g. in lapide, non tamen in voluntate, quæ quia, amore in se recepto, non potest non tendere ipso in obiectum, nec potest non præsupponi cognitio de ipso: Est enim obiectum cognitum terminus amoris tendentis, seu tendentiæ amoris: vt constat ex probationibus conclusionis.

29. Secunda conclusio, *Nec cognitio obiecti, nec obiectum ipsum concurrit physice efficienter ad actum voluntatis, sed habet se vt conditio sine qua non.* Est communis, & Scoti 2. d. 25. num. 6. & 22. & d. 37. quæst. 2. num. 2. Et sensus eius est, quòd quidquid ex parte obiecti mouet potentiam liberam, non efficienter mouet, sed metaphoricè, tantum alliciendo: alias finis qui mouet vt cognitus, esset causa efficiens, & confunderentur genera causarum. Probatur, si cognitio concurreret actiuè & efficienter ad volitionem, non posset voluntas velle & nolle obiectum, posita eius cognitione: suppono enim volitionem obiecti boni esse efficienter à cognitione eiusdem. Inquiro, an ab eadem cognitione efficienter concurrente possit esse actus nolitionis? Si affirmes, ergo ab eadem causa naturaliter operante secundum eamdem virtutem egrediuntur effectus contrarii; si neges; ergo cognitio non concurrit efficienter ad actum volendi: quia non est comprincipium adiuuans voluntatem iuxta eius modum operandi cum

indifferentia. Aduerte tamen vim huius rationis non niti præcise naturalitati causæ concurrentis cum voluntate, sed causæ simpliciter mouentis, quale esset obiectum. Quare contra nonnullos recentiores existimo, etiamsi actus intellectus secundum se consideratus efficeret actum voluntatis, nihilominus voluntatem libere operaturam: ratio est quia tunc actus intellectus esset causa subordinata voluntati, ergo non determinaret illam necessario: vt constat in habitibus tam infusis quàm acquisitis, cum quibus sic concurrit voluntas, vt non habeat totalem actiuitatem, habet tamen totalem libertatem iuxta illud commune: habitibus vtimur, cum volumus. De quo videndus Scotus 3. dub. 33. numero 7.

30. Secunda pars conclusionis constat ex dictis: nam cum ex conclusione præced. debeat necessario & indispensabiliter præsupponi cognitio obiecti ad volitionem eius; & ex præsenti non concurrat vt causa, relinquitur, quod tanquam conditio *sine qua non* concurrat. Vbi nota, aliquos ex aduersariis calumniari nos, quasi dicamus cognitionem intellectualem solum esse occasionem exercendæ libertatis, quod est omnino falsum, & apud doctorem nostrum verosque eius sectatores in auditum: appellamus enim cognitionem intrinsecam & essentialem conditionem, vt operetur voluntas; conditiones autem huiusmodi necessariæ & indispensabiles sunt, nec per potentiam vllam suppleri possunt: sic se habet suppositum in diuinis ad productionem ad intra: nec enim est ratio agendi, sed conditio intrinseca agentis, necessario tamen requisita.

31. Petes si cognitio tantum est conditio ad volendum, quæ ergo est ratio tantæ necessitatis, vt voluntas in incognitum ferri non possit? Respondet Scotus 1. d. 1. quæst. 1. n. 3. & 4. necessario requiri propter duo. *Primum* est vt voluntas habeat præsens intentionaliter obiectum, in quod tendat, quod non potest esse aliter quam per cognitionem. *Secundum* propter ordinem ipsarum potentiarum in operando, cuius ordinis vlterior ratio reddi non potest, nisi quia sunt talis naturæ: sicut sensus communis operari non potest, nisi prius aliquis ex sensibus externis operetur propter naturalem subordinationem.

32. Inquires, qualis cognitio requiratur ad actum voluntatis, an iudicium de bonitate vel malitia obiecti; vel sufficiat simplex apprehensio eius? ℞. cum distinctione: nam ad simplicem affectum seu complacentiam in bono proposito aut displicentiam in malo, quæ quidem dicitur *simplex*: quia ex se non est sufficiens ad producendum vel ad relinquendum obiectum: multa enim nobis placent aliqualiter, quæ tamen non volumus absolute; & è contra aliqualiter nobis multa displicent, quæ tamen non vitamus absolute. Ad hanc (inquam) simplicem complacentiam, quæ quidem sit actus plene deliberatus, sufficit simplex apprehensio; at vero ad voluntatem seu volitionem efficacem, quæ quia de se est effectiua sui obiecti, dicitur efficax seu efficiens, requiritur iudicium. *Primum* patet, quia posita simplici apprehensione præcise, iam innotescit obiectum voluntati, itavt si feratur in illud, non feratur in incognitum, ergo sufficit simplex apprehensio: solùm enim videtur requiri cognitio, vt obiectum sit intentionaliter præsens, qualiter est per apprehensionem. Deinde quia sufficit simplex apprehensio

ad

ad actum appetitus sensitiui in brutis, ergo & ad actum deliberatum in nobis: patet conseq. quia tam potens est apprehensio spiritualis ad appetitum spiritualem, quàm materialis ad materialem.

Dices, si hæc paritas valeret, concluderet etiam quantum ad amorem efficacem: quia bruta efficaciter appetunt cum sola apprehensione: ℞.neg. conseq. Et est maxima disparitas: quia bruta & solum efficaciter possunt appetere & solam apprehensionem possunt habere; nos autem quia & possumus habere simplicem apprehensionem de obiecto & indicare de bonitate eius, ideo debemus assignare proportionem in nostris actibus, ita quod ad perfectiorem in voluntate perfectior in intellectu præcedat, & ad imperfectiorem imperfectior, propterea ad amorem efficacem præcedere debet iudicium de possibilitate obiecti & finis.

33. Obiicies: Si simplex apprehensio sufficiat ad actum voluntatis plene deliberatum, sequeretur, voluntatem in tali actu non posse peccare, probatur sequela, ideo voluntas peccat, quia non conformatur actui conscientiæ; sed actus conscientiæ non potest esse simplex apprehensio, ergo neque voluntas tunc posset peccare; probatur mi. conscientia est regula ad quam se debet conformare voluntas; sed regula debet esse iudicium practicum, ergo vel non posset peccare voluntas in tali actu deliberato, vel non sufficit simplex apprehensio: ℞. voluntatem posse peccare, etsi non præcesserit iudicium dictans: quia est potentia collatiua, & potest ponere conuenientiam in obiectis, quæ nec proponuntur ab intellectu, nec possint proponi vt conuenientia, nisi à iam excæcato. Hoc patet in casu quo intellectus proponeret per simplicem apprehensionem coruum & albedinem voluntati, & voluntas posset velle albedinem coruo, vbi est actus collatiuus in voluntate, non præcedenti tali in intellectu. Hanc doctrinam colligo ex Scoto 2. d. 6. quæstio. 1. numero 5. & 6. vbi disputat de peccato Angeli, & docet quod semel apprehendendo voluntas eius, æqualitatem Dei & naturam suam, potuit appetere talem æqualitatem sibi.

34. Pro exacta notitia quæstionis aduerte. *Posse voluntatem quocumque iudicio seu assensu intellectus posito, ab illo dissentire, & illi se non conformare.* Quod sequitur ex dictis q. præced. de libertate voluntatis, ob quam à nullo determinatur, sed se ipsam determinat pro suo libito, atque adeo quolibet iudicio intellectus perseuerante, potest se ad diuersam partem determinare. Quod assertum multas inuoluit difficultates, quæ non possunt exacte discuti in præsenti de ipsis habetur disputatio tractat. de Actib. humanis & de peccatis, vbi constans est sententia Scoti 3. d. 36. à numero 12. posse voluntatem deuiare à quocumque iudicio intellectus quamtumvis proximo & practico atque adeo posse peccare sine errore aut defectu vllo in intellectu.

QVÆSTIO III.

Quodnam sit obiectum voluntatis?

Circa decisionem huius quæstionis est non parua dissensio inter Scotistas: quia nonnulli inter quos Felix tom. 1. Tentatiuæ Complutens. tractat. de beatitudine, capite 4. difficult. 1. dubio appendice, qui & pro

pro se citat Fabrum, Nominal. & alios, asserunt posse voluntatem velle malum sub ratione mali & nolle bonum sub ratione boni; plures vero alij cum communi Thomistar. & reliquorum sententia obiectum voluntatis quoad volitionem assignant bonum & quoad nolitionem malum, cum quibus,

35. Sit nostra conclusio, *Obiectum voluntatis respectu prosequutionis & amoris est bonum, respectu autem fugæ seu odij est malum. Quare obiectum adæquatum eius prout elicitiua est vtriusque actus, est bonum & malum.* Est communis cum D. Thom. & Scoto 3. d. 3. numero 3. & 4. d. 49. quæstione 10. numero 8. nam in aliis locis vbi ab aduersariis citatur, dubius mansit, nec aliquid resoluit. Probatur, quia actus ex genere distincti habent obiecta ex genere distincta; sed volitio & nolitio sunt tales actus, ergo habent obiecta ex genere distincta, ergo vlterius obiectum volitionis est tantùm bonum, & nolitionis solùm malum. Et confirmatur *Primo* contra aduersarios. Quia ex D. Dionys. capite 4. de diuinis nominibus. *Nemo ad malum intendens operatur* idest nemo operatur prosequens malum vt malum est, seu consideratum sub ratione mali. Confirmatur *Secundo* experientia ipsa, qua cognoscimus, quod quidquid vult voluntas, vel vult illud tanquam medium vel tanquam finem (omisso nunc actu circa bonum vt sic, qui nihil fauere potest contrariæ sententiæ: cum obiectum eius sit bonum) si tanquam medium; fertur in illud vt conducens ad consequutionem finis, atque adeo vt in bonum vtile; si tanquam finem, erit bonum honestum vel delectabile; similiter quidquid non vult, seu odio prosequitur, vel non vult illud propter se, vel non vult illud propter aliud, & tunc ob rationem malitiæ hoc duplici modo ipsum non vult, ergo quidquid vult ob rationem boni vult, & quidquid non vult ob rationem mali, non vult.

36. Nec placet doctrina nostri Cauelli disputatio. 3. de Anima sect. 12. & aliorum, qui dicunt, voluntatem solum materialiter tendere in malum: quia omne nolle supponit velle, & sic ideo ponitur nolitio seu fuga mali, quia posita est volitio boni. Vnde (dicunt) obiectum adæquatum & formale voluntatis in quod tendit, esse bonum. Nam contra est, quod eadem ratione possem ego dicere, malum esse obiectum adæquatum voluntatis: probo assumptum: quia sicut omnis nolitio mali supponit volitionem boni sui contrarij; ita omnis volitio boni supponit nolitionem mali sui contrarij, & quantum ad hoc non est dispar ratio. Et confirmatur, quia quando proponitur aliquid voluntati vt positiue disconueniens, quamvis non cogitet de opposito conuenienti, potest sine dubio nolle illud; sicut etiam potest velle illud, quod positiue placet, non cogitando de opposito disconuenienti, ergo sicut volitionis directum obiectum est bonum, ita nolitionis est malum, atque adeo non solum bonum est obiectum formale & directum voluntatis.

37. Obiicies *Primo*, ens in quantum ens est obiectum voluntatis vt Scotus instat. 1. d. 3. quæstio. 3. & alibi sæpe, ergo quodcumque ens quouis actu voluntatis siue malum siue bonum attingi poterit, falso ergo statuimus volitionis obiectum solum bonum & nolitionis malum. Pro responsione recolenda sunt quæ diximus

mus disp. præced. à n. 26. de obiecto intellectus. Dico ergo quod doctrina Scoti intelligenda est quantum ad latitudinem potentiæ, non vero quantum ad speciales attingentias specialium obiectorum: nam sicut potentia in genere siue actus habet obiectum quasi in genere, sic speciales actus voluntatis attingunt hoc obiectum, quod potest nuncupari prosequibile sub specialibus rationibus boni aut disconuenientis. Et hoc patet in reliquis potentijs respectu suorum obiectorum: v.g. obiectum visus vnitate & latitudine potentiæ est coloratum, & sic bene sequitur potentiam visiuam attingere omne coloratum, non tamen sequitur, actu illo, qui extrinsece specificatur à nigredine, & differt specie à visione albedinis, posse attingere quemcumque colorem ratione dicta. Quod insto euidenter contra aduersarios asserentes, voluntatem affectione commodi non posse tendere nisi in bonum: quia (dicunt) voluntas secundum hanc affectionem imitatur naturam, quæ non nisi sibi bonum & conueniens appetit; sed hoc ideo est quia specificatiuum appetitus naturalis seu innati quoad propensionem est conueniens, & quoad resistentiam malum seu disconueniens, ergo cum specificatiuum appetitus eliciti quoad prosequutionem seu volitionem sit bonum, & quoad nolitionem malum, eodem modo deberent philosophari hic & ibi.

Hinc infertur (& simul roboratur solutio præfata) voluntatem nullatenus posse habere actum vllum circa obiectum indifferens. id est nec propositum vt bonum nec vt malum. Ratio est: quia sic se habet, intellectum proponere voluntati obiectum, vt illud amet vel fugiat, sicut intellectum proponere sibi obiectum, vt ei assentiat vel dissentiat, ergo sicut intellectus non potest prorumpere in assensum aut dissensum, nisi habeat obiectum propositum seu apprehensum aut vt verũ aut vt falsum; ita similiter voluntas non potest prorumpere in vllum ex suis actibus fugam scilicet aut prosequutionem, nolitionem aut volitionem, nisi habeat propositum obiectum vt bonũ aut vt malum: quia eodem modo se habent apprehensio obiecti in intellectu, ac præsentatio obiecti ab intellectu in voluntate; item & amare & odio habere in voluntate, ac assentire & dissentire in intellectu: amare enim est amplecti obiectum & proportionatur & quasi correspondet assensui intellectus ex Aristot. 6. Ethicor. cap. 2. quod & constat ex dictis disp. præced. q. 5.

38. Obiicies *secundo*, ex conclusione sequitur tolli omnino libertatem contrarietatis à voluntate: probatur supposita libertate quoad exercitium in voluntate, si circa bonum amorem & circa malum odium habere debet, nõ datur differentia vlla inter intellectum & voluntatem; probatur assumptum quia sicut intellectus non nisi vero potest assentiri & falso dissentiri, sic voluntas non nisi bonum potest velle, & malum nolle. ℞. neg. sequel. Ad prob. ratio disparitatis est, quod positis in obiecto aliqua ratione veri & aliqua ratione falsi, si æquales sint, intellectus suspensus manebit, vsque dum per intensiorem apprehensionem altera appareat maior, & tunc à fortius mouente determinabitur; voluntas vero licet propositis in obiecto ratione boni & ratione mali, circa bonum non nisi amorem & circa malum non nisi odiũ elicere possit, tamen si æquales sint, potest in quamlibet tendere, & etiam à minus alliciente ferri amore, & à minus retrahente, odio. Et hæc est vltima ratio in quam resoluitur libertas specificationis

ficationis seu contrarietatis voluntatis.

39. Vnde constat, nullum esse inconueniens quod Fœlix supra nu. 15. infert; vel alias falsum supponere; dicendo; hinc sequi quod non possimus Deum nolle, vt est in se bonus, sed sub aliqua ratione mali: quia si sermo est de Deo vt in se est & terminat actum charitatis, sic nullatenus potest odio haberi: cum vt sic nulla possit concipi in ipso ratio mali terminatiua odij; nec est inconueniens quod actus charitatis non habeat contrarium: vt fatetur Scotus 2.d.43. q.1. nu. 5. vbi & insinuat, quod cum tale odium Dei sit impossibile, maximum inter omnia peccata est odium Dei vt oppositum actui spei, quę post charitatem est perfectior virtus, & erit actus terminatus ad Deum consideratum sub aliqua ratione mala & disconuenienti nobis. Ex quo vlterius apparet, falso apponi ab hoc auctore ibid. n. 9. amorem Beatificum esse liberum quoad specificationem: quia cum talis amor, vtpote charitatis, terminetur ad Deum, vt bonus est in se, nunquã voluntas circa ipsum, vt sub ista ratione, potest habere actum contrarium nẽpe odij; licet alias liber maneat beatus in patria quoad specificationẽ circa Deum clare visum, nempe in actu tentionis, qui correspondet spei in via (vt & probatio eiusdem authoris videtur intendere:) potest enim huius contrarium habere: nempe odium Dei, vt sibi sub aliqua ratione disconuenientis considerati. Sed de hoc satis.

Plura opponunt nobis contrarii vt probent posse, imo aliquando contingere, voluntatem velle malum sub ratione mali. Pro quorum omnium solutione bene aduertit noster Poncius hic, non esse dubium quin aliquis sibi & aliis quandoque appetat quod re vera est malum & physicum & morale: vt quando quis se interficit ob desperationem, vel in ordine ad vindicandum se de aliis; sed tamen tunc semper considerat aliquam rationem boni in illa re, quæ vel est in ea à parte rei, vel apparet esse: nam in eadem ipsa morte considerat, quod vel excluderet mala præsentia aut imminentia, & hæc est bonitas aliqua; vel quod sit medium ad inferendum malum illis, de quibus vult se vindicare, quæ etiam est bonitas aliqua.

QVÆSTIO IV.

Qui sunt actus voluntatis; & qua ratione sint liberi?

40. Actus qui communiter adscribuntur voluntati, sunt: *volitio, intentio finis, electio mediorum, imperium consensus, vsus, & fruitio.* De quibus ex professo disputatur in tract. de Actibus humanis. In præsenti aliqualem eorum explicationẽ trademus, ex qua quid de illorũ oppositis, quibus in malũ fertur voluntas, illud fugiendo, dicendum sit, facile intelligi potest.

41. *Volitio* sumitur non pro prosequutione volitiua obiecti cogniti quomodocumque: quia hoc competit intentioni & electioni; sed pro actu quodam ab ipsis specialiter distincto, nempe illo, quo prosequimur bonum absolute, non considerando illud vt acquisibile per media, aut vt medium ad acquirendum aliquid, aut saltem non volendo illud, qua tale. Hæc volitio, quam experientia constat dari, diuiditur communiter in efficacem & inefficacem. *Efficax* est illa, ex qua sequitur, quod si bonum volitum esset acquisibile per media, quæ essent in potestate voluntatis, applicaret illa. *Inefficax* è contrario est, quæ non determinaret ad talem applicationem mediorum. *Efficax* vocatur absoluta & perfecta: quia habet illam efficaciã; *Inefficax* vero vocatur volitio simplex & cõditionata,

nata, simplex quidem, quia non est absoluta, conditionata vero, quia esset absoluta & efficax ex suppositione aliquarum conditionum, nimirum si esset possibilis acquisitio boni circa quod versatur, aut si non appareret difficile applicare media.

Vbi aduertendum contra aliquos, quod præcise ob rationem assignatam dicitur volitio inefficax *conditionata*; vero quia re vera non sit actus aliquis in voluntate, sed quod significetur per ipsam, quod esset actus in voluntate supposita aliqua conditione; tum quia volitio efficax & inefficax eiusdem obiecti & eodem modo seu sub eadem ratione propositi non distinguuntur specie, sed solum materialiter penes assignatam connotationem ad media; tum etiam quia alias non esset verum dicere de habente talem volitionem, *ipse vult*, contra hypothesim; tum denique quia re vera potest quis ex se ipso experiri actum aliquem, quando vult inefficaciter. Nec obstat quod significetur volitio *inefficax* per ly *amarem* vel *vellem*: quia licet isti termini apti sint ad significandum actum, qui non esset, possunt tamen significare actum, qui re vera sit, & de facto ex communi consensu significant.

Et ex his constat, fieri posse, vt idemmet amor aliquando sit inefficax, aliquando efficax; efficax quidē quando non occurrunt difficultates magnæ; inefficax vero quando occurrunt, item amorem inefficacem posse esse maioris iutensionis, quam efficacem: nam potest contingere: vt aliquis intensius amet aliquod bonum, ad quod acquirendum non vult vel non potest applicare media propter magnas difficultates in eorum applicatione occurrentes; quam aliud bonum, quod per media procurat, nulla occurrente difficultate.

42. *Intentio finis* est actus, quo ita fertur voluntas in finem, vt determinetur ad volenda media.

Electio mediorum est actus quo vult media propter finem obtinendum.

Imperium & vsus non sunt actus realiter distincti ab electione, sed ille est actus, quo imperat voluntas potentiis executiuis mediorum, significatus per verba *Fac hoc*; hic vero est, quo applicat media ad acquisitionem finis.

Consensus est actus, quo voluntas bonum sibi propositum vt prosequendum prosequitur; sicut & dissensus significat actum, quo malum propositum non vult. Hic actus est idem realiter ac volitio finis, qui vocatur volitio, quatenus per illum voluntas vult finē, & vocatur consensus, quatenus per ipsum facit voluntas, quod proponitur faciendum ab intellectu.

Fruitio, de cuius ratione ex professo disputatur tract. de Beatitud. vel potest dici quod sit ipsamet cōsequutio finis, quem intenderat voluntas, & ad quem consequendum applicarat media; vel quod sit actus, quo complacet sibi in eo acquisito, vel delectatio orta ex cōsequutione eius, vel forte omnes simul, aut præsertim cōsequutio & delectatio. De quibus pro nostro instituto satis.

43. Est tamen circa *intentionem* & *electionem* inter nonnullos controuersia, an sint idem actus, an vero duo distincti realiter? nobis dicendum est, esse duos & diuersos actus realiter distinctos. Quam sententiam communius tenent Scotistæ, quos sequitur Vazq. 1.2. disq.33. contra communem Thomistarum: Probatur, quia omnis actus, quo aliquis vult media causatur à fine, vt finis est, seu quatenus amatur finis; sed si volitio mediorum esset necessario idemmet actus ac amor finis, hoc esset falsum, ergo &c. probatur mi. quia si esset à fine vt amato, vel deberet esse à fine vt amato per illum ipsum actum

qui esset electio, vel amato per alium actum; non per illum, qui est electio: quia alias electio præsupponeret seipsam & procederet à se ipsa, quod est absurdum; non per alium actum: quia tunc deberet haberi alius actus amoris seu volitionis circa finem, quando haberetur electio; sed si daretur talis actus, vel essent simul duo amores & volitiones tendentes in finem, nimirum ille actus alius & etiam electio ab ipso procedens, quod est absurdum; vel certe electio ipsa non esset formaliter amor finis aut volitio eius, quod est intentum. Et confirmatur, quia ex opposito sequitur, quod idem actus sit simul volitio & nolitio: nam si quis vellet conseruare aliquam suam dignitatem, & in ordine ad hoc nolit conseruari vitam alterius, idemmet actus esset nolitio conseruandi vitam alterius, & volitio conseruandi se in dignitate, quod implicat, ergo &c.

44. Dices, sicut amatur proximus propter Deum, ita amatur medium propter finem; sed proximus amatus propter Deum, amatur eodem actu, quo Deus, ergo. Resp. neg. ma. nam in proximo amato propter Deum nulla inuenitur seu consideratur propria bonitas, ob quam ametur tali amore, & ideo ille amor habet pro obiecto adæquato formali ipsam Dei bonitatem; & per consequens idem est amor, quo Deus propter se & proximus propter Deum amatur; in mediis autem est alia bonitas à bonitate finis, & per consequens intẽtio & electio ob diuersa obiecta formalia sunt diuersi actus.

Instabis, quando quis appetit amico aliquod bonum v. g. diuitias, eodem actu fertur in amicum & in bonum quod ipsi desiderat, & tamen alia est bonitas amici, alia boni desiderati, ergo licet alia sit bonitas finis, alia medii tamen vnico actu amantur. conseq. iam constat. anteced. probatur: quia siue velim amico diuitias siue aliud quodcumque bonũ ex eo quod sit mihi amicus, omnes isti actus sunt eiusdem speciei: quia omnes sunt tantum amor amicitiæ. ℞.neg.anteced. quia in omni tali volitione sunt duo actus, vnus, cuius obiectũ formale est bonitas amici, & hic est amor amicitiæ; alter cuius obiectum formale est bonitas rei concupitæ, & hic dicitur amor concupiscentiæ. Ad probat. dico, talem amorem esse amicitiæ, non tamen solius amicitiæ, sed etiam concupiscentiæ, quatenus respicit bonum amico optatum.

45. Et hæc de *prima* parte quæstionis sufficiant. In *secunda* supponitur actus voluntatis habere aliquam libertatem, sic vt non solum voluntas, sed etiam ipsi actus vere sint & dicantur liberi. Ratio est conspicua, quia actus voluntatis nihil aliud est, quam exercitium potentiæ liberæ vt liberæ; sed id quod actuat potentiam liberam vt liberam, necessario debet esse liberum, ergo &c.

Nec obstat si obiicias Scotum 3. d. 15. n. 14. vbi dicit quod: *voluntas vt voluntas libera est, sed vt nolens, non est formaliter libera: quia habet formam determinatam ad vnum, quæ est ipsa nolitio &c.* Nam mens Doctoris est, actus voluntatis respectu effectuum vel passionum, quas causant, esse causas naturales; quæ explicatio constat, tum ex eius intento loco citato, vbi probat, posita nolitione voluntatis circa obiectum disconueniens, naturaliter sequi tristitiam: quia licet voluntas sit libera ad eliciendum actum, non tamen ad impediendam passionem ex ipso sequutam; tum etiam ex 1. disp. 12. num. 5. vbi hæc habet: *voluntas vt in nobis est actus primus libera est ad habendum actum; non autem ipse actus volendi liber*

liber est, siue principium liberum producendi aliquid: quia actus volendi est quædam qualitas naturalis; Et si est principium alicuius, videtur esse principium naturale eius, non liberum; sicuti si ex tali actu generaretur habitus appetitiuus, naturaliter generaretur, ita quod non est in potestate actus generatio talis habitus. Ex quibus sequitur, in actu libero non reperiri libertatem essentialem aut vniuocam cum libertate, quam habet voluntas: quia hæc, vt constat ex dictis, consistit in vi quadam & facultate determinatiua sui ad actum, quæ, vt de se patet, non competit actui: Itaque actus voluntatis tripliciter considerari potest, primo in ordine ad suam causam, secundo ad suum effectum formalem, tertio ad suum effectum in genere efficientis. Si consideretur secundo & tertio modo, non minus est causa naturalis, quàm albedo respectu albificationis & ignis respectu caloris: nam in genere causæ formalis nolitio v.g. facit nolenté, nec potest alium effectum præstare; in genere vero efficientis causat habitum æquè naturaliter, nec est in potestate actus aut voluntatis non causare; si autem consideretur actus primo modo, quatenus egreditur à causa libera, habet proprie modum aliquem libertatis, de quo inquiritur. Quid sit?

46. ℞. hoc competere actui vel per modum quemdam positiuum existentem in ipso, qui sit relatio eius ad suam causam liberam & contingentem; Vel per solam denominationem extrinsecam à potentia libera, quatenus ita elicit actum & conseruat, vt possit non elicere aut non conseruare: Vtrumque enim est æque probabile, nec libet in decisione eius amplius immorari; Ex quolibet autem sequitur, libertatem contingentiæ non esse essentialem actui libero. Quæ est sententia communior cum nostro Cauello disp. 3. de anima. sect. 15. Et fundamentum est, Quod effectus vel actus possint esse eiusdem rationis entitatiuæ, siue producantur necessario siue contingenter. Quis enim dicat, hominem productum à Deo, necessario habiturũ naturã alterius speciei, ab eo qui contingenter creatus est? Idem apparet in motibus primo primis (si tales dentur in voluntate) qui eliciti sine aduertentia & per consequens necessario, possunt continuari libere. Relatio ergo vel modus qui reddit actum liberum petit terminum scilicet causam influentem cum omnibus requisitis ad contingentiám, & aliquo eorum deficiente, terminabitur ad suam causam, non tamen vt contingenter operantem.

QVÆSTIO V.

Vtrum voluntas possit necessitari ad vllos actus eliciendos?

SI Deus produceret se solo in voluntate absque concursu effectiuo eius volitionem aut nolitionem (vt posse producere de potentia absolutà constat ex dictis supra n. 8. & de omni actu vitali in vniuersum diximus disp. præced. q. 7.) non est dubium sic posse necessitare voluntatem: volitio enim sic producta esset ipsi tam necessaria, quam calor productus in aqua: Est ergo difficultas. An possit necessitari voluntas ad eliciendam in se ipsa volitionem aut nolitionem aliquam?

47. *Conclusio est negatiua* & communis. Colligiturque ex Scoto in omnibus locis, in quibus asserit voluntatem non necessitari ad amorem Beatificum, neque vltimum finem in communi & in particulari quomodocumque ostensum. Probatur sic: quia si voluntas creata necessitari posset, hoc esset vel quatenus Deus producere posset in ipsa aliquam qualitatem Physicam, quæ ipsam determinaret ad volitionem verbi gratia producendam; vel quatenus ipsemet concursu aliquo suo actuali determinaret illam; vel denique quatenus præberet concursum actualem ad vnum actum, & absolutè nollet dare concursum ad vllum alium actum, sed neutro ex his modis potest necessitari voluntas necessitate Physica, de qua est controuersia, ergo nullo modo: ma. patet. quia non est assignabilis alius modus, quo necessitari possit: mi. probatur quoad primam part. Quia illa qualitas non posset necessitare voluntatem, nisi quatenus concurreret Physice cum ipsa per modum causæ partialis vel quatenus determinaret ipsam formaliter ac sensibiliter, sicut determinat ac trahit delectatio aut voluptas aut habitus aut aliquid simile; sed non primo modo: aliàs de facto habitus charitatis necessitaret voluntatem: quandoque concurrat Physice & quidem per modum causæ partialis naturaliter agentis. Item & quia non potest intelligi, quo modo causa partialis possit determinare aut necessitare per concursum physice partialem alteram causam: quandoquidem concursus partialis non possit esse prior altero concursu; nec etiam secundo modo: quia non potest concipi quod aliqua qualitas posset determinare aut necessitare in genere causæ formalis voluntatem ad aliquem actum habendum magis, quam determinatur per visionem beatificam ad amorem beatificum; sed hæc non necessitat ex principiis Scoti, ergo nec necessitari posset per qualitatem vllam.

Probatur mi. quoad secundam partem. *Primo* quia non potest intelligi, quo modo determinaret ipsam potius per vllum concursum actualem, quam per illum, quem exhibet ipsi de facto; sed per istum non necessitatur, ergo. *Secundo*, quia nullus concursus actualis Dei potest esse prior, quam concursus voluntatis, ergo non potest determinare voluntatem ad cōcursum: conseq. patet. quia quod determinat ad concursum, debet esse prius concursu, & anteced. constat ex dictis lib. 2. Physicor. n. 37. Est enim idem realiter concursus Dei cum concursu Creaturæ.

Probatur denique quoad tertiam partem, *Primo* quia de facto quando præbet concursum ad amorem, non præbet concursum ad vllum alium actum incompossibilem, & non vult positiue præbere talem concursum; Et tamen hoc non obstante, non necessitat voluntatem ad amorem sic, quin posset habere odium, si vellet, ergo. *Secundo* quia non obstante tali decreto de non dando concursum ad vllum alium actum, potest voluntas habere omissionem puram, vt dicemus q. seq. ergo non obstante, non necessitabitur ad amorem.

48. Hinc sequitur, productionem cuiuscumque actus liberi voluntatis esse liberam se ipsa ex natura sua intrinseca, & non per denominationem extrinsecam, qualiter quæst. præced. diximus de ipso actu: & ratio est, quia omnis talis productio non potest esse à voluntate pro vllo instanti, pro quo voluntas non sit in priori natura potens

tens ipsam habere vel non habere; sed quoties actio procedit à voluntate sic potente, est necessario libera:quia nihil aliud requiritur vt sit libera, quàm quòd sic procedat, ergo talis productio non potest esse in voluntate quin sit libera, atque adeo, ex se ipsa libera est.

49. Sed notandum, posse voluntatem necessitari moraliter: idest in eo statu & cum his circunstantiis poni, vt prudenter iudicari possit & debeat non alium actum elicituram, quàm illum, ad quem ab extrinseco inclinatur & allicitur. Quando autem & in quibus casibus reperiatur hæc necessitas, non potest breuiter explicari; nec quomodo tunc saluetur physica & absoluta libertas; solum sufficiat modo scire talem necessitatem moralem non repugnare nec contradictionem inuoluere, sicut physicam, de qua hactenus egimus.

50. Inquires, *Vtrum voluntas possit cogi in cessatione ab actu imperato, stante actu efficaci imperij?* ℞. affirmatiue: v. g. Imperet voluntas efficaciter motum manus, vel actum videndi, & concurrat Deus ad actum elicitum imperij, non vero ad exteriorem imperatum, in hoc sensu dico, voluntatem cogi à Deo. Eadem ratio est de actu imperato intra ipsam voluntatem, si permanente efficaci imperio, Deus suspendat concursum, ne fiat actus imperatus, voluntas verè diceretur coacta. Ratio resolutionis est: quia coactum dicitur, quod est contra inclinationem actiuam, sicut violentum quod est contra passiuam ex Scoto 2. d. 18. num. 5. & 6. & 4. d. 41. sed cessatio ab huiusmodi actibus imperatis est contra inclinationem actiue elicitam à voluntate, ergo proprie diceretur coacta.

QVÆSTIO VI.

An voluntas habere possit omissionem puram liberam?

CVm voluntas ex sæpe dictis libera sit & quoad exercitium & quoad specificationem, Quæstione præsenti disputabimus, vtrum exercere possit libertatem exercitij solùm, ita vt sicut per extremum positiuum exercet: volendo v. g. aliquod obiectum, sic per alterum extremum negatiuum exercere possit v. g. non volendo; ita vt omnem prorsus actum suum omittat? Multi recentiores qui pro se citant D. Thom. 1. 2. quæst. 71. art. 5. firmiter affirmant, stante libertate in actu primo, non posse voluntatem pure omittere, sed necessario vel debere amare obiectum propositum, vel reflexè velle non amare, aut efficere actum incompossibilem cum eo amore, quem omittit, ita vt omissio illius non sit libera in se, sed vel in actu reflexo, in quo est volita, vel in incompossibili. Et quidem de facto regulariter sic contingere omnes ingenue fateri tenentur. Difficultas est de possibili, cuius etiam negatiuam partem tuentur plures.

51. Sit nostra conclusio. *Possibilis est pura omissio voluntaria absque omni actu voluntatis, in quo possit dici esse volita.* Est Scoti: nam quamvis noster Philip. Fab. in addit. ad. 4. tractat. de Pœnitent. disp. 1. cap. 7. num. 135. & Poncius in Curs. Philosoph. disp. 64. quæst. 8. num. 75. dicant doctorem nostrum non decidisse ex professo hanc difficultatem; colligitur tamen ex ipso 1. d. 41. & d. 47. & ex aliis locis: sic Montepilosus & Herrera citati à Fælix tractat. de peccatis cap. 17. diffi-

cult. 1. in posteriori tom. Tentatiuæ Complutens. Est etiam D. Thomæ loco ab aduersariis citato : stat enim pro nobis potius quàm pro ipsis : vt bene notat Arriaga hic num. 117. ita etiam plures recentiores Thomistæ & est iam communior sententia contra Vasquez Lorcam & alios.

Probatur *primo*, quando proponitur obiectum aliquod sub ratione indifferenti, ita vt voluntas possit illud vel amore vel odio prosequi, nihil necessitat voluntatem ad vllum actum, ergo potest nullum habere ; sed si nullum haberet, haberet omissionem puram liberam, ergo possibilis est talis omissio ; Hoc subsumptum patet : quia si nullum actum haberet, omissio esset pura, & si haberet illam pro instanti, pro quo posset, si vellet, non habere illam, esset libera : cum hoc idem præcise requiratur, ad hoc vt actus sit liber ; nec quantum ad hoc est potior ratio de positiuo quàm de negatiuo. Probatur anteced. quia nec quoad bonitatem potest obiectum necessitare ad amorem : quandoquidem possit voluntas ipsum fugere propter malitiam, quæ proponitur in ipso ; nec quoad malitiam potest determinare ad fugam, quandoquidem possit voluntas amare ipsum propter bonitatem, nec quoad vtramque simul rationem potest necessitare : quia vterque actus est incompossibilis; nec denique quoad alterutram indeterminate: quia hoc esset tollere à voluntate libertatem exercitij, & confundere ipsam cum libertate specificationis.

52. Probatur *Secundo*. Quando proponeretur obiectum sub ratione boni tantùm, vt potest proponi, tunc non necessitaretur voluntas ad illud prosequendum, ergo posset tunc non prosequi ipsum, sed si non prosequeretur, haberet omissionem puram liberam ; nec enim posset tunc habere alium actum, quandoquidem vt suppono, non proponatur obiectum sub ratione alia, quàm prosequibili ; probatur anteced. si necessitaretur tunc ad prosequendum, hoc esset, quia adesset tunc causa totalis naturaliter determinatiua ad prosequutionem applicata sufficienter ; sed non adesset, ergo non necessitaretur ; probatur mi. non esset alia causa applicata tunc præter voluntatem & obiectum cognitum sub illa ratione boni ; sed hæc non est causa adæquata naturaliter determinatiua & sufficienter applicata ad determinationem, ergo. Probo hanc mi. quia si voluntas cum bono sic proposito esset causa adæquata sufficienter applicata ad illam determinationem, quotiescumque adesset & non impediretur, sequeretur illa determinatio ; hoc autem est falsum : nam quando proponitur obiectum sub illa ratione, & præterea sub ratione aliqua mali, non determinat ad illam prosequutionem, quandoquidem prosequutio tunc sit libera secundum aduersarios.

Quod si dicas, non proponi obiectum eodem modo, quando proponitur sub ratione boni tantum, ac quando proponitur sub ratione boni & mali, atque adeo licet necessitet priori modo, non tamen posteriori. Contra quia eodem modo proponitur quantum ad rationem boni quæ est determinatiua ad prosequutionem, ergo si propositum secundum rationem boni simul cum voluntate necessario producebat prosequutionem, ergo etiam vt sic propositum, quamvis alia ratio simul proponatur, deberet similiter determinare voluntatem. Probatur hoc, quia nihil impedit effectum causæ naturalis adæquate & sufficienter applicatæ, qui alias produceretur neces-

sario,

sario, nisi quod est secundum se incompatibile cum illo effectu aut quod necessario producit aliquid incompossibile cum illo effectu; sed propositio malitiæ non est incompossibile quid cum prosequutione, neque necessario producit aliquid incompatibile: quia alias ea proposita, non posset voluntas etiam libere prosequi obiectum, ergo non posset impedire, quominus necessario sit ista prosequutio, quæ alias esset necessario habita à potentia.

53. Nec valet si dicas: ad impediendam necessitatem prosequutionis sufficere quòd possit causare fugam. Nam contra est, quòd sicut per hoc quod frigus possit producere frigus in subiecto, in quo alias produceretur necessario calor, non potest impedire productionem necessariam caloris, nisi producat actu frigus, vel ipsummet sit incompatibile cum calore producendo; ita similiter quamvis propositio mali posset causare fugam obiecti, nisi tamen causet actu illam, aut ipsamet sit incompatibilis cum prosequutione, non impediet necessariam productionem prosequutionis. Nec quidquam obstat ratio disparitatis de causa necessaria, qualis est calor & libera, qualis est voluntas: nam sicut tu ponis voluntatem necessario producturam prosequutionem circa obiectum propositum sub ratione boni tantum in quo destruis libertatem exercitij, & facis ipsam tunc causam necessariam, consequenter dicendum videtur, hunc modum operandi conseruaturam etiam. si adsit propositio mali, cum hæc non possit impedire operationem eius, si causa adæquata & necessario operans est, propter rationem assignatam.

Dices, quod quemadmodum pondus positum in vna parte bilancis est causa naturaliter impulsiua ipsius deorsum, & tamen potest impediri per aliud pondus æquale aut maius positum in alia parte: sic quamvis bonitas soli apprehensa necessario determinaret ad prosequutionem, tamen impediri poterit per propositionem mali. Omnes istæ responsiones continent doctrinam quam vt certam supponunt Arriaga & alij auctores Iesuitæ. Contra quam sic argumentor assignando euidenter disparitatem: quia illud aliud pondus impedit effectum prioris: quia tam debet habere effectum suum quàm pondus prius, & non potest habere suum effectum simul cum effectu ponderis prioris; sed propositio mali nō deberet habere effectum suum, quando propositio boni haberet suum effectum, ergo propositio mali nō potest impedire effectū boni propositi, si alias esset necessario futurus. Et confirmatur, quia si propositio mali impediret effectum propositionis boni, sicut vnum pondus effectū alterius; tunc quando fieret vtraq; propositio, neutra haberet effectum suum, sicut neutrum pondus habet suum; sed hoc est falsū vt cōstat experiētia, ergo.

54. Respondebis forte aliter ad casum huius secundæ nostræ probationis; tunc voluntatem, vt libere omittat prosequutionem obiecti sub ratione boni tantum propositi, necessario habituram actum positiuum, quo velit omittere, tuncque cum in isto actu reflexo & non in se sit volita omissio, in ipso & non in se erit libera. Sed contra quia licet vt in plurimum & regulariter sic contingat, non tamen est hoc physice necessarium: Nam vt voluntas in casu posito fungatur sua libertate exercitij, non opus est velle omissionem actus, sicut neque velle ipsum actum per alium reflexum: quandoque per extremum positiuum fungitur tali libertate, ergo posset omittere prosequutionem

tionem per meram carentiam actus, tuncque haberet puram omissionem liberam.

55. Obiicies *Primo* argumentum Theologicum: impossibilis est pura omissio peccaminosa, ergo libera: patet conseq. quia si omissio actus præcepti libera esset, peccatum esset antecedens. Probatur: Sit actus præceptus auditio Sacri, si intellectus aduertit voluntati & homini se teneri nunc ad audiendum Sacrum, Inquiro, tunc quid agit homo aut in quo occupatur: nam implicat quod non aliquid agat: quia certe vel orat, vel ludit &c. sed adhuc facta animaduersione ex parte intellectus voluntas vel prosequitur id quod antea, vel alio diuertit hominem, ergo impossibile est, quod intelligatur voluntas in actu secundo libera, quin habeat actum aliquem coniunctum omissioni, qui sit causa vel occasio eius? Respondeo, nego antecedens. Ad eius probat. dico, quod quando intellectus aduertit voluntati, se teneri ad audiendum Sacrum, tunc occupatur in consideratione illius obligationis; Et quod tunc voluntas suspendit omnem actum suum, & non habet alium actum de nouo productum, sed in illo actu antiquo, quo applicat intellectum ad considerationem suæ obligationis perseuerat; talis autem actus tam voluntatis quam intellectus non sunt causa omissionis neque occasio; quin potius instigant ad oppositum omissionis, vt patet.

56. Obiicies *Secundo*, vt omissio aliqua sit libera, debet esse ob aliquem finem intentum à voluntate; sed hoc nequit competere puræ omissioni, ergo non est possibilis. ℞. concess. ma. neg. mi. nam sicut quando proponitur mihi obiectum amplectendum pet actum ob duplex motiuum seu finem, possum actu directe tendente in obiectum amplecti ipsum ob vnum motiuum, & non ob alterum: v.g. cum proponitur mihi studium vt vtile ad repellendam otiositatem & ad honores adipiscendos, nec indigeo alio actu, quo reflexe velim imperium studij ob vnum motiuum & excludam alterum; sic similiter possum omittere idem imperium studij ob motiuum humilitatis despiciendo honores, & non ob motiuum otiositatis absque vllo actu reflexo, quo velim omittere ob vnum motiuum & non ob alterum; Nec video qua ratione probari possit, voluntatem debere moueri à fine necessario positiue: nam cum motio finis Metaphorica sit: quia per allicientiam, non opus est influxu positiuo explicato per actum, sed sufficit, si explicetur per exercitium libertatis, quæ vt diximus, dum est exercitij, per puram carentiam actus explicatur.

Quod si dicas, ergo æque possibilis est pura omissio bona moraliter, imo & meritoria, ac peccaminosa. Resp. conced. conseq. de quo late Ripalda tom. 1. de ente supernatur. disp. 70. num. 12. & à num. 28. nam sicut cum proponeretur mihi ieiunium amplectendum vt honestum & vt conducens ad auaritiam, possum bene operari amplectendo ipsum ob honestatem & non ob conducentiam ad auaritiam, & hoc sine alio actu reflexo, vt dixi; sic similiter videtur dicendum, quod si proponeretur mihi furtum vt inhonestum & contrarium iustitiæ, & etiam vt conducens ad dandam eleemosynam possem mereri, omittendo ipsum ob vitandam iniustitiam, & non ob priuandum me occasione dandi eleemosynam & hoc etiam sine alio actu

refl exo

reflexo. Sed de hoc satis pro nostro instituto:

57. Obiicies *tertio*, voluntas exercens suam libertatem & posita in actu secundo debet aliquid habere, quod non habeat in actu primo; Sed omissionem actus etiam habuit in actu primo, ergo per illam solam non potest libertatem suam exercere: ℞.concess.ma.neg.mi.quia in priori naturæ causæ seu potentiæ liberæ non, fuit omissio actus sed præcisio: Idest tunc non concipitur neque actus, neque carentia quæ sit omissio illius: nam tunc principium libertatis seu effectus illius manet neutrum? In secundo autem instanti seu posteriori naturæ quando exercetur libertas, iam intelligitur & est in ipsa voluntate carentia, quæ est omissio operationis liberæ: nam sola illa carentia potest dici omissio libera eius, quæ est in potestate voluntatis, & sola illa est in potestate voluntatis, quæ est pro instanti, pro quo potest esse actus oppositus; Hoc autem instans est ipsum instans exercitij voluntatis. Igitur carentia quæ intelligitur ante illud, non est omissio actus: quæ libera sit. Et cōfirmari potest hæc doctrina in omissione externa: v.g. Pro priori naturæ antequam Deus se determinet ad producendum vel non producendum lapidem, datur præcisio ab existentia lapidis, & tamen non datur proprie carentia illius, alias non posset in eodem ipso instanti reali lapis existere; Pro posteriori vero quādo Deus se determinat non producere lapidem, datur iam vere & realiter carentia propria illius. Sic ergo similiter dicendum est in omissione interna ipsius voluntatis. Quam in Deo etiam videtur, cōcedere Scotus supra dist. 41. numero 13.

Obiicies *quarto* ex supra dictis, Potentia libera respicit bonum & malum, sicut intellectus verum & falsum, ergo sicut intellectus per cessationem actus non fertur in obiectum, ita nec voluntas fertur in obiectum per omissionem, ergo non exercebit per illam suam libertatem: ℞.neg.conseq.& disparitas est quia potentia necessaria, quando non operatur, non à se, sed ab extrinseco cessat: idest ex defectu principij requisiti ad operationem, ideo non est mirum, si carentia operationis positiuæ, non sit operatio ipsius; at potentia libera qualis est voluntas, quia positis omnibus prærequisitis ad operationem, potest pro libito non operari aut operari positiue, ideo ipsa carentia operationis imputatur ei, perinde ac si eam voluisset, & in ea exercet libertatem suam.

58. Obiicies *quinto*, Potentia libera est vitalis, ergo non reducitur ad actum nisi per vitam in actu secundo; sed negatio seu omissio actus non est vita ergo &c: ℞. potentiam liberam etsi vitalem dicere ordinem in actu secundo & ad vitalitatem & ad omissionem illius, ideo secundum totum quod includit, non est potentia vitalis in eo sensu, idest quod exercitium vitalitatis eius sit necessario quid positiuum sensibile aut producibile per actionem vitalem: nam eo quod libera est, est operatiua & non operatiua, ita quod ex hac vltima ratione non operari est exercere suam vitalitatem seu vitalitatem suæ libertatis, quæ est ad operari & ad non operari. Itaque omissio actus procedens à potentia libera, dum in potestate eius erat, quod procederet actus ipse, est exercitium vitæ eius, & qua constituitur viuens in actu secundo.

59. Inquires; Vtrum voluntas sit perfectior potentia, quàm intellectus

tellectus? Resp. affirmatiue cum Scoto. 4. d. 49. quæ. 4. & 5. Sequuntur discipuli: Et tenet eam etiam D. Bonauent. Ægidius & alij. Contra S.Thom. & suos. Scotus late probat hanc sententiam supra, vbi cum ipse ponat, consistere formaliter in actu voluntatis beatitudinem nostram, & hæc in perfectiori actu sit ponenda, ideo ibi intendit probare perfectiorem potentiam esse voluntatem, quippe quæ perfectiores actus elicit, quam intellectus; Et ad quod perfectiori habitu exornatur, qualis est charitas: Sed de hoc satis pro nunc, cuius exactior notitia traditur in Theologia tractat. de Beatitudine, & de materia totius huius disputationis tractat. de Actibus humanis.

DISPVTATIO VII.

De Anima separatâ

QVAESTIO. I.

Vtrum status separationis sit animæ rationali connaturalis aut violentus?

SVPPONIT titulus Quæstionis, animam separari à corpore, quod tam certum est, quàm homines mori; Et eam manere extra corpus tam certum est, quam eam esse immortalem, de quo supra. disp. 4. Solutio præsentis difficultatis maiori ex parte pendet ex vsu & acceptione horum nominum *naturalis*, & *violenti*, Nec res ipsa est magni momenti. Igitur violentum communiter dicitur quod opponitur naturali inclinationi. Pro quo Aduerte, si naturale sumatur vt principium actiuum, tunc vel opponi principio libero vel principio supernaturali; Si vero consideretur vt passiuum, tunc ad suas perfectiones recipiendas naturaliter inclinatur, & quia contra hanc inclinationem patitur, violentari dicitur. Aliquid etiam dicitur latiori sensu violentari quando impeditur à suo effectu, vt ignis, si negetur illi concursus ad comburendum, & accidens, si non inhæreat. In hoc sensu Quæritur, an anima violentetur, dum separatur?

Deinde Nota, quod certum sit vt saluetur integritas & pulchritudo vniuersi, naturale esse quod animæ vniantur suis corporibus: quia id postulat natura vniuersi; Sed Quæstio est de particulari inclinatione animæ: nam particularis inclinatio sæpe est contraria inclinationi vniuersi; vt in ascensu aquæ, ne detur vacuum, qui est aquæ violentus respectu suæ particularis inclinationis.

1. Sit prima conclusio, *Separatio non est simpliciter violenta animæ rationali; Sed potius est ipsi naturalis secundario.* Ita colligo ex Scoto. 4. dist. 43. quæ. 2. Probatur prior pars: Animæ debetur perpetua duratio, & non in corpore, vt de se patet: quia corpus est mortale, ergo extra corpus: Item quia anima clarius videt seu cognoscit veritates separata: vt patet ex illo Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam.* Probatur posterior pars: quia anima ex natura sua primario desiderat informare corpus, & quia hoc non competit ei inamissibiliter, sed iuxta naturam corporis, secundario inclinatur ad statum separationis.

2. Secunda conclusio. *Si anima comparetur ad corpus mortale, nec illud appetit nec oppositum simpliciter naturaliter. Vnde status separationis erit ipsi aliqualiter neuter.* Probatur ex Scoto supra num. 24. & 25. vbi negat animam proprie naturaliter inclinari ad corpus, sed neque contra naturam eius est, quod vniatur: alias resurrectio foret contra naturam. Deinde quia Doctor supra quæst. 4. docet, materiam non violentari: quia illi bene est esse tam sub vna, quam sub alia forma; sed animæ bene est in corpore propter sensationes, quas sine ipso habere nequit: Et hac ratione vnio cum corpore est ei aliqualiter naturalis; Eidem etiam bene est extra corpus: quia sic suas operationes spirituales perfectius & expeditius exercet, ergo simpliciter naturaliter neutrum horum statuum appetit.

3. Tertia conclusio, *Anima simpliciter naturaliter appetit statum vnionis cum corpore immortali & glorioso.* Probatur, ideo appetit vnionem cum corpore mortali, vt habeat sensationes, ergo simpliciter naturaliter appetit statum illum, in quo vtrasque operationes perfecta exercet: Et hic est status resurrectionis.

4. Aduertendum pro ampliori rei notitia, animam separatam posse etiam appetere actu elicito revnionem cum corpore; sed Nota, quod si (non agnoscat possibilitatem vnionis, solum appetit actu inefficaci & conditionato (qui & terminari potest ad impossibile, non solum secundum quid, vt est hominem, qui peccauit, non peccasse, sed etiam impossibile simpliciter, vt est æqualitas creaturæ cum Deo) si vero agnoscat: vt animæ beatæ, efficaciter appetet: iuxta illud Apocalips. 7. *vidi sub altare animas interfectorum &c. & clamabant, vsquequo Domine non iudicas & non vindicas sanguinem nostrum.*

QVÆSTIO II.

Quæ possit anima in statu separationis efficere?

SVppono animam, habere extra corpus potentias & spirituales & materiales. Et hoc est omnino certum in nostra sententia non distinguente eas ab anima; Aduerte tamen absolute non concedendum, in eo statu habere potentias materiales: verbi gratia visum, auditum: licet enim habeat principium effectiuum earum operationum, non tamen habet principium adæquatum receptiuum, nec dispositiones, quibus eget ad sensationes materiales efficiendas. Vnde absolute dicenda est non habere tunc tales potentias: sicut homo cæcus licet habeat in re principium effectiuum visionis, quia tamen illi deficiunt dispositiones requisitæ ad videndum, dicitur carere potentia visiua. Habet ergo anima intellectum & voluntatem absolute, tum propter rationem identificationis; tum quia absolute non dependent in suis operationibus ab vllo organo corporeo; tum denique quia licet non essent identificatæ cum anima, sunt tamen proprietates connaturales illius. Plura dubia seu difficultates comprehenduntur sub titulo præsentis quæstionis, duas tamen præcipuas disputabimus, vnam de *cognitione*, alteram de *motu*.

Pro priori præmitto, ex suppositione facta animam separatam non posse efficere actus & cognitiones materiales, quia & deficit subiectum earum &

diſpoſitiones materiales requiſitæ, & ſpecies etiam materiales, quæ neceſſariæ ſunt ad ſenſationes & actus materiales: è contrario verò fit, poſſe animam ſeparatam efficere actus ſpiritualis volendi & intelligendi: quia & principia & ſubiecta & reliqua requiſita ad illos actus dantur in ſtatu ſeparationis: quia vel conſeruat ſpecies ſpirituales, quas habuit in corpore, vel loco illarum Deus illi alias vt auctor naturæ tenetur infundere. His vt certis ſuppoſitis,

5. Sit prima concluſio, *In anima ſeparata manent ſpecies & habitus, quos acquiſiuit in intellectu & voluntate, dum erat in hoc ſtatu.* Eſt ſententia expreſſa Scoti 4. d. 45. quæſt. 1. & Probatur, quia tales ſpecies ſunt qualitates ſpirituales & à corpore independentes, ergo manentibus ſuis ſubiectis & ipſæ manent. Deinde iſtæ ſpecies non dependent in conſeruari à phantaſmatibus, ſicut nec iſta à ſpeciebus externis; nec habent contrarium à quo corrumpantur, ergo non eſt cur negemus ipſas perſeuerare in anima ſeparata. Nec obſtat ſi dicas cum Poncio hic habente pro incerta quantum ad rationem noſtram concluſionem: illas ſpecies habere dependentiam ab obiecto phantaſtice propoſito, atque adeo non poſſe perſeuerare, cum nec obiectum ſic propoſitum perſeueret. Nam contra eſt (Et eſt ſolutio expreſſa Scoti ſupra num. 9. cuius miror non meminiſſe Poncium: cum hanc quæſtionem in terminis diſputet Doctor noſter) Quia licet quoad acquiſitionem talium ſpecierum indigeat intellectus obiecto phantaſtice propoſito, non tamen quoad conſeruationem & vſum.

Aduerte tamen habitus imperfectos & ſpecies erroneas non manere in animabus beatis: ſicut nec ſupernaturales in damnatis. De quo tractat. De Beatitudine.

6. Secunda concluſio, *Anima ſeparata acquirit nouas ſpecies.* Ita Scotus ſupra quæſt. 2. Probatur, quia anima cognoſcet res ſpirituales intuitiue; ſed tales imprimunt ſui ſpeciem in intellectu, ſicut ſenſibilia nunc imprimunt ſenſibus, ergo &c. Et confirmatur, quia perfectionis eſt in anima vnita, quod acquirat ſpecies, quibus cognoſcat, & ad hunc finem habet intellectum agentem, ergo non eſt denegãdum ipſi in ſtatu perfectiori ſeparationis; ſicut nec quod diſcurrat, quemadmodum & Angeli diſcurrunt.

7. Tertia concluſio, *Anima ſeparata elicit perfectiores cognitiones, quam vnita: quia cognoſcit ſubſtantiam & res ſpirituales intuitiue.* Probatur, quia anima in corpore dependet à phantaſmatibus & à materialibus ſpeciebus per ſenſus acceptis, quæ cum ſolum ſint ſpecies accidentium, ſolum per illa poteſt anima accidentia intuitiue cognoſcere, & nec quidem omnia. Ex illis autem abſtractiue & imperfecte deuenit in cognitionem ſubſtantiæ. Cæterum quando eſt ſeparata, nec contracta ſenſibus materialibus accipit ſpecies proprias vel ex ipſis obiectis ſiue ſubſtantialibus ſiue accidentalibus, (habet enim virtutem in ſe ſimul cum obiecto producendi, vt in corpore eas producit ſimul cum phantaſmatibus;) vel ſi hoc tibi videtur durum ſaltem exigit tunc à Deo ſibi infundi ſpecies: quia cum natura ſua ſit cognoſcitiua debet vel habere naturalem virtutem ſibi comparandi comprincipia requiſita, inter quæ ſunt ſpecies, vel debet exigere ab extrinſeco à Deo ſcilicet auctore naturæ, ſibi infundantur, ergo anima ſeparata habet ſpecies proprias & immediatas ſubſtantiarum & accidentium, &

& consequenter potest eas substantias multo perfectius quàm in corpore cognoscere. Confirmatur & explicatur amplius, quia anima separata cognoscit accidentia spiritualia, item & substantias spirituales immediate sine interuentu speciei, quando debite approximantur, sicut tactus & gustus cognoscunt, & sicut etiam de Angelis communiter dicitur. Ex quo fit quidditatiue & intuitiue ab illa cognosci res spirituales, quas in corpore vix nouit nisi per discursum. Habet ergo extra corpus longe perfectiores species & cognitiones quàm in illo.

8. Quarta conclusio, *Anima separata potest cognoscere secreta cordis seu actus liberos internos aliorum*, ita colligo ex Scoto 2. d. 9. quæst. 2. & 4. d. 10. quæst. 8. num. 12. probatur *primo* quia non magis improportionatur actus voluntatis intellectui, quàm ipsa voluntas, quam tamen videre potest anima separata. Respondet Caiet. occultari actum. Sed contra, hoc erit alia volitione, ergo illa saltem potest videri, nisi alia volitione occultetur & sic in infinitum. Probatur *secundo*, intellectus videt actus suos liberos, ergo alius intellectus saltem perfectior videre potest eosdem: quia causæ æquè perfectæ possunt in effectus æque perfectos eiusdem rationis v.g. si hic ignis comburit hoc lignum, omnis ignis æque perfectus vel perfectior poterit idem præstare. *Tertio* effectus omnes dependent immediate quoad esse & non esse à dominio diuinæ voluntatis, & tamen propter hoc non effugiunt cognitionem intellectus separati, ergo neque effugient actus propter dominium immediatum voluntatis creatæ. Et hæc de prima difficultate; de secunda,

9. Sit Quinta conclusio, *Anima separata potest à se ipsa moueri localiter.* Est contra aliquos oppositum opinantes quia (dicunt) potentia loco motiua, quam habet anima in corpore est materialis; sed hanc non fert secum, quando separatur: quia nihil materiale secum portat, ergo non potest se ipsam mouere. Sed ego opposito argumento probo meam conclusionem: quia potentia loco motiua non distinguitur ab ipsa anima in nostra sententia; imo & si distinguatur, debet esse spiritualis: nam motus ipsius animæ, qui est actus eius potentiæ, est spiritualis, ergo in anima separata manet potentia loco motiua sui, quam habuit in corpore, ergo poterit per illam se mouere. Et confirmatur, quia difficilius est se & corpus mouere, quàm se solam; sed potens est se simul cum corpore mouere, quando illi est vnita, ergo melius & velocius poterit se sine grauitate corporis mouere.

10. Sexta conclusio, *Anima separata potest alia à se mouere per impulsum.* Probatur omne quod mouet se siue animatum sit siue non, potest aliquid secum mouere vt patet experientia, ergo & anima. *Secundo* quia hoc non est denegandum animæ ratione perfectionis eius: cum conueniat Angelis, neque imperfectionis cum conueniat corpori, ergo. *Tertio* quia corpora gloriosa mouebuntur, ergo non nisi ab anima. *Quarto* quia Christus Dominus videtur vsus hac potestate mouendo suum corpus inorganice, quando volebant Iudæi eum præcipitare, ipse vero transibat per medium illorum.

Dices, anima est forma corporis, ergo non est capax illud mouendi, nisi vt forma illius, ergo separata, cum non sit actu forma informans, non poterit actu illud mouere. In quo differt ab Angelo, qui cum non sit for-

ma, ſed ens completum, poteſt mouere alia à ſe: ℞. hoc argumentum parum efficaciæ continere, *primo* quia ob eamdem rationem poſſet quis dicere: animam non poſſe ſe mouere, niſi actu informaret corpus: quia eadem videtur de vtroque eſſe ratio; hoc autem non admittes, ergo *Secundo* quia gratis omnino infertur ex eo quod ſit forma, non poſſe alia mouere niſi per modum formæ: cum oppoſitum videatur omnino certum: etenim anima dum eſt in corpore, non ſolum poteſt ſe & ſuum corpus, cuius eſt forma, mouere, ſed etiam imprimit impulſum lapidi v.g. eumque à ſe longe proiicit, cum tamen non ſit forma lapidis, ergo poterit ſeparata ſuum corpus mouere, licet non ſit actu forma illius: patet conſeq. quia eſſe formam actu corporis non efficit eſſe formam lapidis, ergo ſi vnita corpori poteſt lapidem mouere, etiam non vnita poterit illum eumdem lapidem vel aliud corpus mouere.

Et hæc de anima, ac pro naturali Philoſophia hactenus dicta nobis ſufficiant. Quæ tanquam fundamenta & cardines præmiſimus, ſub quibus machina ſuperioris & primæ Phyſicæ, ideſt Metaphyſicæ, licet inuſitata methodo, tamen congruentiori iam deinceps pro captu noſtro, Deo dante, erigetur.

Finis librorum de Anima.

TRACTA

TRACTATVS III.
IN
METAPHYSICAM
ARISTOTELIS.

Procemium.

AGGREDIMVR, *Deo auspice, Metaphysicam Aristotelis explicandam, quam ipse in duodecim libros partitus est; & quia prolixior est, quam stylus noster patitur & fortasse obscurior (absit conuitium) quam claritatis ratio postulat; ideo, prætermissis tum textu tum etiam methodo, per disputationes & quæstiones, vt hucusque, præcipuas difficultates examinabimus. Quantæ vero sit dignitatis, quantæque vtilitatis præsens scientia, vel ipsa elogia, quibus eam ornat, tum torrens Philosophorum, tum maxime ipse Philosophus, vt alia prætermittam argumenta, abunde demonstrant. Appellatur enim 1. Metaph. cap. 2.* Sapientia, *quoniam de primis*

primis rerum causis & supremis ac difficillimis rebus & de vniuersis entibus disputat. Deinde dicitur absolute & quasi antonomatice Philosophia *& lib. 6. text. 3.* Prima Philosophia *nominatur: est enim Philosophia studium Sapientiæ, hoc autem studium intra naturæ ordinem in hac scientia acquirenda maxime adhibetur. Cum ipsa Sapientia sit & in Diuinarum rerum cognitione versetur. Hinc rursus* naturalis Theologia *vocatur, quoniam Deum Diuinasque perfectiones, quantum fas est limpitudini naturalis intelligentiæ, contemplatur. Ex quo etiam* Metaphysica *nominata est à* meta, *quod est* trans *&* Physis scientia *quasi transcendens scientia. Est enim scientia vniuersalis, quæ per se considerat omnia transcendentia. Vel aliter hoc nomen* Metaphysica *sumptum est ex inscriptione, quam Aristoteles suis Metaphysicæ libris præscripsit Græce quidem, sed Latine idem est ac scientia, quæ tractat de his rebus, quæ scientias seu res naturales consequuntur: abstrahit enim hæc scientia à sensibilibus seu materialibus rebus, (quæ Physicæ dicuntur) & res Diuinas & à materia separatas & communes rationes entis, quæ absque materia existere possunt, contemplatur, ideoque* Metaphysica *dicta est, quasi post Physicam seu vltra Physicam constituta.* Post *(inquam) non dignitate aut naturæ ordine, sed acquisitionis, generationis, seu inuentionis. Hinc*

patet quam aptior & rationabilior sit nostra methodus : cum præmittat omnia physicalia & naturalia tamquam faciliora & sensibus manifestiora, postea vero metaphysicalia tamquam difficiliora : quia à sensibus abstrahentia, & proximius ad Sacram Theologiam, in quam tamquam in finem labor noster dirigitur, conducentia. Sit ergo Disputatio prima.

DISPVTATIO I.

DE

OBIECTO ET NATVRA METAPHYSICÆ.

QVÆSTIO I.

Quodnam sit obiectum adæquatum Metaphysicæ?

SI de obiecto adæquato cuiuscumque scientiæ exacte & quantum ad veritatem satis esset, ageremus, tale deberet dici aggregatum ex omnibus obiectis, quæ considerantur à qualibet scientia. Tuncque non esset in resolutione huius quæstionis multum immorandum & insistendum: nam vt docet Scotus 6. Metaph. q. 1. scientiarum limites à primis tractatoribus ad placitum designati sunt. Quod Scoti dictum, ipso non tacito, tradunt recentiores. Nec tamen ita intelligendum est, vt sine maxima congruentia, nec iuxta rerum naturas facta sit diuisio scientiarum; sed omnimoda alterius ab altera separatio multum pendet ex docentis arbitrio. Cum igitur veterum Philosophorum tot sæculis receptam diuisionem sequamur, oritur controuersia de assignando adæquato obiecto inter omnia, quæ vnicuique scientiæ tribuuntur. Et id modo inquirimus de Metaphysica. Ad cuius decisionem recolenda sunt quæ diximus in Log. docente disp. 5. q. 2.

1. Sit prima conclusio, *Obiectum adæquatum Metaphysicæ non est Deus, nec substantia immaterialis quatenus Deum & intelligentias, hoc est Angelos comprehendit; nec ens diuisum in decem genera, nec demum substantia quatenus abstrahit à materiali & immateriali, finita & infinita.* Est communis contra plures sententias, quas sigillatim recenset Poncius hic. Probatur obiectum adæquatum non exceditur à scientia; sed Metaphysica excedit singula ex his obiectis, ergo nullum ex eis est obiectum adæquatum ipsius; ma. est certa ex dictis in Logica & mi. probatur: quia Metaphysica agit de ente vt sic; sed ens vt sic sub nullo eorum comprehenditur, ergo. Et hæc instantia potest applicari, impugnando singulas ex his sententiis seorsim sumptas, & etiam omnes

omnes simul. Et confirmatur: nam quolibet ex his potest dari ratio aliqua vniuersalior, nimirum ratio entis, de qua potest haberi scientia; sed nulla alia scientia agit de illa ratione præter Metaphysicam: alioquin Metaphysica non esset vniuersalissima scientia, quod est contra Philosophum. Tum etiam quia sequeretur quod male diuiserit Philosophus scientiam realem vt sic in Metaphysicam, Mathematicam & naturalem: cum nulla illarum complecteretur scientiam, quæ ageret de illa ratione vniuersaliori, ergo illa ratio vniuersalior debet potius constitui obiectum adæquatum metaphysicæ.

Obiicies *primo*, omnia entia creata non possunt conuenire vel contineri sub eadem ratione vnius obiecti adæquati, ergo nec Deus & creatura; probatur conseq. Ideo hoc repugnat omnibus entibus creatis: quia distant secundum suas rationes formales; atqui magis distant Deus & creatura, quam vnum creatum ab alio, ergo &c. ac per consequens vel Deus erit obiectum adæquatum huius scientiæ, vel nulla ratione ad ipsam spectabit. Respond. neg. anteced. & adhuc eo admisso, neg. conseq. & ratio est, quia hæc scientia non agit de Deo & creaturis sub rationibus particularibus, sed tantum sub rationibus communibus, ac proinde possunt habere vnam rationem communem in esse obiecti.

Obiicies *secundo*, tot sunt partes philosophiæ per Philosophum 4. Metaph. tex. 4. quot substantiæ, ergo cum tantum reperiatur duplex substantia, duplex erit philosophia seu scientia, nimirum vna quæ agat de vna substantia & altera quæ de alia; sed Physica seu Philosophia naturalis agit de substantia materiali, ergo relinquitur quod substantia immaterialis sit obiectum adæquatum Metaphysicæ. Respond. ex auctoritate Philosophi non haberi, quod substantia materialis sit obiectum adæquatum huius scientiæ, licet bene sequatur quod alia sit scientia, quæ agit de hac substantia, & alia quæ de illa; nec ob hoc diuisit male Philosophus partes philosophiæ penes duplicem substantiam: quia in hoc tantum voluit insinuare distinctionem vtriusque scientiæ, quæ bene innotescit per vtramque substantiam, quamuis vna non sit obiectum adæquatum.

2. Secunda conclusio, *Ens commune Deo & creaturis, substantiæ & accidenti est obiectum adæquatum Metaphysicæ.* Dixi *ens commune Deo & creaturis &c.* quia ens secundum se præcise non est obiectum adæquatum Metaphysicæ; nam multæ passiones inferiorum ad ens demonstrantur de ipsis in metaphysica, quæ non possunt demonstrari per rationem entis: nam superius non continet virtualiter inferius, nec passionem per se conuenientem ipsi secundum rationem suam particularem. Conclusionom habet Scotus in prolog. q. 3. & 6. Metaph. q. 1. & cum illo omnes Scotistæ. Probatur *primo* auctoritate Philosophi 4. Metaph. vbi dicit, *quod est scientia quadam, quæ speculatur ens in quantum ens & quæ huic insunt secundum se*; sed hæc est Metaphysica: cum sit vniuersalissima, ergo &c.

Quod si dicas, per ens in quantum ens intelligere Philosophum substantiam, quam ipse *ens simpliciter* vocat. Contra, quia aliud est vocare substantiam *ens simpliciter*; aliud vti hac reduplicatione *in quantum ens*, qua Philosophus nunquam substantiam intellexit, sed rationem abstra

abstractiorem, quæ in decem prædicamenta diuidi posset: Ité hæc interpretatio aduersatur expresse Philosopho cap. 2. in fine, vbi sic dixit: *Quidquam ergo vnius scientiæ est ens in quantum ens speculari, & quæ insunt ei in quantum ens, manifestum est & quia non solum substantiarum sed & accidentium eadem est theorica.* Ex quo clare constat Metaphysicam contemplari non solum ens secundum se, sed insuper contemplari substantiam & accidens.

Probatur *secundo.* Illud est obiectum huius scientiæ, cui primo conueniunt passiones generalissimæ hic demonstratæ, nempe vnum, verum, bonum; Sed hoc est ens vt sic, & non vllum inferius ad ipsum, ergo &c. probatur mi. quia cum hæ passiones demonstrari possint de quolibet ente, hoc debet esse per aliquam rationem communem omnibus & singulis; sed nulla alia potest assignari præter rationem entis, ergo: Probatur *tertio* si Metaphysica respiceret aliquod contentum sub ente pro obiecto adæquato, non esset prior & superior aliis scientiis: vt docet Aristot. 6. Metaph. sequela ostenditur: quia tunc vt diximus de ente esset aliqua scientia cuius principiis posset Metaphysica vti ad demonstrandum passiones de suo obiecto, & ita esset posterior & inferior tali scientia.

2. Obiicies *primo*, Quod est obiectum adæquatum scientiæ debet habere principia & proprietates demonstrabiles de ipso; Sed ens vt sic non habet talia, cum sit formalitas simpliciter simplex, non resolubilis in plures conceptus. ergo &c. Et confirmatur, quia ex 1 posterior. obiectum scientiæ debet habere partes & principia, quæ ob rationem assignatam non habet ens. ℞ dist. ma. debet habere principium suarum proprietatum. conced. ma. principia constitutiua sui formaliter neg. ma, & dist. similiter. mi. non habet principia constitutiua sui formaliter, idest partes reales physicas aut integrales, vel plures formalitates. conced. mi. non habet principium suarum proprietatum. neg. mi. habet enim suam naturam, quæ sufficientér principiat suas proprietates. Ad confirmat. dist. anteced. debet habere partes essentiales & principia in essendo seu principia incomplexa. neg. anteced. partes subiectiuas & principia complexa, idest principia in cognoscendo, per quæ passiones demonstrentur de ipso. cóced. anteced. Et hæc habet ens; scilicet *Quodlibet est vel non est. Impossibile est idem simul esse & non esse* &c. quibus vtitur Metaphysica ad demonstrandum eius passiones. Audi Scotum ad 3. Metaph. sum. 2. cap. 1. n. 18. *veritas huius Quæstionis est, quod einsdem scientiæ scilicet metaphysicæ est considerare de substantia & de dignitatibus: nam cum subiectum metaphysicæ sit ens in quantum ens, ideo eius est considerare talia principia communia, quæ in ente vel in partibus entis fundantur: sicut patet de primo principio simpliciter quidem quod est, impossibile est idem simul esse & non esse.*

4. Pro cuius explicatione, & exacta intelligentia Quæstionis. Aduerte, Principia, quibus vnaquæque scientia vtitur in demonstratione passionum de suo obiecto esse in duplici differentia, quædam communia, quæ non sunt huius scientiæ magis quam illius vt *totum est maius sua parte* &c. Alia sunt propria vt definitio entis naturalis est primum principium in Physica, & definitio syllogismi primum principium in Logica: Ex his prima principia propria & particularia semper sunt rationes totales demonstrandi

strandi passiones de obiecto, cuius tale primum principium est definitio. Quod colligo ex Aristot. 1. posterior. 10. vbi ait: *Quod quid est alterius extremi est medium in demonstratione*; principia autem communia nequeunt esse totales rationes demonstrandi veritates particulares alicuius scientiæ; quod & potest colligi ex Aristot. ibid. vbi dicit, *demonstrationem debere esse ex propriis*, & docet Scotus q. 1. prolog. n. 30.

Ex his ad propositum aduerte secundo aliquas passiones entis conuenire ipsi coniunctim & hæ conuertuntur cum illo: vt vnum, verum, bonum; alias vero disiunctim: vt quantum & non quantum, esse in actu & esse in potentia, necessarium & contingens, finitum vel infinitum; priores passiones conueniunt enti immediate, & immediate per rationem ipsius cognoscuntur & non per demonstrationem: nam cum, vt ait Scotus 1. d. 39. n. 13. *non possit esse medium inter ipsum ens & suam passionem: quia neutrius est definitio, quæ possit esse medium*; non demonstratiue, sed ex sola terminorum apprehensione cognoscuntur: vnde quælibet enunciatio passionis de ente est per se nota.

Dices: ergo Metaphysica non est scientia: Probætur quia omnis scientia procedit per demonstrationem; sed de per se notis non est demonstratio ob defectum medij, ergo: ℞. neg. anteced. nam licet Metaphysica quantum ad ens vt sic communissimum non procedat demonstratiue, benè tamen quantum ad eius partes subiectiuas, & hoc sufficit vt sit sciētia: vt in simili dixi in Logica: scilicet non propterea, quia quantum ad aliquas conclusiones procederet probabiliter non dicendam scientiam. Item quia procedere ex per se notis firmiorem & certiorem cognitionem parit.

5. Obiicies *Secundo*, Metaphysica est scientia realis simpliciter, ergo eius obiectum debet esse aliquid reale simpliciter, quale non est ens vt sic: ℞. quòd nimium probaret, si valeret argumentum: nam metaphysica agit de ente in potentia, quod tamen in sensu argumenti non est ens reale simpliciter. Dico igitur, quod vt scientia realis sit, non requiritur, quod omnia quæ tractat, sint realia: alias Theologia quæ tractat de peccatis & Sacramentis, non esset scientia realis. Itaque sufficit quod eius obiectum primum & adæquatum sit ens reale. Pro quo aduerte, Metaphysicam agere de ente per accidens, quia agit de ente per se; assignando enim differentiam vtriusque, melius cognoscuntur quidditates eorum. Propterea etiā agit de ente rationis, contra distinguendo ipsum ad ens reale. Nec ob hoc dicendum est cum aliquibus, ens vt commune enti reali & rationis esse obiectum primum Metaphysicæ: quia tale vt infra dicemus, non est vniuocum, sed æquiuocum, atque adeo non habet vnitatem, à qua sumatur vnitas scientiæ.

QVÆSTIO II.

Vtrum Metaphysica agat de quidditate omnium rerum in particulari?

6. PRima conclusio, *Metaphysica agit de quidditatibus rerum in genere*, ita Scotus in 1. Metaph. quæst. 9. Anton. Andreas, Cauellus in cholio ibid. Et Mauritius Hibernus fidelis. Scotista in annotat. ibid. insinuat esse communem sententiam in nostra Schola. Probatur manifeste ex Aristot. 1. Metaph. cap. 2. vbi dicit *Itaque primum existimamus, sapientem omnia maxime scire, vt contingit: accipimus enim non singularem scientiam eorum*

habentem. Quod explicans Scotus ait: *Prima conditio Sapientis est scire omnia, vt contingit scilicet in vniuersali, vt postea dicemus,* promittens disputationem quam soluit loco supra citato. Probatur *secundo*, quia Metaphysica est scientia vniuersalissima, ergo debet esse de rebus omnibus in vniuersali. *Tertio* quia agit de ente & eius proprietatibus: vt constat ex q. præced. nec non de ratione substantiæ vt sic: quia eiusdem scientiæ est agere de partibus proxime subiectiuis, cuius est agere de primo subiecto; sed substantia vt sic & accidens vt sic sunt partes proximè subiectiuæ illi, de quo agit metaphysica, vel ad minus paucas admittit priores: vt constabit inferius agendo de diuisione entis, ergo &c. Prætereà agit de substantia finita & infinita, & ente creato & increato, de accidenti respectiuo & absoluto, ratione qualitatis, dependentiæ &c. quia omnes istæ sunt rationes communes materialibus & immaterialibus.

7. Secunda conclusio. *Metaphysica non agit de quidditatibus omnium rerum in particulari quoad rationes particulares earum.* Idest non agit de ente materiali secundum particularem illam rationem, secundum quam appropriatur Philosophiæ naturali contemplanda. Nec de quantitate secundum illam rationem, secundum quam appropriatur Mathematicæ. Est communis & colligitur ex auctoritatibus Philosophi supra. Probatur quia alioquin omnes aliæ scientiæ speculatiuæ superfluerent; sed hoc est contra omnes Philosophos diuidentes scientias naturales speculatiuas in Mathematicam, Physicam & Metaphysicam, ergo &c. Probatur ma. quia illa scientia cognoscit proprietates omnes, quæ cognoscit res secundum suas particulares rationes & quidditates; sed Metaphysica secundum oppositam sententiam cognoscit quidditates omnes secundum particulares rationes, ergo cognoscit proprietates omnium, ergo reliquæ scientiæ superfluunt.

8. Obiicies *Primo*, omnes res sunt scibiles in particulari, & ex parte scientiæ non repugnat, quominus vna scientia versetur circa omnes: cum scientia totalis ex dictis in Logica non debeat esse vnus simplex habitus, sed aggregatio ex pluribus specie distinctis ℞. admittendo totum, ac proinde quod aggregatio tot habituum spectet ad vnam scientiam, & aggregatio tot habituum spectet ad aliam præcise pendet à Philosophorum placito, qui causa ordinis seruandi & confusionis vitandæ scientias separauerunt, & non propter aliquid, quod à parte rei coegerit ad talem separationem: nam sicut Mathematica quæ agit de quantitate vt sic, agit de linea, superficie, & corpore, & sicut Physica, quæ agit de corpore naturali vel mobili vt sic, agit etiam de hoc & illo corpore; eodē plane modo Metaphysica, quæ agit de ente vt sic, posset agere de hoc & illo ente, & consequenter de omnibus. Nec quidquam obstat quod fideliores Thomistæ dicunt, scientia distingui penes rationem formalem *sub qua*, idest talem modum abstractionis, vnde solum illa entia spectabunt ad Metaphysicam, quæ abstrahunt à materia. Si dicas, quod tunc Metaphysica contemplaretur solum entia spiritualia. Respondent, quod non requiritur abstractio secundum rem, sed illa, vel abstractio secundum rationem. Verùm hæc opinio semper visa fuit mihi improbabilis. Eā efficaciter impugnant reliqui præter Thomistas: noster Smising. tom. de Deo vno in prologo, num. 68. Poncius hic disp. 22. à n. 83.

constat

constat enim quod aliquæ scientiæ participantes eamdem abstractionem: vt Geometria & Arithmetica distinguuntur specie. Ex dictis constat, quod si placuisset Philosophis, Metaphysica posset se extendere ad obiecta omnium aliarum scientiarum.

Obiicies *Secundo*, idem est dicendum de habitibus ordinatis, ac de potentiis ordinatis, sed potentia superior extendit se ad obiecta potentiarum inferiorum: nam intellectus, qui est cognitiua superior, versatur circa obiecta sensuum, qui sunt cognitiuæ inferiores, ergo habitus superior, qualis est Metaphysica respicit obiecta Physicæ & Mathematicæ: ℞. neg. ma. & ratio disparitatis est, quia intellectus est potentia vniuersalis, & recipit species intelligibiles omnium obiectorum, ac proinde omnia intelligit; Habitus autem determinatur ad vnum, quia inclinat tantùm ad cognoscendum obiectum actuum, ex quibus generatur.

9. Obiicies *Tertio*, Metaphysica est scientia perfectissima inter naturales ex 1. & 6. Metaph. sed notitia rerum in vniuersali non est perfectissima, ergo Metaphysica non est tantum de rebus in vniuersali, sed etiam in particulari probatur mi. quia res in particulari est perfectior, quàm res in vniuersali, ergo eius scientia est perfectior: ℞. concess. ma. & mi. neg. conseq. & breuiter dico, quod Metaphysica est perfectissima scientia, non quod quilibet habitus ipsius sit perfectior quolibet habitu alterius scientiæ; sed quia quocumque habitu alterius scientiæ naturalis Metaphysica includit habitum perfectiorem. Vel dic quod sit perfectissima, quia perfectius cognoscit, non quod perfectius cognoscat, loquendo de singulis obiectis suis. Vel dici potest quod sit perfectissima: quia minima cognitio de immaterialibus secundum Philosophum 11. de animalib. est desiderabilior, quàm magna de materialibus. Elige solutionem, quam malueris.

Obiicies *Quarto*, eiusdem scientiæ est cognoscere superius & inferius: vt constat ex Arithmetica, quæ considerat numerum vt sic & numerum binarium &c. ergo Metaphysica quæ contemplatur ens vt sic, quod est superius, considerat omnia entia in particulari: cum sint inferiora ad ipsum: ℞. neg. vniuersaliter ma. Quod si inquiras, quæ est potior ratio de vno quàm de altero? Respondetur à quibusdam, rationem esse: quia numerus vt sic & numerus binarius habent eamdem rationem *sub qua*: nimirum abstractionem à materia sensibili; non vero à materia intelligibili, qualem non habent ens vt sic & sua inferiora. Sed hæc responsio iam reiecta est. Quare vno verbo dico, quod nulla alia sit huius ratio, nisi voluntas Philosophorum.

Obiicies *vltimo* plurima loca Arist. & Scoti: nam Scotus in prologo q. 3. dicit, quod propositio per se nota geometriæ cognoscitur perfectius à Metaphysico. Et 1. d. 2. q. 4. docet, quod Metaphysicus considerat, ad quod genus pertinet linea, & quod considerat ipsã, quod sit species quantitatis; sed hoc non faceret, nisi consideraret lineam in particulari, ergo sic considerat. Istæ & plures aliæ authoritates adduci solent ab opposita sententia. Ad quas omnes; Resp. breuiter sistendo intra limites Metaphysicæ nego, quando habet alias scientias annexas, concedo; idest purus Metaphysicus neg. Metaphysicus geometer, Philosophus naturalis &c. concedo. Vel aliter per se nego per accidens concedo.

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

Vtrum Metaphysica sit subalternans vel subalternata scientia?

NOta *subalternantem scientiam* dici communiter ab authoribus scientiam habentem aliam sibi aliqua speciali ratione subordinatam & à se dependentem; *subalternatam* vero sciētiam dici, quæ alteri scientiæ subordinatur & est ab illa dependens aliqua speciali ratione. Cæterum hoc variis modis contingere potest. *Primo* quando obiectum vnius continetur sub obiecto alterius: sic Philosophia posset dici subalternata Metaphysicæ: sicut enim obiectum librorum de generatione verbi gratia continetur sub obiecto totius Philosophiæ, sic obiectum Philosophiæ continetur sub obiecto Metaphysicæ: quia illud est ens mobile seu naturale, istud vero ens vt sic. *Secundo* quando vna scientia ordinatur & deseruit alteri: sic Logica vt ens posset dici subalternari aliis scientiis, frænefactoria ars equestri, equestris militari, & militaris politicæ. *Tertio* quando vna assumit principia, quæ in altera demonstrari solent tanquam conclusiones propriæ illius: hac ratione Medicina subordinatur Philosophiæ iuxta commune dictum: *vbi desinit Physicus, incipit medicus*, Medicina enim docet, calida frigidis curanda esse, ex eo quod opposita curari debent oppositis, & calida opponuntur frigidis; hæ autem præmissæ demonstrantur in Philosophia, ad quam pertinet probare, tum quod opposita curari debent oppositis ex eo quod vnum oppositum destruitur per aliud; tum quod calida opponantur frigidis, ex eo quod mutuo se expellunt. *Quarto* potest vna scientia subalternari alteri, quando vna considerat subiectum alterius, sub aliqua tamen ratione accidentali, in quo sensu etiā medicina potest dici subalternari Philosophiæ: nā cum obiectū medicinæ sit homo sanabilis, & sanabile claudatur sub ente mobili ratione differentiæ accidentalis: accidit enim enti mobili ad calorem, quod per calorem sanetur, hinc obiectum medicinæ addit differentiam accidentalem supra obiectum Philosophiæ. item in hoc sensu & in præcedenti possunt dici subalternari perspectiua Geometriæ, & Musica Arithmeticæ.

Ex his quatuor modis subalternationis primus improprius censetur ab omnibus, nisi enim vna scientia ab altera dependeat, non debet dici ipsi subalternari. Vnde cum Physica haberi possit absque Metaphysica, non debet dici ipsi subalternata. Secundus modus non adeo improprius censetur. Quare in quæstione hac, quæ de acceptione vocis & nominis *subalternationis* est, illud certum habendum est, quod auctores tres conditiones requirunt communiter ad ipsam. Prima quod subalternans & subalternata versentur circa idem obiectum. Secunda vt subalternata consideret illud sub aliqua ratione accidentali. Tertia quod subalternata habeat pro præmissa aliquam conclusionem, quam ipsamet non demonstrat, sed quæ fuit demonstrata in scientia subalternante. Vnde vbi tres hæ conditiones reperiantur, erit scientia subalternata, vbi vero aliqua defuerit, non erit subalternata. His præmissis,

10. Sit conclusio, ***Metaphysica non est scientia subalternata nec subalternans.*** Est communis apud omnes. Et prior pars est manifesta, quia vniuersa

vniuersalissima scientia à nulla alia mutuatur obiectum, nec principia ab vlla alia scientia desumit, nec addit differentiam accidentalem sub obiectum alterius scientiæ. Item Posterior pars probatur etiam facile: quia nulla alia scientia accipit sua principia ab illa, nec addit differentiam accidentalem supra obiectum illius. Patet quia nec Physica nec Mathematica: nam illæ habent propria principia per se nota independenter à Metaphysica, & obiectum earum non superaddit aliquam conditionem accidentalem enti, quod est obiectum Metaphysicæ: cum ens mobile seu corpus naturale sit quid vnum per se & non vnum per accidens. Nec obstat quod Philosophia & Mathematica vtantur principiis Metaphysicæ: sc. *Quodlibet est vel non est, impossibile est idem simul esse & non-esse* nam ista sunt principia communia; ad subalternationem autem requiritur quod subalternata vtatur principiis, quæ sint conclusiones demonstratæ à subalternante, qualia non sunt ista, quæ & in ipsa subalternante sunt principia per se nota.

11. Inquires, *An possit habere aliquis scientiam subalternatam sine subalternante?* Et sensus difficultatis est, An habitus ille, qui inclinaret ad assentiendum conclusioni deductæ ex præmissis, quæ non essent euidentes ipsi habenti scientiam subalternatam solum, posset habere rationem scientiæ? Resp. negatiue cum Scoto 3. d. 24. quæst. 1. num. 18. & omnibus Scotistis, quos sequitur Suarez & alij. Contra plurimos Thomistas, Complutens. & Ioan. à S. Thoma. Fundamentum est, quia nulla cognitio siue actualis siue habitualis, quæ non est certa & euidens, potest habere rationem veræ scientiæ; sed cognitio dependens à præmissis non euidentibus aut certis non potest esse certa & euidens, ergo talis nequit esse vera scientia; sed omnis cognitio subalternata est cognitio dependens à præmissis, quæ non sunt notæ ex terminis, nec cognoscuntur euidenter nisi per scientiam subalternantem, ergo nulla talis potest esse scientia, absque eo quod sit simul cum subalternante. Hanc rationem egregie illustrat Poncius disp. 22. à n. 64. Et satis efficaciter confutat modum dicendi Thomistarum.

DISPVTATIO II.
De diuisione Entis

QVÆSTIO I.
Quo modo diuiditur ens in reale & rationis?

1. SVPPONO vt certum, diuisionem, entis in reale & rationis esse adæquatam: sumitur enim in ista diuisione ens rationis, pro ente quod fit ab anima, & habet esse per opus solius alicuius potentiæ intentionaliter operatiuæ. In quo sensu certum est, nullum ens mediare, quod non sit aut reale aut rationis. Ex quo per oppositum colligitur definitio entis realis: scilicet quod habet esse independenter à sola operatione cuiuscumque potentiæ intentionaliter operatiuæ. Si autem sumeretur ens rationis stricte pro eo quod fit à solo intellectu: De quo dicemus disp. vlt. *Tunc ista diuisio* (inquit Scot. 1. d. 45. n. 4.) *non est sufficiens quod omnis relatio aut est realis, aut rationis, accipiendo relationẽ rationis stricte: quia omnis potẽtia quæ potest habere actũ &c.*

In ſenſu ergo, quo ens rationis ſumatur pro ente in anima ad diſtinctionem entis realis, quod eſt ens extra animam, diuiſio eſt ſufficiens & adæquata. Et ſolum poteſt eſſe dubium, quod communiter controuertitur; Vtrum diuiſio ſit vniuoca, ita quod ens diuiſum in reale & rationis ſit vniuocum ipſis?

2. Et Nota, non loqui nos in præſenti de vniuocatione logica aut phyſica, de illa ſcilicet per quam plura conueniunt in aliqua ratione communi, quæ reperitur in illis æqualiter, & eodem modo, de qua videndus noſter Merinerus in ſua Logica cap. categoriar. diſp. 2. q. 3. Sed de vniuocatione metaphyſica, quam inſinuauit Scotus 1. d. 3. q. 2. ante n. 6. dum ait. *Et ne fiat contẽtio de nomine vniuocationis, conceptum, vniuocum dico, qui ita eſt vnus, quod eius vnitas ſufficiat ad contradictionem affirmando & negando ipſum de eodem &c.* Loquimur ergo de vniuocatione per quam aliqua conueniunt non ſolum in aliquo nomine, ſed etiam in ratione ſubſtantiæ ſignificata per nomen, etiamſi inæqualiter & diuerſo modo reperiatur in illis: iuxta definitionem vniuocorum datam in Logica diſp. 1. n. 8.

3. Sit noſtra concluſio, *ens quomodocumque ſumatur non eſt vniuocum enti reali & rationis; Quare diuiſio in illa nõ eſt vniuoca.* Et communiſſima inter Scotiſtas vno vel altero diſſentiente. Probatur *primo* auctoritate Scoti 1. d. 29. n. 1. vbi expreſſe dicit, *quod principium non dicitur vniuoce de principio eſſentialiter & notionaliter ſeu perſonaliter: Quia principium (inquit) eſſentialiter ſumptum non dicit niſi relationem rationis, vt autem accipitur ad intra notionaliter ſeu perſonaliter, dicit relationem realem; relationi autem reali & rationis non eſt commune aliquod idem, quod eſt in vno rei & in alio rationis: quia ei quod eſt ſecundum quid tale & ei quod eſt ſimpliciter tale non eſt vniuocum illud, quod accipitur in eis ſecundum quid & ſimpliciter.* Quid clarius? Probatur *ſecundo*, ille conceptus vniuocus præciſus ab ente reali & rationis, vel eſſet ſecluſo opere intellectus (& idem dico de opere alterius potentiæ intentionaliter operantis: iuxta dicenda de ente rationis); vel non eſſet? Si ſic, ergo aliquid quod eſſet præter opus intellectus includeretur quidditatiue in illo, quod non eſſet præter opus intellectus, cuiuſmodi eſt ens rationis; Si vero non eſſet præter opus intellectus ſed potius per opus intellectus, ergo aliquid quod eſt per opus intellectus, includitur quidditatiue in illo, quod eſſet præter opus intellectus, quorum vtrumque eſt falſum. Et confirmatur, quia impoſſibile explicatu videtur, Quis conceptus entis ſit ille, quod non ita eſſet, ſi daretur.

Dices *primo*, Poſſe explicari ſufficienter, per hoc quod dicatur eſſe aliquid intelligibile: nam in hoc conueniunt. Sed contra quia per hoc non explicatur, quod conueniant in aliquo conceptu entis, de quo eſt controuerſia: probatur, quia negationes & priuationes ſunt etiam intelligibiles, ſicut & entia poſitiua, nec propterea conueniunt in aliquo conceptu entis; Itaque ſicut ratio entis competit ipſis, ita & intelligibilitas, ens tamen reſpectu eorum eſt æquiuocum à conſilio: nam per prius & ſimpliciter competit enti reali ratio entis, ſecundario autem & per quandam proportionem ſeu analogiam enti rationis.

Dices *ſecundo*, Poſſe explicari dicendo quod eſſet aliquid potens exiſtere, abſtrahendo ab hoc quod exiſteret realiter aut rationaliter. Sed contra,

quia

quia posse existere seu esse extra suas causas, quando dicitur simpliciter seu absolute & absque aliquo addito; sumitur communiter & in omnium acceptione pro existentia reali: quod maxime spectandum est in præsenti, vbi de modo explicandi hunc conceptum disputamus, ergo per *potens existere* sic absolute dictum non explicatur conceptus communis, quem intendimus, alias coincideret cum vno ex membris diuidentibus nempe ente reali: nam de hoc dicitur absolute *posse existere*.

4. Obiicies, id per quod ens reale primo differt à figmento est aliquid in ente reali; Sed non est ipsa specialis ratio entis realis, ergo aliquid communius; Tunc vltra, sed illud communius reperitur in ente rationis, quod suo modo differt à figmento, ergo ratio differendi à figmentis est communis enti reali & rationis, mi. principalis probatur, si ratio entis realis esset prima ratio diuersificandi ens à nihilo, sequeretur quod omne id, in quo non inuenitur ratio entis realis, non posset differre à nihilo, & tunc entia rationis non differrent à nihilo, quod est falsum. ℞. conceff. ma. & mi. & conseq. Ad mi. subsumpt. dico, quod illud communius reperitur in ente rationis æquiuoce, non vniuoce. Vnde talis ratio differendi à figmentis est communis æquiuoce enti reali & rationis. Nec omnis cōuenientia infert vniuocationem in tertio: vt constat in ente vt sic & vltima differentia: magis enim conueniunt quàm ens & nihil seu negatio, & tamen in nullo conueniunt vniuoce, ergo quamuis ens reale & rationis conueniant in ratione communissima entis, sumendo ens, vt distinguitur contra nihil, non propterea conuenientia debet esse vniuoca, sed sufficit æquiuoca & in nomine tantum. Quod & insinuat Scotus quodlib. 3. n. 2, vbi hanc acceptionem entis communissime adducit, & vocat illud æquiuocum.

5. Præmissa diuisione entis in reale & rationis, disputationem entis rationis vltimo loco proponendam relinquo. Et sumo *ens reale* istud diuiditur primo in ens *quantum & non quantum* (Intellige quantitate non molis, qualis est quantitas secundi prædicamenti, sed quantitate virtutis seu perfectionis: iuxta vulgatam distinctionem sumptam ex d. Augustino 6. de trinit. cap. 7. Quæ perfectio est transcendentalis & reperitur tam in rebus corporeis, quam incorporeis, in creaturis & in diuinis) de hac diuisione agunt fuse satis Formalistæ, & Scotus ipse quodl. 5. de ente non quanto non disputo: Pertinet enim proprius ad Theologos, qui & præcipue Scotus propter relationes diuinas ponunt istam diuisionem ens quantum idest perfectum, hoc est quod vendicat sibi certum perfectionis gradum, propterea que excedit vel exceditur ab alio in perfectione, diuiditur in finitum & infinitum, istud est solus Deus Opt. Max. illud est omnis creatura aliis modis explicatur hæc diuisio videlicet in ens à se & in ens ab alio, seu in ens incausatum & causatum: nam infinitum est increatum & à se, finitum vero creatum & ab alio. Item in actum purum & in ens potentiale, dicitur actus purus quia ad nullam perfectionem est potentiale: cum omnes habeat in se vel formaliter vel virtualiter, vel eminenter; Creatura vero, quia quantumuis perfectissima, adhuc maiorem perfectionem potest habere, ideo est ens potentiale. Denique in ens per essentiam & in ens per participationem.

Deus enim est per essentiam suam quidquid est: quia à nemine accipit esse; Creaturæ vero per participationem: quia eius esse participant, non sicut species participant genus, sed sicut effectus participat à sua causa quod ipsa habet in se formaliter vel eminenter. De aliis diuisionibus deinceps.

QVÆSTIO II.

Quo modo diuidatur ens in substantiam & accidens, Deum & creaturas?

NOta, diuisum in ista diuisione esse ens reale vt sic abstrahens à finito & infinito. Quo supposito, sensus quæstionis est: Vtrum tale ens diuidatur in ista vt vniuocum in sua vniuocata, vel vt analogum in sua analogata? Circa quod vide quæ diximus in Log. disp. 1. quæst. 2. Si ens dicat conceptum vniuoce communem Deo & creaturis, substantiæ & accidenti, diuisio erit vniuoci in vniuocata; si secus vero, erit analogi in analogata.

6. Est tamen Aduertendum, quod ad probandam vniuocationem entis, debet prius supponi, ipsum dicere conceptum obiectiuum præcisum & abstractum à suis, inferioribus. Et Nota dici conceptum obiectiuum ad distinctionem conceptus formalis; conceptus autem formalis dicitur actus intellectus, quò apprehendimus aliquid, conceptus vero obiectiuus obiectum illius conceptus. Itaque prius discutiemus, An quando concipitur ens vt sic, seu quando concipimus aliquid, esse ens, & ignoramus, an sit substantia vel accidens, habeamus in mente nostra non solum vnum actum & non plures, sed etiam vnum obiectum nobis propositum & non plura? Nominales, quos sequutus est Arriaga existimarunt ens dicere vnum conceptum formalem, non vero obiectiuum, Thomistæ communiter & recentiores plures asserunt ens dicere quidem vnum, conceptum tam obiectiuum quam formalem; sed tamen qui non præscindat perfecte ab inferioribus, nec sit vniuocus illis.

7. Sit prima conclusio, *Ens dicit vnum conceptum obiectiuum communem Deo & creaturis, substantiæ & accidenti.* Ita Scotus sæpissime præsertim 1. d. 3. quæst. 2. & d. 8. q. 3. Est omnium Scotistarum quos sequuntur quam plures ex recentioribus. Probatur *Primo* ratione Scoti. Intellectus certus de vno conceptu obiectiuo & dubius de diuersis habet conceptum de quo est certus, alium à conceptibus de quibus est dubius: nam cum certum & dubium seu non certum sint contradictorie opposita, implicat quod eidem rei simul & secundum eamdem rationem conueniant; sed intellectus hominis potest esse certus, quod id quod concipit sit ens, & dubitare an sit substantia vel accidens, Deus vel creatura: nam de quantitate certi fuerunt plures Philosophi, quod erat ens, & dubitabant an esset substantia vel accidens; similiter de Igne & Sole plures Ethnici fuerunt certi quod essent entia & dubitabant an esset Deus vel creatura, ergo datur in intellectu hominis obiectiuus conceptus alius à conceptu substantiæ & accidentis, Dei & creaturæ.

Dices si hoc argumentum valet, concluderet etiam ad ponendum vnum conceptum obiectiuum communem enti reali & rationis contradicta q. præced. Probatur assumptum, omnes Philosophi sunt certi, quod similitudo inter

inter duo alba sit relatio, & plures dubitant an sit realis vel rationis? nam Nominales, quos sequutus est Torrexon Doctor Complutens. dicunt esse relationem rationis, cæteri dicunt esse realem, ergo datur conceptus obiectiuus communis relationi reali & rationis? Respondeo, disparem esse rationem: quia in isto casu non est conceptus, de quo sint certi, sed disputant de primo conceptu, qui est an sit reale vel rationis: Et solum sunt certi de voce, quæ apud vnum significat ens reale, & apud alium ens rationis. Et quod non possint esse certi de re, optime probat à priori prima ratio adducta q. præced. In casu vero nostri argumenti Philosophi fuerunt certi de conceptu entis realis, & dubitabant de aliis.

Probatur *Secundo*, quia quantum ad abstractionem conceptus eodem modo se habet ens respectu suorum inferiorum, ac animal respectu hominis & bruti, ergo &c. Probatur antecedens sicut animal est indifferens vt sit rationale vel irrationale, ita ens vt sit substantia vel accidens. Item sicut animal potest cognosci, non cognito rationali, ita ens, non cognita ratione accidentis. Et sicut homo est similis equo in animalitate & non in rationalitate, ita accidens est simile substantiæ in ratione entis, non vero in ratione perseitatis, aut inhærentiæ. Et denique sicut animal potest reperiri à parte rei sine rationalitate, aut irrationalitate determinate: reperitur enim in bruto sine rationalitate & in homine sine irrationalitate, sic conceptus obiectiuus entis reperitur in Deo sine conceptu determinatiuo, quo contrahitur ad creaturam, & in creatura sine illo, quo contrahitur ad Deum; Et sic similiter de substantia & accidenti.

8. Et confirmatur, quia hæc est vera propositio: *substantia est ens, Accidens est ens,* & est prædicatio superioris de inferiori, ergo ens vt superius ad vtrumque præscinditur ab vtroque patet conseq. quia si ens diceret vel vtrumque vel vnum determinate, non posset de vtroque prædicari: quia si vtrumque, vel coniunctim vel disiunctim? Et vtroque modo propositiones essent falsæ & repugnantes: nam repugnat quod substantia vel accidens vnumquodque seorsim sit hoc coniunctum: *substantia & accidens*, vel hoc disiunctim *substantia vel accidens;* neque etiam vnum determinate significat, vt de se patet: alias non posset prædicari de vtroque, stat ergo quod quid præcisum & abstractum ab vtroque significat, & hic est conceptus obiectiuus communis ipsis.

Respondent Complutenses, ens non significare immediate solam substantiam nec solum accidens, sed vtrumque simul secundum proprias rationes, non tamen absolute sumptas, sed vt proportionabiliter inter se sunt similes. Sed contra, quia hæc expositio non tollit prædictas propositiones esse falsas, quod est intentum argumenti. Probo assumptum: nam iuxta hanc expositionem, ista propositio: *substantia est ens* facit hunc sensum, id est substantia est substantia & accidens vt proportionabiliter inter se sunt similes & idem dico de Accidenti: sequela patet: nam secundum ipsos hoc est significatum, quod immediate & in recto significat hoc nomen *ens*, cuius sequelæ falsitas satis apparet, ergo &c.

9. Obiicies *Primo*, si ratio Scoti adducta pro conclusione valeret, conuinceret etiam, quod à singularibus vt singularia sunt & à differentiis v.g. rationalitatibus vt tales sunt posset abstrahi similis conceptus obiectiuus

communis ipſis; ſed hoc eſt falſum ſecundum omnes, ergo & illud. Probatur ſequela quia omnia ſingularia vt ſingularia ſunt, habent talem ſimilitudinem, & poteſt intellectus cognoſcere, quod vna res ſit ſingularis, & dubitare, an ſit hoc vel illud ſingulare & ſimiliter de rationalitatibus poteſt intellectus cognoſcere quod aliquid ſit rationale, & dubitare an ſit rationale hac vel illa rationalitate? Nec quoad experientiam ipſam videtur poſſe aſſignari diſcrimen: ℞. *primo* quod licet omnes formalitates, quæ ſunt ſimiles, poſſint concipi vno conceptu formali æque bene repræſentante quamcumque, ac vllam; non tamen inde ſequitur, quod ab omnibus talibus poſſit abſtrahi vnus conceptus obiectiuus ab ipſis præciſus & ipſis communis, taliter quod ad quamlibet ſit contrahibilis per alium conceptum determinantem: nam ad hoc requiritur, quod res illæ ſimiles, à quibus præſcinderetur conceptus obiectiuus includerent plures formalitates ſeu rationes obiectiuas, quales non includunt ſingularitates, nec differentiæ vltimæ; Nec etiam *entitates* omnes, ſumendo entitatem, prout eſt abſtractum entis vt ſic: cum quælibet ex his ſit ſimpliciter ſimplex, id eſt non reſolubilis in plures conceptus obiectiuos, præſertim ſeparabiles, quorum vnus eſſet determinabilis per alium: aliàs daretur proceſſus in infinitum. Vnde non dantur plures formalitates, quarum vna ſit ſingularitas vt ſic; altera differentia iſtius ſingularitatis ad eſſe talis ſingularitatis, & idem eſt de differentiis; Non autem contingit ſic in homine & bruto, à quibus abſtrahitur conceptus animalis, nec in ſubſtantia & accidenti, à quibus abſtrahitur conceptus entis: cum ſicut ibi reſoluitur homo in conceptum animalis & rationalis, illum vt contrahibilem, hunc vt contrahentem, ita ſubſtantia in conceptum entis & per ſe ſtantis, illum vt determinabilem hunc vt determinantem; Et ſimiliter accidens in conceptum entis & alteri adiacentis ſeu inhærentis: Et Deus in conceptum entis & infiniti; Et creatura etiam in conceptum entis & finiti. Vnde in forma nego ſequelam ma. propter diſparitatem aſſignatam.

Quod ſi Inquiras, qualiter debent dici ſimilia, illa à quibus etſi ſimilia ſint, non poteſt abſtrahi conceptus vnus obiectiuus? Reſpondeo, quod debent dici ſe totis ſimilia, & non tam conuenire in vna ratione obiectiua, quam conſtituere vnicam rationem obiectiuam: quia intellectus ex apprehenſione vnius ex ipſis non habet occaſionem diſtinguendi inter illa, ſicut quando apprehendit aliquam vnam rationem includentem plures formalitates ſeu conceptus obiectiuos: puta brutum, in quo licet ob conceptum animalis non diſtinguat ipſum ab homine, diſtinguit tamen ob conceptum irrationalitatis.

Reſpondeo *ſecundo*, aſſignando aliter diſparitatem, & fere coincidit in idem. Nego, quod poſſit dari ille conceptus vllus rei ſub ratione ſingularis vt ſic, niſi talis conceptus, qualis habetur de ſingulari tali quoad omnia præter ordinem, quem dicit ſingulare tale ad naturam ſpecificam in ipſa incluſam aut accidentia aliqua extrinſeca. Nam quando concipitur res v. g. Petrus vt ſingulare non concipitur niſi vt res implurificabilis numero in plura inferiora; Et quando concipitur vt ſingulare tale, id eſt humanum, nihil ſuperadditur priori conceptui niſi incluſio naturæ, ſpecificæ; Et quando concipitur,

vt

vt ſingulare tale, ideſt album vel nigrum, durum vel molle, vel quod exiſtit in hoc tempore, non habetur alius conceptus ipſius in ratione ſingularis, niſi vt intelligitur affectum illis accidentibus, à quibus habet iſta prædicata. Vnde ſequitur euidenter, quod conceptus rei vt habet rationem ſingularis non ſit ita diſtinctus à conceptu, qui habetur de re vt eſt ſingulare tale, vt in conceptu ſingularis talis inuoluatur aliqua ratio rei proueniens à ſingularitate ipſius, præter rationem illam, quæ inuoluebatur in conceptu, quo concipiebatur vt ſingulare, abſtrahendo à taleitate; non eſt autem ſic cōceptus entis reſpectu ſubſtantiæ & accidentis: quia in conceptu ſubſtantiæ inuoluitur per ſe ratio aliqua particularis, quæ non inuoluebatur in conceptu entis vt ſic, quæ nec habetur ex eo quod coniungitur ens cum aliquibus accidentibus, ergo non poteſt abſtrahi ratio ſingularis vt ſic à ratione talis & talis ſingularis, ſicut poteſt abſtrahi ens à ratione ſubſtantiæ & accidentis. Hanc rationem exactius confirmat & applicat etiam differentiis noſter Poncius hic. n. 19.

10 Obiicies *ſecundo*, ex noſtra concluſione ſequuntur multa abſurda, ergo non eſt tenenda; probatur anteced. quia ſequeretur dari aliquid, quod eſſet prius & ſimplicius Deo, atque adeo independentius. Item ſequeretur, dari in Deo compoſitionem Metaphyſicam, quæ omnia sūt abſurda: probatur anteced. quia omnis conceptus præciſus & abſtractus ſe habet ſicut pars reſpectu inferiorum, à quibus præſcindit; ſed omnis pars eſt prior & ſimplicior toto, & independentior etiam: cum totum à partibus dependeat, non vero è contra. Item compoſitio metaphyſica fit ex duobus conceptibus, quorum vnus ſe habet vt contrahibilis & alter vt contrahēs, ergo &c. ℞. neg. anteced. cuius prob. ſic diſtinguo. daretur aliquid prius Deo duratione, perfectione aut cauſalitate, nego daretur quid prius ſubſiſtendi conſequentia, ita quod valeat: Eſt Deus, ergo eſt ens, non vero è cōtra eſt ens, ergo eſt Deus concedo; ſed quid abſurdum? Nec ob hoc debet dici conceptus ille, quid independentius Deo: Cum nec in ipſo Deo neque in creatura poſſit eſſe aut exiſtere ſine Deo. Item daretur quid ſimplicius ſimplicitate oppoſita reſolubilitati, concedo; oppoſita potentialitati ſeu componebilitati, nego, ſed quid abſurdi illa maior ſimplicitas? imo ſummum defectum perfectionis denotat: cū ens quia ſimpliciter ſimplex & irreſolubile in plures conceptus eſſentiales, ſit imperfectiſſimum quid, ſaltem negatiue.

11. Ad *tertium* de cōpoſitione Metaphyſica, nego antec. ad probat. dico, vltra illud requiri, quod realitates, à quibus prædicti conceptus deſumuntur, nō ſint idem omnimoda identitate reali. Eſt doctrina Scoti 1. d. 5. q. 2. & quodl. 5. quod ſi inquiras, vnde nobis conſtat, prædictas realitates eſſe idem omnimoda identitate reali? Reſp. cum Doctore ibid. id nobis conſtare, ex eo quod de ſe inuicem prædicentur prædicatione identica in abſtracto, idque ratione infinitatis, quam includunt. Itaque ideo conceptus entis non facit compoſitionem cum modo infinitatis, per quem determinatur ſeu contrahitur ad Deum, ſicut animalitas facit cum rationalitate, vel ipſum ens cum finitate in creatura: quia licet ſecundum ſe infinitus non ſit, tamen vt reperitur in Deo & identificatus eſt cum infinitate, redditur infinitus; hincque habet independentiam à cauſa extrinſeca quantum ad realem exiſtentiam & cōiunctionem ſeu vnionem ipſius cum conceptu determinante ſeu contrahēte

qualem

qualem non habent animalitas & rationalitas aut conceptus vlli reperti in creatura: vt de se patet: cum omnes dependeant à Deo; non sic autem qui in ipso Deo sunt: cum à se sint, & non ab alio. Sed de hoc ex professo ad Theologos.

12. Secunda conclusio, *Ens dicit conceptum obiectiuum vniuoce communem Deo & creaturis, substantiæ & accidenti. Vnde quando diuiditur in illa diuisio est vniuoci in sua vniuocata.* Ita Scotus supra, & omnes Scotistæ contra Thomistas & etiam recentiores plures, qui licet primam concesserint, hanc negant. Aduertendum tamen conclusionem intelligi de conceptu communi in minimo vniuocationis, gradu, in sensu, in quo dixi q. præced. Probatur quia ad vniuocationem in hoc imperfectissimo gradu solum requiritur, quod nomen sit commune & ratio substantiæ, vt prædicto nomine communi significatur, sit eadem in omnibus; sed non solum nomen ens, sed etiam ratio substantiæ est eadem in omnibus, ergo nihil deficit enti, vt sit vniuocum ma. est Aristot. in definitione vniuocorum mi. vero infertur necessario ex conclusione præced. quæ est totum fundamentum istius, ergo &c.

QVÆSTIO III.

Vtrum ratio entis transcendat formaliter omnia quæ sub illo continentur?

13. Sensus quæstionis est: vtrum ens includatur formaliter in omnibus, quæ sub illo continentur: Idem enim est transcendere ac esse *trans* vel *suprà*: vt in simili dixi in procemio loquendo de nomine Metaphysicæ. Continentur autem sub ente non solum prædicata superiora & inferiora, quæ directe alterutris subiiciuntur, sed etiam differentiæ, passiones & modi intrinseci, differentiæ vt sensitiuitas, rationalitas, passiones vt risibilitas flebilitas, modi intrinseci vt finitas, infinitas, perseitas, inhærentia &c. Quæ omnia à latere & non directe continentur sub ente: sunt etenim conceptus qualificantes rationem communem entis. Et suppono iuxta dicenda disp. 4. de distinctione formali, nullam differentiam includere formaliter genus superius aut differentiam aliam superiorem: v. g. rationalitas non includit formaliter animal aut sensitiuitatem, aut corporeitatem. Solum est dubium de ratione communi enti, quia non facile apparet, quo modo omnia ista non sint formaliter entia: cum vere habeant suam essentiam & existentiam à parte rei, & non opere alicuius potentiæ intentionaliter operantis quæ est definitio entis realis.

14. Sed Nota, circa differentias & modos intrinsecos, (quales diximus esse finitatem & infinitatem, per quas determinatur ens ad Deum & creaturas, ac perseitatem & inhærentiam per quas contrahitur ad substantiam & accidens) esse non ignobilem controuersiam inter Scotistas. Nimirum qualiter differant inter se? De qua videndus noster Poncius hic q. 3. à. n. 18. Pro cuius decisione mihi dicendum videtur, nullatenus inter se differre quantum ad munus determinandi seu contrahendi conceptus communes, qui per ipsos determinantur seu contrahuntur, vt optime probat Poncius. Nihilominus quia ex communi vsu Philosophorum soli illi conceptus, qui intra limites prædicamentorum collocantur, genera, species & differentiæ appellantur, ob quod etiam conceptus predicamentales, sicut & qui superiores sunt ad ipsos, transcendentales nominantur

nominantur (In quo sola voluntas Philosophorum, non vero ratio aliqua potior attenditur vt dicemus inferius agendo de numero prædicamentorum, & in simili diximus supra disp. præced. n. 8. de diuisione scientiarum) Ideo ex vsu etiam communi Philosophorum appellari debent, non differentiæ, sed modi intrinseci, formalitates vel conceptus obiectiui, qui determinant vel contrahunt alios communes superiores ad prædicamentales. Quantum ad rem vero attinet, posset esse difficultas quare huiusmodi conceptus non faciant compositionem in Deo, quandoquidem eodem modo se habent quantum ad munus contrahendi, ac se habent in creatura? Ad quod patet, Responsio ex dictis supra num. 10. Nec oportet pro nostro instituto exactius rem hanc disquirere.

15. Sit nostra conclusio, *Ens non transcendit seu non includitur formaliter atque adeo nec prædicatur formaliter de differentiis vltimis, propriis passionibus aut modis intrinsecis determinatiuis aut contractiuis eius ad inferiora illa, de quibus, quia directe sub ipso continentur prædicatur formaliter; Bene tamen prædicatur de illis identice & realiter.* Ita Scotus 1. d. 3. q. 3. cum suis communiter contra Thomistas & recentiores omnes extra eius scholam. Quod si Inquiras quid intelligat Scotus per differentiam vltimam? Respondeo intelligere illam, quæ sumitur non à tota entitate formæ, sed quæ sumitur ab vltimo eius gradu, qualis est conceptus ille obiectiuus, qui solum dicit hoc quod est constituere & distinguere, siue sit conceptus differentiæ subalternæ siue infimæ, indiuidualis. Est res certa in eius schola & immerito ab aliis in dubium reuocata: patetque ex dictis.

Probatur *Primo* conclusio, si differentiæ (& idem dico de passionibus ac modis intrinsecis) includerent formaliter rationem entis, necessario conuenirent in illa, ergo vt inter se differrent, indigerent aliis differentiis: nam quæ conueniunt in aliquo communi, differentiis differunt. Modo inquiro de istis differentiis, quibus priores differunt, An etiam includant formaliter rationem entis, an non? Si secundum, habeo intentum, quod scilicet ens non includatur formaliter in differentiis vltimis. Si primum: iterum inquiram de illis differentiis & iste est processus in infinitum, ergo ad talem vitandum fatendum est, in differentiis vltimis, modis intrinsecis ac passionibus non includi formaliter rationem entis. Probatur *Secundo*, si differentia includit formaliter rationem entis, vel illam rationem entis, quam contrahit, vel aliam; neutrum dici potest, ergo. Probatur mi. quia non illam ipsam rationem entis, quam contrahit: aliàs non esset contractiua: nam nihil est contractiuum vllius, quod formaliter includit, sicut nec brutum est contractiuum animalis, quod includit, sed potius est illud ad quod contrahitur animal per contractiuum, quod est irrationalitas; nec etiam aliam rationem entis, quia in qualibet re vna superflue ponerentur plures rationes entis distinctæ: sicut superflue ponerentur in homine plures rationalitates aut plures animalitates.

Et confirmatur, quia sicut in composito Physico fit resolutio in partes Physicas, quarum neutra includit aliquid Physicum alterius v. g. in materiam & formam, ita in composito Metaphysico debet fieri resolutio in partes, quarum neutra includat aliquid Metaphysicum alterius; sed hoc esset falsum, si differentiæ includerent formaliter rationem entis, ergo &c.

16. Sed Obiicies; si differentia non est formaliter ens, ergo est nihil formaliter: quia non datur medium, Et tunc sequeretur, non ens esse de conceptu quidditatiuo entis. Pro responsione Nota, Scotistas communiter assignare distinctionem entis in *ens quale & in ens quid*; *ens quid* vocant illud quod est quid potentiale & contrahibile se habens respectu illius à quo contrahitur *substantiue seu per modum per se stantis*; *ens quale* dicunt, quod habet rationem actus & determinantis seu contrahentis, se habens respectu illius, quod per ipsum contrahitur *adiectiue & per modum* qualificantis. Hoc colligunt ex Scoto supra n. 6. vbi dicit, *quòd ens non est vniuocum dictum in quid de omnibus per se intelligibilibus: quia non de differentiis vltimis, propriis passionibus &c.* Ex quo inferunt, quod *ens quid* non prædicatur de illis, bene tamen *ens quale*: quia sunt entitates qualificantes ens. Ita habent antiquiores Scotistæ & ex eorum doctrina Philip. Fab. in Philosophia Theoremat. 95. cap. 5. Et satis clare insinuare videtur Scotus hanc eamdem doctrinam ibid. n. 12. Et in re omnes Scotistæ hoc idem respondet, quamvis nonnulli propter noua verba aliquid noui sibi videantur dixisse. Ex hoc iam Respondeo, quod licet differentia (& idem dico de modis intrinsecis & passionibus) non sit formaliter *ens quid* est tamen formaliter *ens quale*. Quod idem est ac dicere aliis terminis, quod licet sit identice & realiter ens non tamen formaliter. Itaque licet non detur medium inter nihil & aliquid seu ens absolute, bene tamen inter nihil & *ens quid* seu quod formaliter est ens, nempe *ens quale* seu quod solum identice & realiter est ens. Ad hoc vide optimam redargutionem oppositæ sententiæ disp. seq. num. 5.

Dices *Primo*, differentia sicut quodcumque aliud positum directe sub ente vere existit à parte rei, ergo competit ipsi formaliter definitio entis; Nec aliud intenditur ab aduersariis. Resp. quod non de omni illo, quod existit à parte rei, potest verificari absolute, quod competat ipsi formaliter & ex ratione sua formali talis ratio, sed sufficit quod conueniat ipsi identice & realiter: nam in rei veritate aliquid speciale additur supra existere à parte rei quomodocumque, dum dicitur quod est ens *formaliter*, & quod competit ipsi ista ratio ex sua ratione formali. Vnde licet verum sit, quod omne quod existit à parte rei, vere formaliter existat, non tamen quod omni tali competat formaliter & ex sua ratione formali talis ratio. Et ex hoc patet & explicatur æquiuocatio, quæ latet in ly *esse* seu *existere* à parte rei formaliter, & in ly esse *ens formaliter & habere ex sua ratione formali talem rationem.*

Dices *Secundo*, si differentia est *ens quale* formaliter vel est ens *quale* præcise, vel ens *quale* & aliquid amplius? si primum, ergo duæ differentiæ vltimæ sunt eiusdem rationis; si secundum ergo non est differentia vltima, sed illud amplius quod includit, erit differentia vltima. ℞. differentiam vltimam præcise dicere rationem entis *quale*; Neque ex hoc sequitur quod alia differentia, quia dicit etiam ens *quale*, sit eiusdem rationis cum ipsa, ita quod conueniant in aliquo conceptu communi: vt constat ex dictis supra n. 10. & ex Scoto sæpe dicente, quod differentiæ vltimæ sunt primo diuersa, id est in nullo conuenientia. Vnde vna ab altera per suam præcisam, rationem distinguitur.

QVÆSTIO IV.

Quomodo diuiditur ens in actum & potentiam?

17. IN lib. Physicor. disp. 2. à n. 16. explicauimus differentiam inter potentiam obiectiuam & actum entitatiuum: Recolantur dicta ibi: quia de huiusmodi potentia & actu procedit hæc Quæstio. Pro cuius solutione nota ex Scoto. 1. d. 36. n. 11. ens reale sumi posse dupliciter, *primo* vt condistinguitur à figmentis, & in hoc sensu Antichristus est ens reale: quia non repugnat illi habere verum esse reale. *Secundo* sumitur ens reale pro eo quod habet veram & realem entitatem extra suas causas, & istud dicitur ens habens existentiam, sicut primum habens essentiam diuisum de quo inquirimus in præsenti, est ens reale in priori sensu acceptum; diuisio autem eius in actum & potentiam potest dici diuisio eiusdem rei in diuersos status seu modos. Pro cuius exactiori notitia sequentia dubia proponemus & decidemus.

Dubium primum: In quo consistant rerum actualitas & possibilitas?

Quia hoc nomen *possibile* concretum est & duo significans, vnum quasi subiectum & aliud quasi formam, ideo oportet explicare, quid significet in recto seu principaliter, quid in obliquo seu de connotato. Aduertendum tamen, hic non explicari à nobis, An sit aliquid de præsenti illud rectum & obliquum, sed solum quid hæc vox *possibile* & conceptus illi respondens ex parte obiecti significet? siue illud significatum sit aliquid actu, siue non: voces enim & conceptus possunt actu significare res, quæ actu non existunt: Hoc supposito.

18. Sit prima conclusio, *Id quod denominatur possibile est ipsum ens secundum omnem suam entitatem, quam haberet si existeret.* In hoc omnes conueniunt & probatur facile quia id recipit denominationem possibilis, quod potest à Deo produci, & quod potest existere; imo esse possibile nihil aliud est, quam ipsum posse existere; sed entitas positiua & realis Petri v.g. quæ postea existit, est quæ potuit à Deo produci, & illa sola est quæ potest à parte rei existere, ergo illa est quæ denominatur possibilis, ergo possibile in recto seu subiectum possibilitatis est ipsum ens verum & reale, quod postea existet, aut existeret, si produceretur.

Dices, Illud ens nihil est modo, ergo non potest modo recipere denominationem *possibilis*. ℞. concess. anteced. neg. conseq. quia aliquæ sunt denominationes, quæ non requirunt actualem existentiam subiecti, supra quod cadunt: nam idem Petrus, qui heri existit, hodie dicitur cognitus & præteritus, & Petrus ipse hodie non existens significatur in recto in his concretis: Deinde quia vt inquit Scotus 9. Metaph. ratio possibilitatis est quædam relatio non actualis, sed aptitudinalis, quæ non requirit subiectum actuale: confirmatur & explicatur amplius conclusio: quia ens possibile potest prædicari de existente & è contrario: vt hic Petrus existens est qui fuit possibilis; Sed si non esset idem rectum possibilis cum ipsa re positiua actu existente, non possent inuicem prædicari, ergo idem est rectũ vnius & alterius. Et ex hoc manet probata superior decisio ad quæstionẽ propositam videlicet quod præfata diuisio sit eiusdem rei in diuersos status.

19. Ad explicandum obliquum concreti *possibilis*, nota *primo*, possibile seu possibilitatem tripliciter sumi, *Logice*, *Physice*, & *Metaphysice*. Possibilitas logica vt docet Scotus 1. d. 7. n. 7. est modus seu dicit modum compositionis formatæ ab intellectu illius obiecti, cuius termini non includunt contradictionem. Possibile seu possibilitas physica est aliquid reale correlatiuum potentiæ realis: vt docet Scotus supra & dist. 20. n. 7. quòd si talis potentia fuerit *principium transmutandi aliud in quantum aliud*, vt definitur ab Aristot. 5. Metaph. tex. 17. tale possibile physicum erit subiectum, vt est materia respectu formæ & signum respectu caloris; Si vero potentia actiua fuerit productiua, tunc possibilitas seu possibile est Metaphysicum, quod est possibile obiectiuum, & addit supra possibile logicum respectum rationis ad causam potentem producere fundatum in possibili Logico; propterea & addit quod tali possibili repugnet esse necessarium. ita Scotus 1. d. 43. à n. 5. De hoc possibili Metaphysico procedit difficultas: nam possibilitas logica etiam datur in Deo, vt sit & ad generandum: vt notat Scotus, dicta. dist. 7.

Hæc possibilitas Metaphysica duplex, est vna remota alia proxima, remota explicatur per hoc quod tale ens non includat duo prædicata contradictoria, & est intrinseca ipsis rebus, estque fundamentum vt possit supra illas cadere denominatio potentis fieri ab omnipotẽtia Dei, sola vel cũ aliqua causa secunda. Et ratione huius differt intrinsece ens reale à chymerico. Et quando inquirimus, vtrũ aliquid possit fieri à Deo, de hac possibilitate inquirimus: quia non dicimus, rẽ esse possibilẽ, quia potest à Deo fieri, sed ideo posse à Deo fieri, quia in se non repugnat.

20. Sit secunda conclusio, *Possibilitas obiectiua seu Metaphysica consistit adæquate & complete in non repugnantia terminorum cum respectu ad omnipotentiam, per quem explicatur repugnantia habendi esse necessarium.* Colligitur ex Scoto locis citatis & dist. 36. n. 14. & 2. d. 1. q. 2. n. 10. Et probatur, quia per hanc descriptionem assignatur adæquate differentia rei possibilis à non possibili: quia scilicet si existeret significatum per vocem *hominis* v. g. non sequuntur duo contradictoria, secus vero si existeret chymera. Et per hoc manet explicatum rectum & obliquum concreti *possibile*: rectum enim est ipsum ens positiuum, obliquum vero est illa negatio seu carentia duarum contradictoriarum, casu quo existat.

Quid est esse diminutum Creaturarum ab æterno?

21. Sed inquires, *Quodnam esse est illud esse diminutum quod apud Scotum & Scotistas communiter circumfertur habuisse creaturas ab æterno?* Resp. supponendo *primo*, non fuisse aliquod esse reale simpliciter: vt contra Henricum probat Scotus 1. d. 39. quia omnis creatura producta est in tempore quoad esse reale simpliciter. *Secundo* habuisse aliquod esse ab æterno: alias non intelligerentur ab æterno à Deo, nec actu terminassent cognitionem Diuinam, quod derogaret infinitati intellectus Diuini. Nunc dico, tale esse non consistere in denominatione aliqua extrinseca desumpta ab omnipotentia Dei, neque in non repugnantia, neque in relatione vlla siue reali siue rationis; sed esse quoddam esse dictum *diminutum* quia est quasi medium inter esse rationis & esse reale simpliciter.

Prima pars exclusionis probatur, quia nulla est denominatio extrinseca absque

absque denominato; ergo si ab æterno sit denominatio extrinseca desumpta ab omnipotentia Dei, ab æterno etiam debet esse aliquid, quod per ipsam denominetur. Item quia creaturæ habent ab æterno esse diuersæ rationis, & vt sic cognoscuntur à Deo: cognoscit enim ab æterno Deus, quod homo sit distinctæ rationis ab equo; sed illa diuersitas non potest præcise oriri ex denominatione aliqua desumpta ab omnipotentia Dei; sicut neque etiam ratio specialis ob quam ratio possibilis ab omnipotentia Dei potius competat creaturæ quam chymeræ, ergo datur aliquid; ab æterno præter illam denominationem. Probatur secunda pars: quia omnis non repugnantia & omnis relatio fundatur in aliquo, quod habet non repugnantiam & relationem, ergo si sit non repugnantia aliqua hominis ab æterno, aut vlla relatio ipsius ad omnipotentiam, debet ipsemet aliquo modo esse ab æterno.

Probatur denique tertia pars, quæ est assertiua, quia tale esse non est esse reale simpliciter, vt dixi; neque etiam ens rationis: cum non fiat opere solius alicuius potentiæ intentionaliter operantis, ergo est medium inter vtrumque, id est conueniens in aliquo cum alterutro (non autem commune ad vtrumque) conuenit enim cum esse rationis in hoc, quod non sit esse reale simpliciter, & cum esse reali simpliciter, in hoc quod non repugnet ipsi existere. Item est magis perfectum, quam esse rationis propter non repugnantiam, & minus perfectum quam esse simpliciter: cum non sufficiat vt possit res operationes sibi competentes elicere, ergo est esse quoddam diminutum medium inter vtrumque. Quod & potest vocari esse intentionale, non quia fiat opere solius alicuius potentiæ intentionaliter operantis, vt dixi, sed quia sufficit ad terminandam intellectionem.

Dices Scotus supra asserit, hoc esse possibile creaturarum quod vocat esse diminutum, competere ipsis per intellectum Diuinum: ergo contra Scotum est dicere, quod hoc esse diminutum non fiat opere alicuius potentiæ intentionaliter operantis. Respond. Scotum debere intelligi de esse possibili seu possibilitate proxima, non verò de remota; ratio vero cur possibilitatem proximam habeant ab intellectu, est: quia cum non possint produci nisi per voluntatem aut omnipotentiam, & voluntas nequeat eas producere, nisi proponantur ab intellectu, hinc est non esse possibiles proxime, nisi intelligantur; & consequenter ab intellectu constituuntur in esse possibili proxime.

22. Quod autem esse diminutum quod est esse possibile creaturarum remote, non fiat ab intellectu Diuino, probatur *primo*, quia obiectum scientiæ speculatiuæ non fit per illam, sed potius præsupponitur ipsi; sed scientia, qua cognoscit Deus creaturas ab æterno, est speculatiua, ergo non dat creaturis esse illud, secundum quod cognoscit illas. Probatur *secundo*, quia si per impossibile Deus non cognosceret creaturas, & tamen posset eas tamquam causa naturaliter agens producere in tempore, haberent esse possibile ab æterno. Et quod non possint sic produci, non oritur ex natura ipsorum, sed ex modo agendi & perfectione Dei, ergo non habent suum esse possibile ab intellectu Diuino. Probatur *tertio* quia nisi creaturæ haberent esse aliquod possibile à se ipsis independenter ab actu intellectus Diuini, non esset ratio quare homo potius esset possibilis, quam chymera: nam intellectus Diuinus intelligit vtrumque

tamquam obiectum secundarium, nec esset potior ratio cur tribueret possibilitatem vni, quam alteri. Quod si dicas, Deum non cognoscere chymeram. Respond. (quidquid sit an Deus cognoscat chymeram, de quo disp. vltima, vbi de ente rationis,)quod adhuc ex hoc non tollitur difficultas: quia non esset ratio, cur intelligeret hominem & non intelligeret chymeram, nisi quia homo esset ex se possibilis,& chymera non esset, ergo præsupponitur possibilitas aliqua saltem remota & fundamentalis (quod sufficit ad verificationem nostræ doctrinæ) in homine ante intellectionem Diuinam.

Dices, si Deus repugnaret, repugnaret etiam creatura possibilis, ergo creatura possibilis habet esse suum à Deo. Item quia de ratione creaturæ est esse ab alio, ergo etiam vt possibilis est ab alio. Respond. ad *primum* dist. anteced.ex defectu influxus vllius in esse possibile. nego, ex eo quod si Deus repugnaret,non esset aliqua causa, quæ posset dare creaturæ esse simpliciter, & consequenter non haberet esse possibile. conced.anteced. & dist. similiter conseq. quatenus non esset possibilis, nisi Deus esset, concedo, quatenus Deus communicaret ipsi esse possibile per influxum aliquem realem aut intentionalem, nego: nam quemadmodum nisi esset oculus, non esset color aliquis visibilis, & tamen oculus non dat ipsi esse visibile, sicut neque omne correlatiuum dat esse alteri, & tamen vnum nequit esse sine altero; ita in proposito si non esset Deus, non esset creatura possibilis, & tamen Deus non dat creaturæ esse possibile, saltem fundamentaliter,sed à se ipsa habet hoc esse necessario. Hinc ad *secundum* dist. ma. quod sit ab alio quantum ad hoc, quod non possit habere esse reale simpliciter nisi ab alio. concedo. quod non possit habere illud esse diminutum & possibile nisi ab alio, nego.

Quid est essentias rerum esse ab æterno?

23. Inquires, quid intelligatur per commune dictum: *Essentiæ rerum sunt ab æterno*; & *quod aliquæ sunt propositiones æternæ veritatis?* nam ex hoc videtur sequi, quod homo v. g. ab æterno sit vere animal rationale, etiamsi actu non existat. Respond. hominem ab æterno tam non fuisse, quam non fuit chymera, sed solum potuisse esse,quod non est fuisse: sicut me posse esse Papam non est esse Papam. Quale solum est verum, quod homo ab æterno potuit esse animal rationale. Nec obstat dici per verbum *est*, homo est animal rationale: nam etiam dici solet: tempus est præteritum, nec ideo dicimus esse aliquid de præsenti. Dicuntur itaque illæ propositiones æternæ veritatis, quia idem significant semper ex parte obiecti *homo* & *animal rationale*, si hominem existentem, animal item rationale existens, si hominem possibilem; animal rationale possibile. Ideo dicuntur æternæ veritatis ad differentiam illarum: *homo est albus, homo est niger*: non enim est necessarium, vt si existat homo, existat etiam niger aut albus,sicut est necessarium, quod si existat, sit animal rationale propter necessariam connexionem prædicatorum; si autem vellemus rigorem attendere, tam est falsum, homo est animal rationale ab æterno, quam homo est albus: quia ab æterno quandoquidem non sunt, tam non identificatur animalitas rationalitati, quam non vnitur albedo cum homine.

Dices, ergo etiam hæc est vera ab æterno: *Homo est existens.* Patet quia tam necessario homo si sit, erit existens,

stens, quam si sit, erit animal rationale, ergo si ob hanc rationem est vera ab æterno *homo est animal rationale*, etiam erit *homo est existens*. Respond. in re id ita esse; ex communi tamen acceptione, hanc *homo est existens* sumi in sensu absoluto & proprio, vnde est falsa, si homo absolute non existat; illa vero *homo est animal rationale* sumi in sensu conditionato supra explicato, ideoque esse veram, licet in rigore, vt dixi, tam falsa sit, sicut prima.

Et hæc de possibilitate rerum. Earum actualitas nihil aliud est quam earum existentia, per quam formaliter extrahuntur à statu possibilitatis ad esse simpliciter seu statum actualitatis, in quo iam habet res esse extra causas: nam in statu possibilitatis solum habebat esse in sua causa: ad cuius exactiorem notitiam hoc dubium decidemus.

Dubium secundum, quo modo distinguantur Essentia & Existentia?

Notandũ ex Scoto 3.d.6.n.2. quod triplex est *esse*, scilicet *esse essentiæ*, *esse existentiæ*, & *esse subsistentiæ*: hoc vltimo omisso de quo inferius d.8. de duobus primis agemus. Est ergo *esse essentiæ* idem quod essentia, quia solum differunt secundum modum concipiendi: vt homo & humanitas, quæ sunt idem in re, licet quoad modum concipiendi sint diuersa: quia cum dico *homo* concipio concretum, cum vero *humanitas* abstractum, ita essentia est abstractum respectu *esse essentiæ*, sicut & esse essentiæ respectu illius quod est *ens*, sumendo ens non participaliter, quia sic idem est ac existens, sed nominaliter, quo modo idem est ac res.

24. Essentia rei nihil aliud est quam *prima, adæquata & præcisa ratio, qua res formaliter & intrinsece in recto constituitur*, dicitur *prima*, quia nihil prius conuenit rei quam essentia sua *adæquata*, quia ratio inadæquata vel quod partialiter constituit, non dicitur essentia nisi cum limitatione scilicet essentia inadæquate. Dicitur *præcisa*, quia ea sola posita, ponitur conceptus rei, & ea ablata tollitur. *Formaliter* & *intrinsece* ad excludendam differentiam indiuidualem, passiones, modos intrinsecos &c. quæ quamuis sint de entitate & substantia rei, non tamen de essentia, sed potius dimanant ab ea. Dixi *in recto* quia quod tantum in obliquo constituit rem, vt terminus relationem, non est eius essentia.

Esse existentiæ seu existentia *est id quo vnaquæque res habet formaliter quod sit actualis entitas in rerum natura & extra nihil & extra suas causas.* v.g. anima antequam crearetur nihil erat, sed tantum erat in potentia obiectiua, cum vero primum intelligitur exire ex illa potentia in actum, intelligitur actu existens. Vnde existentia illius est illa actualitas, qua formaliter & intrinsece extrahitur extra nihil & extra suas causas. Dicitur *formaliter* extrahi per illam: quia efficienter extrahitur & constituitur extra causas per ipsasmet causas. Additur *extra nihil*, quia existentia Dei non constituit ipsum formaliter extra causas suas quandoquidem non habeat causas, bene tamen constituit ipsum extra nihil. His præmissis,

25. Sit prima conclusio, *essentia simpliciter & in statu reali non distinguitur realiter ab existentia.* Est sentẽtia Scoti 1.d.36. & alibi sæpe. Sequuntur sui & maior pars recentiorum. Est contra D.Thom. 1.p.q.3. art.4. quem sequuntur puriores Thomistæ vt Cõplutenses & alij. Probatur *primo*, quia fundamentum distinctionis realis est separabilitas saltem non mutua; sed neque essentia actualis potest esse sine existentia: nam eo ipso quod sit actu

& extra

& extra causas, existit, imo vt inferius dicam probando secundam conclusionem non est aliud existere quam esse simpliciter ; neque etiam existentia potest separari ab essentia actuali propter eamdem rationem, ergo inter essentiam & existentiam nullum est distinctionis vestigium. Probatur *secundo* quia nihil potest fieri ens intrinsece formaliter per aliquid à se distinctum; sed existentia est id quo aliquid fit ens formaliter in actu, ergo non potest distingui ab essentia. conseq. est bona. mi. conceditur. probatur ma. quia vel illud quod recipit existentiam vt adæquate distinctam ab illa, est ens vel non: quod non sit ens dici nequit, alias non posset recipere realiter existentiam, ergo dicendum est esse ens. Tunc sic, illud vt adæquate distinctum ab existentia est ens, ergo existentia distincta non dat illi esse ens ; ergo illud quod dat illi esse ens & per te est existentia, non potest esse distinctum ab illa.

26. Probatur *tertio*, ad hominem quia propterea existimant aduersarij essentiam rei distingui ab existentia: quia essentia non necessario habet existentiam, sed aliquando existit aliquando non existit, & consequenter videtur quod quando existit habet aliquid per quod existat distinctum realiter à se, quod non habuit quando non existebat; sed etiam existentia ipsa rei non necessario semper existit, sed aliquando existit aliquando non existit ergo existentia ipsa deberet habere aliam existentiam per quam existat, si valeat illud principium; hoc autem est absurdum, ergo illud principium non valet.

Respondent communiter, illud principium bene quidem concludere quoad essentiam, non vero quoad existentiam: nam existentia est ratio formalis existendi, & consequenter non requirit aliam existentiam ; essentia vero non est ratio formalis existendi, & consequenter requirit aliam existentiam. Et ponunt exemplum in vnione, quæ cum sit ratio formalis vniendi, non requirit aliam vnionem ; extrema vero requirunt vnionem, eo quod non sint rationes formales vniẽdi. Sed contra, quia ipsi colligunt, essentiam non esse rationem formalem existendi, ex eo quod possit existere & non existere ; sed existentia potest similiter existere & non existere, ergo debent colligere, quod non sit ratio formalis existendi, quare falso supponunt existentiam esse rationem formalem existendi, & non essentiam. Quod confirmari potest ipsomet exemplo vnionis: nam si posset vnio esse indifferens ad vnionem tam bene, quam extrema, non posset habere rationem formalem vniendi magis quam extrema, ergo si tam indifferens est existentia, ad existendum, quam essentia, non erit potius ratio formalis existendi, quam essentia.

Probatur *quarto* ex principio communi, quod non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate ; sed nulla est necessitas ponendi existentiam distinctam realiter ab essentia, ergo. Probatur mi. sicut potest constitui ipsa existentia existens actu absque aliquo superaddito realiter, ita & essentia: nihil enim impedit, ergo &c. Probatur anteced. quia sicut constitueretur existentia in actu per hoc quod terminaret actionem causæ producentis, quam se ipsa posset realiter terminare absque aliquo distincto, ita etiam constitueretur essentia actu existens per hoc quod terminaret talem productionem, quam etiam se ipsa realiter posset terminare, non minus quam existentia.

Dices,

Dices, esse disparem rationem: quia essentia potest concipi, quin concipiatur res existere, non vero existentia, quare opus est superaddere existentiam. Sed contra quia in primis falsum est, non posse concipi existentiam rei, sine eo quod res concipiatur existere actu, licet verum sit, non posse concipi, quin existat vel possit existere; Deinde quia licet homo possit concipi vt animal, quin concipiatur vt rationale formaliter, aut quin concipiatur vt homo, & hinc habeatur quod non constituatur formaliter per animalitatem in esse hominis, sed per rationalitatem, per quam non potest intelligi constitui, quin intelligatur vt homo, tamen secundum aduersarios non inde sequitur quod rationalitas & animalitas distinguantur adhuc formaliter, ergo idem debet dici in proposito.

27. Obiiciunt Thomistæ *primo*, Prædicata essentialia conueniunt creaturæ sine interuentu causæ secundæ, quare propositiones de prædicatis essentialibus sunt æternæ veritatis; sed existentia conuenit creaturæ à causis, ergo distinguitur realiter ab essentia. Resp. conces. ma. neg. mi. neque enim sola existentia creaturæ, sed ipsamet essentia est creatura & consequenter non est ens à se, sed dependens ab alio, à Deo scilicet & aliis causis, à quibus producitur. Ad illud de propositionibus æternæ veritatis iam dixi dubio præcedenti. Sed nunc retorqueo argumentum: quia de ipsa entitate existentiæ vt condistincta ab essentia possunt efformari aliquæ propositiones essentiales & æternæ veritatis: vt *existentia est entitas, est creatura &c.* ergo etiam in ipsa existentia deberet distingui esse entitatem & creaturã & sic in infinitum, ergo propter hoc argumentum non magis distinguenda est essentia rei ab eius existentia, quam non distinguitur essentia existentiæ ab ipsa existentia.

Obiiciunt *secundo*. Falso à nobis supponi existentiam esse indifferentem vt sit: non enim potest concipi nisi existens: sicut homo non potest concipi neque existere nisi sit animal. Resp. oppositum potius esse euidenter falsum: nam hæc existentia Petri v.g. non fuit ab æterno, & tamen ab æterno potuit produci. Item antequam Deus illam produceret, eam cognouit, vt posset eam amare & velle producere, ergo hæc existentia non minus fuit ab æterno possibilis & non existens quam ipsa essentia. Quod si dicas existentiam non existentem non esse existentiam, tunc etiam dico, essentiam non existentem non esse essentiam; Addo vero sicut hoc non obstante illa existentia numero potuit à Deo cognosci antequam existeret, & cognosceretur licet non existeret (de illa enim cognoscebat Deus se posse illam producere,) idem etiam dico, eodem modo cognosci à Deo de ipsa essentia; nec aliter essentiam esse possibilem, quam ipsam existentiam, nec aliter esse creaturam & ens ab alio. Exemplum de homine quod affertur non est ad rem: quia nos nõ dicimus existentiam posse concipi sine existentia, sicut homo nõ potest concipi sine animali; sed dico, id quod concipio, quando dico *existentia*, posse aliquando in se vere esse, aliquando solum in intellectu; sic aliquando ipse homo cognitus potest in se vere & absolute esse animal, aliquando in se non esse: quia cum sit ens defectibile, poterit iam esse simpliciter, iam vero simpliciter non esse in se, sed solum cognosci, vt cognoscebatur à Deo antequam crearetur.

28. Secunda conclusio, *Neque distinguitur essentia actualis ab existentia*

 distinctione

distinctione ex natura rei aut modaliter, sed solum per intellectum, sicut concretum distinguitur ab abstracto. Est contra aliquos Scotistas, sed fidelissimus omnium Reuerendissimus Lychetus 2. d.1.q.2. ingenue affirmat conclusionem nostram esse de mente Doctoris. Et videtur expressa ab ipso in reportatis. 3.d.6. q.1. vbi inquit: *dico loquendo de esse actualis existentia in re extra causam suam & extra intellectum, vel non est res in actuali existentia vel non differt existentia à re extra causam suam, nisi sola ratione.* Probatur simul & explicatur conclusio: quia de eadem re in diuersis sensibus considerata potest idem prædicatum affirmari & negari: v.g. de pariete albo, quod sit separabilis & distinctus ab albebine, & quod non sit separabilis nec distinctus: nam si sumatur in sensu specificatiuo, ipse paries secundum se est separabilis & distinctus ab albedine, si vero in sensu reduplicatiuo ipse paries albus vt albus nec est separabilis nec distinctus ab albedine, nisi vt distinguitur album ad albedine, quæ est distinctio concreti ab abstracto. Sic dico, quod in hac quęstione vel sumitur essentia, pro illa, quæ est sempiterna prædicatorum essentialium connexio, & tunc distinguitur realiter ab existentia, ad modum quo distinguitur carentia à re cuius est carentia. Si vero sumatur pro essentia simpliciter seu actuali & rata extra causas, tunc dico, quod cum existentia sit ratio formalis constitutiua illius in esse simpliciter, non differunt nisi sicut abstractum à concreto, vt humanitas ab homine. Et confirmatur quia essentia actualis seu ens actuale, quod hic contraponitur ad suam existentiam, est ens sumptum, non nominaliter, quia hoc etiam est ens possibile, sed participialiter; atqui ens sumptum participialiter est idem ac existens; & existens & existentia solum distinguuntur per intellectum: cum sint concretum & abstractum, ergo tali distinctione differunt essentia actualis seu ens actuale & sua existentia.

Probatur *secundo* & coincidit cum secundo argumento supra. Si essentia realis animæ v.g. differret formaliter & ex natura rei à sua existentia, posset cōcipi vt quodammodo prior ipsa existentia; sed non potest, ergo. Probatur mi. Essentia animæ vt sic distincta ab existentia, vel est purum nihil vel aliquid reale extra causas? si primum dicatur, tunc sumitur pro sempiterna prædicatorum essentialium connexione, de qua non est dubium, quin distinguatur realiter ab existentia; si vero secundum dicatur, ergo essentia vt distincta ab existentia habet existentiam. patet conseq. quia est ens reale simpliciter, cuius realitas haberi nequit nisi per existentiam, ergo ne dum formaliter distinguuntur inter se essentia realis & existentia.

29. Sed contra obiicies, essentia potest concipi sine existentia: vt quando concipio Petrum possibilem, quin illum concipiam existentem; sed illa, quorum vnum potest sine alio concipi, distinguuntur ex natura rei & plusquam per intellectum, vt per se patet, ergo taliter distinguuntur inter se essentia & existentia. Et confirmatur, quia hæc est sententia omniũ S.S. Patrum Ecclesiæ qui saluare conantur differentiam inter existentiam Dei & existentiam creaturarum. Respond. neg. ma. loquendo de essentia actuali, de qua est conclusio: vt constat ex eius probationibus. Et nunc denuo sic ostendo: quia si obiectiue & vt formalitates distinctæ differrent, sequeretur processus in infinitum in ipsis formalitatibus obiectiuis; sed hoc nullus

lus admittet, ergo. probatur sequela: quia illa obiectiua formalitas existentiæ, quæ correspondet vt condistincta à formalitate essentiæ, est apta ad non existendum, & potest habere duos status possibilitatis & actualitatis, ergo in illa rursus duæ formalitates distinguuntur, vna quæ sit essentia, alia quæ sit existentia. Et de hac rursus idem redibit argumentum vsque in infinitum.

Deinde quia essentia actualis quantumcumque præcisa obiectiue ab existentia, eo ipso quod actualis concipiatur, concipitur existens quia esse actuale (vt sæpe dixi) formaliter est esse existens, ergo neque existentia ab essentia, neque è contrario potest obiectiue præscindi: & ratio à priori est: quia essentia possibilis etiam dicit existentiam possibilem, & essentia actualis existentiam actualem. Vnde ex parte essentiæ eodem modo, quo concipitur, debet correspondere existentia, vel possibilis, si concipitur essentia possibilis, vel actualis, si concipitur actualis, ergo non potest vna obiectiue sine alia correspondere.

Ad confirmat. Ex SS. Patribus. dico, quod sine illa præcisione obiectiua assignatur sufficienter differentia inter existentiam Dei & creaturarum, quod aduersarij fateri tenentur: nam ipsa existentia actualis obiectiue correspondens intellectui differt ab existentia Dei in non necessitate essendi seu in contingentia & fallibilitate (quis hoc dubitet?) & tamen illa non differt in eo quod obiectiue à sua essentia distinguatur: alias daretur processus in infinitum, vt probaui, ergo sine hac obiectiua præcisione saluatur illa differentia, quæ in hoc consistit, quod formalitas existentiæ creaturæ possit corrumpi vel annihilari, non vero existentia Dei. Ad hoc autem quid illa distinctio obiectiua?

30. Quæres, *quibus rebus competat existentia distincta?* Respondeo omnibus illis, quibus conuenit entitas distincta, à qua regula nihil prorsus excipitur, quamuis modale & minimæ entitatis sit. Vnde singulæ partes Physicæ, & prædicata omnia Metaphysica superiora & inferiora habent sicut suam peculiarem entitatem, ita & existentiam. Hinc Scotus tenet contra D.Thom. humanitatem Christi Domini habere suam propriam existentiam distinctam ab existentia Verbi Diuini. Et idem diximus in Physicis de materia prima.

DISPVTATIO III.

De vnitate entis primo attributo.

QVÆSTIO I.

Quæ sit formalis ratio vnius.

SVPPONO (quod & ex supradictis colligitur) ens in quantum ens habere attributa seu proprias passiones aut proprietates (quæ omnia idem significant.) ita habet Philosophus 4. Metaph. dicens: quod sicut numeri in quantum numerus est sunt quædam passiones, vt paritas, imparitas, sic entis in quantum ens sunt quædam propriæ passiones &c. Istæ passiones entis non addunt ipsi solam denominationem extrinsecam, vt nonnulli dixerunt, sed vt ex decursu quæstionis constabit, sunt quædam formalitates

malitates seu rationes positiuæ reales ab ipso ente ex natura rei distinctæ, Hæ autem communiter numerantur tres *Vnitas*, *Veritas* & *Bonitas*. Nunc de *Vnitate*.

1. Et præmitto, quod licet ratio *Vnius* per negationem explicetur in communi definitione: *Vnum est indiuisum in se & diuisum à quolibet alio.* Non propterea absolute dicendum est, *Vnum* non addere enti aliquid positiuum, sed solam negationem. Quia frequenter positiua per negationes explicamus: vt *per non esse in alio*, *per incorruptibile*, *per irrationale* positiuam perfectionem & differentiam *substantiæ* & *substantiæ incorruptibilis* & *irrationalis*? Sic in proposito stare potest, quod ratio *vnius* per negationem explicetur, & nihilominus quod in suo conceptu formali sit entitas positiua, per quam quodlibet ens vnum illa negatio consequitur. Quod exemplo satis claro ostendit Scotus 2. d. 3. quæst. 2. in fine, vbi licet de vnitate indiuidui loquatur (de qua & nos infra. quæst. 5.) ratio illius æque militat de omni vno, siue sit commune siue singulare, siue intra genus siue extra; ex duplici autem negatione quæ inuoluitur in præfata definitione, vna scilicet rei in se, alia ipsius à quacumque alia non est multum curandum, an vtraque includatur in ratione vnius: potest enim sufficienter explicari per primam negationem sui in se. Propterea notandum, *Vnum* in præsenti sumi, vt contraponitur pluralitati seu multitudini, ita quod vnum est quod non est plura. His suppositis,

2. Sit nostra conclusio, *Vnum vt est passio entis non est formaliter negatiuum quid; sed dicit formaliter quid positiuum distinctum formaliter, ab ipso ente, includit tamen consequutiue negationem diuisionis sui in se, vel etiam sui ipsius à quocumque alio.* Est communis in via Scoti contra plures recentiores, quos sequitur Arriaga hic disp. 1. sect. 5. Probatur *primo* quia nulla negatio est eadem realiter alicui positiuo; sed vnum vt vnum est idem realiter ipsi enti: vt docet Aristot. 4. Metaph. text. 3. & concedunt ipsi aduersarii, ergo vnum vt vnum non est formaliter negatio. ma. est euidens, quia quidquid identificatur alicui reali positiuo est reale positiuum propter illam identitatem, si ergo negatio identificatur alicui positiuo, erit quid positiuum & non positiuum: quia nulla negatio est positiua.

Respondet Arriaga num. 41. quod cum dicitur *Vnum* dicere negationem, non intenditur ipsam negationem identificari cum positiua entitate vnius, sed fundari illam negationem in entitate positiua & ex hac entitate vt ex subiecto & ex negatione vt ex forma resultare hoc concretum *vnum*, quin negatio identificetur cum positiuo. Sed contra quia ex Aristot. supra vnum vt vnum reduplicatiue quod est dicere *vnitas* identificatur realiter cum ente, ergo si vnitas formaliter & in recto est negatio, negatiuum identificatur cum positiuo. Ad illud de resultantia concreti dico quod sic est, ens esse vt subiectum & vnitatem quasi formam, sed quia talis forma & subiectum identificantur, nequit forma esse formaliter negatio, si subiectum sit positiuum.

Et confirmatur, quia cum huiusmodi negatio sit inseparabilis ab ente, debet necessario præsupponere in ente aliquid positiuum ratione cuius formaliter sequitur; sed tale positiuum formaliter loquendo non est ipsum ens

ens formaliter, ergo aliud formaliter distinctum; quod aliud distinctum debet dici potius vnitas, quam negatio sequens ad ipsum, licet non nisi per ipsam explicetur, probatur mi. quia ens vt ens formaliter loquendo non dicit ordinem nisi ad existentiam possibilem seu ad non repugnantiam; & cum prius sit aliquid esse in se non repugnans, quam esse vnum: alias vnitas non esset proprietas entis; Hinc est quod distincta ratio sit in ente illa, qua competit sibi non repugnantia, quæ est conceptus formalis primarius ipsius, ab illa, qua competit sibi esse vnum & negatio diuisionis suarum partium, quæ est proprietas eius.

3. Probatur *tertio*, quia vnum sub ratione formali vnius est principium multitudinis: multitudo enim componitur ex vnitatibus: iuxta Philosophum 10. Metaph. Sed multitudo est quid positiuum, ergo & vnitates, ex quibus componitur & hoc argumentum maxime militat contra ponentes, Quantitatem discretam esse entitatem realem & componi ex vnitatibus: De quo videndus Scotus 4. Metaph. q. 2. n. 18.

Respondet Arriaga n. 39. multitudinem v. g. numerum ternarium constare quidem vnitatibus, si seorsim sumantur; at vt faciunt numerum, iam non seorsim sed simul debent sumi; & si sic, iam non sunt vnitas nec negatio, sed multiplicitas, quæ ex hac & illa vnitate prouenit. Sed contra quia vnitas transcendentalis huius entitatis & illius componentis numerum semper manet, licet constituat multitudinem simul cum aliis, & hoc idem ipse Arriaga fatetur (nescio qua consequentia) parum inferius n. 48. respondendo ad quoddam argumentum à se subtilitatis gratia positum, ergo semper manet vis nostri argumenti: Quod quantitas discreta scilicet numerus, quæ est entitas realis positiua, componeretur ex negationibus tantum.

Probatur *quarto* conclusio, *vnum* dicit perfectionem simpliciter, sed omnis perfectio simpliciter debet esse aliquid positiuum, ergo, mi. est certa, & ma. patet ex eo quod vnitatem maximam tribuimus Deo. Respondebis, quod est perfectio simpliciter ratione fundamenti. Sed contra, quia si vnitas est perfectio simpliciter ratione fundamenti, ergo fundamentum eius non est ens formaliter loquendo, sed aliquid posterius ente: patet conseq. quia omnis perfectio simpliciter præsupponit rationem entis: nam in hoc conuenit cum perfectione secundum quid, ergo fundamentum proximum vnitatis non est ipsa ratio entis, sed aliqua alia entitas positiua superaddita, quam intendimus & confirmatur, nam diuisio quæ tollitur per vnitatem est negatio formaliter; & fundatur in ente secundum aduersarios, ergo vel dicit perfectionem simpliciter, vel vnitas habet aliud fundamentum præter rationem entis, patet conseq. à paritate: Quia vtraque, cum sit negatio secundum ipsos, non dicunt aliquam perfectionem, & pro materiali dicunt idem fundamentum, ergo &c.

4. Obiicies *primo*, superflue ponitur illud positiuum superadditum enti, vt sit vnum, ergo; probatur antecedens *primo* quia illa negatio, quam dicit *vnum* qua tale potest sequi ad ipsum ens formaliter absque aliqua alia formalitate positiua superaddita. *Secundo* quia illud positiuum, quod est fundamentum proximum negationis diuisionis, etiam est ens sicut fundamentum remotum, ergo sicut supra il-

lud cadit immediate negatio, poterit etiam cadere supra primum ens, ergo impertinenter ponitur illud positiuum superadditum. ℞. neg. anteced. cuius priorem probat. dist. absque superaddito aliquo positiuo realiter distincto. concedo, formaliter distincto. nego. Posteriorem probat sic etiam dist. iuxta dicta disp. præced. q. 3. illud positiuum superadditum est ens *quale*. conced. anteced. ens quid nego, propterea supra illud cadit negatio, non vero supra istud.

5. Verum pro exactiori confirmatione huius doctrinæ, & quia Aduersarij valde insistunt in verbo *aliquid*, dum dicitur superaddi enti. Notandum est, quod licet *aliquid* pro vt non est nihil dicatur de ente præcise & formaliter sumpto, non tamen cum illo sic sumpto conuertitur, sed latius patet & dicitur de omni quod est vel ens vt sic vel identificatum cum ente vt sic. Quod quidem sic ostendo ex opposita sentẽtia, quæ vnum & cæteras passiones (sicut & modos intrinsecos ac differentias vltimas secundum rationem superaddit enti. Peto enim quid ratio tunc concipiat an ne aliquid vel nihil? Non nihil, quia implicat nihil concipi vt passionem alicuius entis: cum potius concipiatur vt oppositum entis; si aliquid vel concipit præcise & formaliter ens & sic non concipit passionem additam enti: alias conciperet ens addi sibi ipsi, quod friuolum est, vel concipit aliquid vltra præcisam & formalem rationem entis; & sic concipit *aliquid* non conuerti cum ente formaliter, sed eo latius patere. Quod si hoc est in conceptu, nempe quod detur *aliquid* quod non sit præcise & formaliter ens, vnde probatur non esse etiam sic in re? nam ratio opposita in solo conceptu *alicuius* fundatur; de re autem non aliud declarat & quatenus à conceptu ad rem insinuat illationem, retorqueri potest in oppositam sententiam: quia passio entis concipitur vt aliquid, & non vt ens præcise & formaliter, vt ostendi, ergo (si à conceptu ad rem licet argumentari) passio entis in re est aliquid, & non formaliter ens.

Dices, si per possibile vel impossibile illud positiuum superadditum tollatur ab ente, ens secundum se sumptum esset vnum: maneret enim indiuisum in se & diuisum à quolibet alio, ergo superflue ponitur. ℞. quod sicut ablata ab homine rationalitate, non maneret homo, ita sublato illo positiuo, ens non maneret vnum; Quod si dicas, tunc non fore plura, ergo vnum dico, quod nec esset vnum nec plura, sicut quod maneret sublata rationalitate nec esset homo nec brutum: & sicut etiam natura communis quæ secundum se nec est vniuersalis nec particularis.

Obiicies *secundo: Vnum* non est quid commune omnibus entibus, ergo non est passio entis, probatur anteced. quia plures homines sunt ens, & tamen non sunt vnum, ergo. ℞. plures homines si sumantur diuisiue, esse plura entia, quilibet enim est ens & vnum; si vero sumantur copulatiue in quantum quoddam aggrægatum aut totum, erunt quidem ens vnum, sed vnum aggrægatum, ita colligo ex Scoto supra. in Metaph. n. 14.

6. Pro cuius maiori notitia aduerte ex Scoto. 1. d. 2. q. 7. n. 44. pluribus modis aliquid posse esse vnum. *primo* vnitate aggrægationis, & hæc est minima vnitas, quam habet aceruus lapidum; *secundo* vnitate ordinis, quæ aliquid addit supra vnitatem aggrægationis scilicet prioritatem & posterioritatem, & hanc habet dux cum militibus in exercitu

Tertio

Tertio vnitate per accidens, in qua vltra ordinem eſt informatio licet accidentalis vnius ab altero eorum, quæ ſunt ſic vnum, & hanc habet *homo albus*. *Quarto* vnitate per ſe, qualem habet compoſitum ex principiis eſſentialibus per ſe actu & per ſe potentia: v. g. corpus naturale conſtans materia & forma. *Quinto* vnitate ſimplicitatis, quæ eſt vere identitas: *quidquid enim eſt ibi* (inquit Scotus) *eſt realiter idem cuilibet, & non tantum eſt, vnum illi vnitate vnionis, ſicut in aliis modis.* Hanc vnitatem habet totum Metaphyſicum, reſpectu ſui ipſius & ſuarum partium: v. g. Homo reſpectu animalitatis, rationalitatis, riſibilitatis &c. *Sexto* vltra omnes iſtos modos eſt alia vnitas ſeu identitas formalis, de qua in ſequentibus.

QVÆSTIO II.

An detur in rebus aliqua vnitas formalis præter numeralem?

7. DIxi q. præced. vnitatem conſiſtere in aliquo poſitiuo ad quod conſequitur negatio diuiſionis. Sicut ergo negationes per formas quarum ſunt carentiæ cognoſcuntur à nobis, ita & vnitates per diuiſiones, quarum negationes important. Eſt ergo diuiſio quantum ad noſtrum propoſitum duplex, materialis & formalis; materialis eſt quæ cauſatur per principia indiuidualia, qua ſcilicet ſpecies diuiditur in indiuidua; formalis eſt quæ cauſatur per differentias eſſentiales, qua ſcilicet genus diuiditur in ſpecies: exemplum prioris vt quando Homo diuiditur in Petrum & Paulum, Leo in hunc & illum Leonem. Exemplum poſterioris, vt quando animal diuiditur in hominem & brutum. In priori ſpecies contrahitur ad diuerſa indiuidua per hæcceitates ſeu differentias indiuiduales, quæ ad modum materiæ Phyſicæ ſunt ſubiecta quidditatum & graduum Metaphyſicorum eſſentialium & ideo forte appellatur diuiſio materialis; In poſteriori vero contrahitur genus nempe animal ad diuerſas ſpecies per rationalitatem & irrationalitatem, quæ ad modum formæ Phyſicæ conſtituunt diuerſas eſſentias, & ideo iſta dicitur diuiſio formalis. Sed Nota, quod hæc diuiſio formalis admittit latitudinem, quam non admittit materialis: nam fieri poteſt per differentias eſſentiales magis ac magis communes, ſicut & genera ipſa quæ diuidunt poſſunt eſſe magis ac magis communia.

Ex his conſtat, duplicem eſſe vnitatem prædictæ diuiſioni oppoſitam, materialem ſcilicet ſeu indiuidualem aut numeralem, & formalem ſeu eſſentialem. Erit ergo vnitas materialis, entitas poſitiua importans carentiam diuiſionis in plura indiuidua, qualem habet quodlibet indiuiduum alicuius ſpeciei: v. g. Petrus; vnitas vero formalis dicit aliam carentiam diuiſionis per differentias eſſentiales qualem habet quælibet ſpecies infima v. g. ſpecies hominis. Vbi etiam Nota, quod ſicut in diuiſione formali, ita in vnitate illi oppoſita eſt latitudo: alia enim eſt vnitas dicens carentiam diuiſionis per differentias eſſentiales proximas, alia vero per remotas. Vnde tot erunt in Petro v. g. vnitates, quot gradus participat, erit ergo vnum indiuiduum, vnus homo, vnum animal, vnum viuens, vnum corpus &c.

8. Ex his ſequitur vlterius (quod & docet Scotus 2.d.3.quæſt.1.num.7.) vnitatem formalem eſſe minorem numerali, & inter formales illam eſſe minorem, quæ cauſatur per principium formale magis commune: cum enim

vnitas,

vnitas, vt diximus, dicat carentiam diuisionis, tanto maior erit vnitas, quantò minus diuisionis seu diuisibilitatis relinquat in subiecto. Igitur cum vnitas numeralis, qua Petrus v. g. est hoc singulare, nullam, diuisibilitatem relinquat in Petro: quia nequit formaliter generice, nec specifice, nec etiam materialiter aut numeraliter diuidi, ideo ista est maior vnitas; formalis vero specifica, quia non priuat diuisibilitate seu diuisione materiali: diuiditur enim species hominis in hunc & illum hominem, ideo est minor, & multo minor formalis generica, quia plures diuisiones compatitur, & sic de reliquis superius ascendendo.

His sic prælibatis, status controuersiæ est, vtrum ante opus intellectus detur in Petro v. g. præter vnitatem numeralem, qua est hoc singulare alia vnitas formalis, qua sit vnus homo, & alia qua sit vnum animal, vnum viuens &c. Et Nota quod non disputatur hic de vnitate naturæ humanæ v. g. quæ dicitur vniuersalis, provt in duobus indiuiduis existit, quia de hoc in q. seq. sed disputatur de ipsa provt in vno.

9. Sit nostra conclusio, *Datur in rebus talis vnitas formalis minor vnitate numerali.* Ita Scotus supra. Probatur ab ipso sic: quia si solum esset vnitas numeralis in rebus, ergo solum esset etiam distinctio numeralis conseq. patet, quia vnum & distinctum sunt immediate opposita ex Aristot. 5. Mataph. cap. 6. & quot modis dicitur vnum, tot dicitur & alterum; sed falsum est dari solum distinctionem numeralem ergo. Probatur mi. quia tunc non magis differrent Petrus & lapis quam Petrus & Ioan. nec haberet intellectus vnde abstraheret aliquid commune à Petro & Ioan. quod non à Petro & lapide, ergo &c.

Probatur *Secundo*, vnitas formalis est carentia diuisionis per principia formalia; sed Petrus à parte rei habet carentiam diuisionis non solum per principia materialia, sed etiam per principia formalia: quia sicut implicat, quod diuidatur in plura indiuidua, ita etiã quod diuidatur in plures naturas specificas, ergo Petrus à parte rei non solũ habet vnitatem numeralem, qua est hoc singulare, sed etiam vnitatem formalem, qua est vnus homo, vnum animal &c. Et confirmatur quia omni entitati reali correspondet sua vnitas realis: cum enim vnitas sit passio entis quot modis dicitur ens, tot modis dicitur vnum; sed substantiæ secundæ quæ sunt naturæ, quæ dicuntur vniuersales, vt sunt v. g. in Petro esse hominem, esse animal, sunt entitates reales existentes à parte rei (licet non separatæ à primis, sed in ipsis inclusæ & realiter identificatæ) ergo competunt ipsis à parte rei suæ propriæ vnitates reales; sed istæ nequeunt esse vnitates numerales: nam istæ sunt passiones primarum substantiarum, non secundarum, ergo præter numeralem datur alia minor vnitas, quæ est formalis.

Sed Obiicies *Primo* Aristot. 5. Metaph. tex. 7. qui numerans vnitates solum facit mentionem vnitatis numericæ, specificæ & genericæ; sed vnitas specifica & generica solum cõueniunt rebus per intellectum, ergo à parte rei solum datur vnitas numerica ℞. cõcess. ma. neg. mi. quia Philosophus sub specifica & generica comprehendit vnitates formales. Quæ cum sint proximum fundamentum ex parte naturarum vnitatis specificæ & genericæ, apposite satis appellari possunt vnitates specificæ & genericæ fundamentaliter. Præter quam quod argumentum ab authoritate negatiua nihil valet.

Obiicies *Secundo*, sicut res se habent ad entitatem, ita ad vnitatem, quia vt diximus vnitas est passio entis, sed omnis

nis entitas, quæ existit à parte rei est indiuidua & singularis, ergo & omnis vnitas quæ est à parte rei, erit vnitas numeralis, atque adeo nulla datur vnitas formalis à parte rei. R. ex Scoto 2.d.3.q.6.n.10. dist. mi. omnis entitas est singularis formaliter vel denominatiue concedo. mi. formaliter & per se tantum, neg. mi. & explico distinctionem: quia sicut aliter dicitur homo v.g. animatus, & aliter dicitur corpus animatum, homo enim est animatus formaliter & per se: cum subiectum tunc includat prædicatum, & corpus dicitur animatum denominatiue tantum quia tale est per formam superuenientem sibi: Sic Petrus v. g. est singularis formaliter & per se tamen natura humana quæ est in illo & realiter identificatur, est singularis denominatiue tantum scilicet per singularitatem sibi aduenientem. Propterea debet habere peculiarem vnitatem sibi correspondentem.

Obiicies *tertio*, ex conclusione sequitur dari in Petro v.g. duas entitates reales à parte rei, quod est falsum: quia Petrus est vnus & non duo: probatur sequela, quia cum vnitas sequatur ens ponendo duas vnitates, à parte rei formalem scilicet & numeralem, debent etiam poni duæ entitates. Respondetur dist. antecedens; dantur duæ entitates realiter identificatæ, ad quas sequuntur duæ vnitates; etiam realiter identificatæ, concedo. duæ entitates distinctæ sicut res à re, nego: Natura enim humana ad quam sequitur vnitas formalis, & hæc natura ad quam vnitas numeralis, non distinguuntur realiter vt inferius dicemus, sed solum ex natura rei formaliter, tamquam duæ entitates, quæ sunt duæ formalitates, ex quibus metaphysice coalescit hic homo, Petrus verbi gratia.

Obiicies *quarto*. Ista vnitas formalis vel est communis vel singularis; non singularis, aut numeralis vt conceditur, ergo communis; sed nulla datur vnitas communis à parte rei: alias daretur à parte rei ens commune & vniuersale, ad quod talis vnitas sequeretur: ergo &c. R. concedendo quod hæc vnitas sit communis. Neque hoc deterrebit illos Scotistas qui ponunt vniuersale à parte rei, possent enim concedere sequelam de vniuersali metaphysico; Sed nos iuxta inferius dicenda concedimus debere dari à parte rei aliquid commune, ex quo non sequitur dari à parte rei vniuersale formaliter & completum: quia tale commune est commune negatiue, & hæc communitas non sufficit ad constitutionem vniuersalis formaliter & completi.

QVÆSTIO III.

An vnitas formalis multiplicetur ad multiplicationem indiuiduorum?

Disputauimus q. præced: Vtrum Natura humana v.g. quæ dicitur vniuersalis respectu inferiorum habeat vnitatem formalem prout in vno indiuiduo in Petro v.g. Nunc inquirimus an propter istam vnitatem sit vna natura formaliter in quolibet indiuiduo, an vero sit vna in omnibus? Quæstio sane difficilis (quamuis non multum vtilis) in qua fere omnes existimant dissentire inter se Scotum & D. Thomam, sed si attente legatur Scotus, puto quemlibet facile cogniturum, in re coincedere cum D. Thom. Est tamen aduertendum in primis, quod non est dubium in præsenti de naturis consideratis in statu ideali & definibili, in quo certum est vnicam definitio-

nem sufficere pro omnibus, sed quæritur de ipsis naturis realiter existentibus. Circa quod.

10. Notandum est *primo*, quod natura quæ est communis & dicitur vniuersalis, potest in triplici statu considerari. *Primo* vt existit à parte rei in aliquo indiuiduo, in quo statu est singularis ratione differentiæ indiuidualis, per quam est contracta. *Secundo* vt cognita absolute sine indiuiduis, vt comparata tamen ad illa, in quo statu habet esse vniuersalis complete. *Tertio* vt est prior singularitate, qui status vocatur essentiæ: quia vt inquit Scotus 2.d.3.q.6.nu.10. *Sub ista ratione est de ea consideratio Metaphysica, & assignatur definitio eius & sunt proprietates per se primo modo*, & in hoc statu competit ipsi vnitas formalis, secundum quam quærimus: vtrum natura sit communis multis?

Notandum *secundo*, dupliciter posse naturam appellari communem multis, scilicet positiue & negatiue. Dicitur communis positiue ab aliquibus Scotistis; quia est vna & eadem positiuè in omnibus formaliter tamen, non numeraliter; ab aliis dicitur communis negatiue, quatenus natura quæ est in Petro, licet non sit eadem positiue, etiam formaliter, cum natura quæ est in Paulo, est tamen ex se indifferens, vt sit in Paulo, & solum ex differentia indiuiduali habet quod non sit in Paulo.

11. Sit nostra conclusio, *quælibet natura realis quæ est superior ad sua inferiora, est communis illis à parte rei communitate negatiua, non vero communitate positiua. Quare vnitas formalis sequens ipsam in quocumque indiuiduo multiplicatur ad multiplicationem eorũ.* Conclusio habet tres partes, quas sigillatim explicabo. *Primo* dico, *quod est communis communitate negatiua:* id est natura Petri v.g. secundum suam vnitatem formalem est in multis, non actu: quia tunc esset in omnibus illis & prædicaretur; & non est nisi in vno positiue & de illo solo prædicatur; sed est in multis per non repugnantiam: quatenus de se non repugnat sibi esse sub alia singularitate, quam sub singularitate Petri. Ita habet expresse Scotus 2.d.3.q.1.n.9. vbi respondens ad authoritatem Damasceni & assignamus differentiam inter communitatem naturæ Diuinæ & naturæ creatæ sic ait: *Tamen in creaturis est aliquid commune vnum vnitate reali minore vnitate numerali, & illud quidem commune non est ita commune, quod sit prædicabile de multis, licet sit ita commune, quod non repugnet sibi esse in alio, quam in eo in quo est.* Hæc pars conclusionis est satis clara & non eget ampliori explicatione.

Secundam sic explico: *Non est communis multis à parte rei communitate positiua.* Id est non est vna positiue, adhuc formaliter in omnibus, sed est in quolibet vna natura, vnde iam sequitur quod ad multiplicationem ipsius naturæ in omnibus indiuiduis multiplicetur etiam eius vnitas formalis, quæ vt propria passio ipsam consequitur in quolibet. Et propterea forte æquiuocantur nonnulli Scotistæ dicentes naturam humanam v.g. habere vnitatem positiuam in omnibus indiuiduis: verum namque est naturam humanam esse vnam positiue in omnibus, id est in quolibet, quia in singulis habet suam vnitatem formalem, quæ est vnitas positiua; sed non propterea esse vnam & eamdem in omnibus (hoc enim est proprium solius naturæ diuinæ,) quod esset habere communitatem positiuam ad sua inferiora. Est igitur natura humana vna positiue formaliter in omnibus, quia in

quolibet

quolibet habet suam vnitatem formalem, quæ est positiua; sed est communis illis negatiue, quatenus ex se non repugnat sibi esse magis in isto, quam in illo.

Hanc doctrinam colligo ex Scoto in primis 7. Metaph. quæst. 13. n. 11. vbi arguens contra suam vnitatem formalem sic ait: *Vnitas quæ est proximum fundamentum similitudinis inter ista A & B, aut est eadem in A & B, aut alia. Si eadem, quomodo ergo huius relationis, sunt duo per se termini, si alia, illa est in, vtroque numeralis, igitur illa, sufficit.* Et Respondet, *quod alia est hic & ibi, licet non de se alia; nec sufficit vnitas numeralis hic & ibi, quia illa de se non est alia &c.* Et 2. d. 3. q. 6. n. 10. sic etiam arguit contra se. *Quia si est aliqua vnitas realis minor vnitate numerali, aut est alicuius in eodem vno numeraliter, aut in aliquo alio; non in eodem numero: quia quidquid est in eodem numero, est vnum numero; nec est in duobus: quia hoc est proprium suppositis in Diuinis.* Et doctrina quadam ad suam mentem explicandam interiecta, sic Respondet. *Concedo ergo, quod vnitas realis non est alicuius entitatis existentis in duobus indiuiduis sed in vno.* Hæc Loca Scoti & quæ proxime adduxi in explicatione primæ partis conclusionis diligenter à sectatoribus, & impugnatoribus Scoti discutienda sunt, vt ex ipso Doctore eius mens hauriatur, nec putetur asserere, quod in alienis scriptis refertur.

12. Probatur iam rationibus nostra conclusio: quia vt in simili probat Scotus q. 6. citata n. 5. Ex opposita sententia sequitur inconueniens maximum in Theologia: nimirum dari Mysterium Trinitatis in creatis: nam secundum istam opinionem. *Poneretur quod vna natura substantialis nullo modo in se distincta haberet plura supposita re absoluta distincta.* Item *quod non possit aliqua substantia panis, & vini transsubstantiari in corpus & sanguinem, nisi tota substantia vini transsubstantiaretur quia vinum non transsubstantiatur nisi secundum substantiam suam: nam quantitas manet eadem, & per te substantia quæ est in hoc vino est eadem illi, quæ est in illo vino; idem autem non est transsubstantiatum & non transsubstantiatum, ergo &c.* Vbi maxime Notandum est, quod Scotus arguebat hic contra ponentes quantitatem principium indiuiduationis, ita quod quælibet natura communis contraheretur ad esse *hanc* per quantitatem.

Ex hoc iam *Secundo*, sic argumentor, quia impossibile est quod idem indiuisum & indistinctum creatum sit in pluribus indiuiduis realiter distinctis; sed hoc sequeretur ex opposita sententia: nam eadem positiue natura humana esset simul in Petro & Paulo, ergo: ma. patet quia hoc est peculiare naturæ Diuinæ: Respondent Aduersarij, maiorem esse veram de illo quod esset vnum & idem numero, non vero si sit vnum & idem solum formaliter, & diuersum numero: qualiter se habent naturæ creatæ communes multis: potest enim quælibet earum, etsi sit vna formaliter & positiue in multis, numerari & diuidi in illis, non formaliter, sed numero, ita vt tot sint naturæ humanæ numero distinctæ, quot sunt indiuidua.

Sed contra quia non apparet, quo pacto fieri possit quod aliquid diuidatur aut multiplicetur per aduentum alterius, si maneat eodem modo vnum, quo ante aduentum eius erat vnum. Quod quidem confirmatur prosequendo instantiam de natura Diuina: nam propterea, optime colligitur, quod natura Diuina

non multiplicetur per personalitates diuinas: quia licet coniungatur cum personalitatibus, manet eodem modo vna, quo erat ante, licet ex illa & personalitatibus illis resultent tres personæ realiter distinctæ, ergo quamuis ex natura humana & singularitatibus constituerentur aliqua realiter distincta, quorum quodlibet esset omnimodo incommunicabile, non tamen inde sequeretur, quod ipsa natura multiplicaretur in illis, si maneret eadem positiue natura in illis, quæ fuit ante aduentum istarum singularitatum.

13. Item argumentor *tertio*; quia sequeretur, quod non posset vnus homo mori, quin omnes homines morerentur, patet quia secundum aduersarios vna & eadem positiue natura est in omnibus; Vel certe de vna & eadem natura verificarentur duo prædicata contradictoria scilicet mori & viuere, esse in cœlo & esse in inferno &c. Deinde quia vt probat Scotus supra & in reportatis infra citandus, hæc sententia videtur ponere ideas Platonis, imo magis quam Plato, quia ille si ponebat vnam naturam communem, ponebat illam separatam à singularibus; hæc autem sententia in omnibus singularibus ponit vnam naturam.

Respondent Aduersarij, quod huiusmodi prædicata & accidentia non conueniunt naturæ provt habet vnum esse formaliter in omnibus, sed provt est contracta ad hoc & illud indiuiduum in particulari. Sed contra, quia corrupto vel annihilato Petro desinit esse sua natura humana secundum quod erat formaliter vna; sed secundum quod erat formaliter vna, est per te positiue in omnibus, ergo desinit esse provt est vna in omnibus, mortuo Petro; probo ma. Istud esse secundum quod natura Petri & natura Pauli sunt vna formaliter, non est esse seu ens solum in anima, sed esse reale & esse simpliciter à parte rei; sed secundum istud esse, secundum quod habet vnam formaliter naturam cum Paulo, desinit esse, ergo si est vna positiue in omnibus, non potest destrui natura Petri, quin destruantur naturæ cæterorum hominum.

Et confirmatur amplius, quia omne quod est intra singulare, est corruptibile; sed natura secundum suam vnitatem formalem est intra singulare: quia vt infra cum Scoto probabimus, licet distinguatur formaliter à gradu singularitatis, est tamen idem realiter cum illo, ergo corrupto Petro, eius natura, quæ est vna formaliter cum natura Pauli, corrumpitur, & consequenter ipsa etiam natura Pauli: maiorem & eius probationem insinuat Scotus 7. Metaph. quæst. 18. num. 3. vbi dicit, ideas Platonis non posse poni incorruptibiles, nisi ponantur extra singularia. *Videtur enim* (inquit) *includere contradictionem, quod idem numero sit quidditas multorum diuersorum, & tamen extra illa, aliter non essent incorruptibiles.*

Probatur vltimo conclusio, quia nullum prorsus est indicium illius positiuæ vnitatis, ergo quandoquidem sit contra communissimam sententiam, & habeat quamplurimas difficultates, vt constat ex dictis & pluribus aliis, quæ contra eam obiiciuntur, non debet poni: antecedens probatur soluendo rationes quæ adducuntur pro ipsa.

14. Obiicies ergo *primo*, Petrus & Paulus à parte rei sunt similes in natura & essentia, ergo à parte rei habent vnam naturam & essentiam: antecedens est certum & consequentia probatur. Quia ex Aristotele sæpe similitudo fundatur in vnitate, & qualis

qualis est similitudo, talis est vnitas, sed similitudo est à parte rei, ergo & à parte rei, habent vnam naturam; sed non vnam vnitate negatiua, ergo positiua. Probatur mi, tum quia hæc vnitas formalis est passio naturæ; sed vnitas negatiua nequit esse passio entis positiui, qualis est natura, vt diximus quæstione 1. ergo. Tum etiam quia Petrus & Paulus sunt similes similitudine positiua; similitudo autem positiua nequit fundari in vnitate negatiua, ergo &c. ℞. conces. anteceden. & conseq. neg. mi. subsumpt. Ad primam probat. dico, quod hæc vnitas quæ quamlibet naturam consequitur, seu potius naturam cuiuslibet indiuidui: siquidem ad multiplicationem eius in illis multiplicatur, est vnitas positiua, sed quid ad rem de vnitate naturæ provt in omnibus? Ad secundam? Resp. me nunquam cognouisse similitudinem negatiuam. Certum itaque est, quod si sunt similes, hoc erit similitudine positiua, & fateor, quod hæc fundatur in vnitate id est in conuenientia positiua, nimirum in aliquo, quod positiue est in quolibet. Et quia quantum est de se non repugnat sibi esse magis in vno, quam in alio, propterea est illis commune negatiue. Et potest etiam dici vnum & idem in illis: quia natura humana quæ est in vno, non est alia & diuersa formaliter à natura quæ est in alio; non vero quia vna & eadem formaliter positiue sit in omnibus.

15. Obiicies *Secundo*, Natura Petri vt prior singularitate non est formaliter alia à natura Pauli, ergo est eadem: conseq. patet. & anteced. probatur, quia si esset alia, vel diuideretur per principia formalia vel per materialia, id est vel esset distincta specie vel distincta numero; sed non distinguuntur numero, quia antecedenter ad singularitatem non est distinctio numerica; nec etiam distinguuntur specie, vt per se patet, ergo sunt omnino vnum. ℞. ex Scoto 2. d. 3. quæst. 1. num. 7. quod in illo priori ad singularitatem nec est formaliter eadem nec formaliter diuersa; item neque vna neque multiplex numeraliter, considerando illam intrinsece & secundum se. *Quod* (inquit Scotus) *potest aliqualiter intelligi per dictum Auicennæ 5. Metaph. cap. 2. vbi vult quod equinitas est tantum equinitas, nec ex se vna nec plures, nec vniuersalis nec particularis.* Idem dicit 7. Metaph. q. 13. num. 21. §. *ad primum* in fine; verum quia istæ naturæ nunquam exstiterunt neque existunt à parte rei sine singularitatibus, ideo habent per quid sint plures à parte rei, scilicet per ipsas singularitates.

Sed contra instabis: Natura Petri & natura Pauli pro illo priori præscindendo à singularitatibus, sunt per te distinctæ naturæ, quia non vna, ergo distinctæ essentiæ, ergo essentialiter & formaliter distinguuntur, quod est falsum. ℞. conces. anteceden. & prima conseq. neg. secundam: quia aliud est esse distinctas essentias, & aliud quod essentialiter distinguantur: nam ad hoc requiritur multiplicatio per principia formalia, qualem non habet natura in Petro & in Paulo; at vero ad esse distinctas essentias sufficit multiplicatio per principia materialia, quæ ad multiplicationem indiuiduorum habetur. Sic docet Scotus in reportatis 2. d. 3. q. 1. & d. 12. q. 5. n. 14. dicens. *Quod loquendo de diuisione formali proprie* (quãdo scilicet sumitur pro diuisione essentiali seu in diuersas essentias) *sic non diuiditur species secundum indiuidua, sed genus in species; loquendo tamen de diuisione formarum, bene potest species diuidi in indiuidua: vnde ibi est differentia*

formarum sed non formalis. Id est diuisio & distinctio essentiarũ sed nõ essẽtialis.

Contra adhuc vrgebis, tunc datur distinctio & multiplicatio essentialis inter aliqua, quando multiplicata sunt specie differentia, sed naturæ secundum se præcise & sic multiplicatæ sunt specie differentes, ergo habent differentiam formalem & essentialem inter se. Probatur mi. quia tunc aliqua duo sunt specie differentia, quando quodlibet illorum potest denominari species; sed natura Petri v. g. pro illo priori ad singularitatem potest denominari species, & etiam natura Pauli, ergo hæ duæ sic sumptæ erunt specie differentes, ℞. neg. mi. ad probat. dist. ma. quando illa quæ possunt denominari species, respiciunt indiuidua essentialiter diuersa: sicut homo & leo conced. ma. si respiciunt indiuidua solum distincta per differentias indiuiduales sicut in casu posito neg. ma. Vnde semper manet quod hæc distinctio sit essentiarum seu specierum, id est quod species hominis vel species Leonis diuidantur; non tamen distinctio specifica & essentialis: quia hoc esset diuidi membra specie differentia.

Vlterius sic instabis. Natura eodem modo est vna in omnibus, quo est indiuisa in illis; sed est indiuisa formaliter in omnibus: ergo est vna formaliter & positiue in omnibus. ℞. conces. ma. ad mi. dico, quod est indiuisa formaliter in omnibus, id est in quolibet seorsim & eodẽ modo habet vnitatem positiuã in omnibus, id est in quolibet habet suam vnitatẽ formalẽ, quæ est entitas positiua vt dixi, & in hoc sensu intelligẽdus est Scotus, quoties dicit quod natura est vna formaliter in omnibus: habet ergo natura cõmunis vnitatẽ positiuã in quolibet, sed cõmunitatẽ negatiuã ad omnes.

Obiicies *tertio*, vnitas formalis quæ consequitur naturam communẽ multiplicatur per nos ad multiplicationem indiuiduorum, sed ex hoc sequitur, ipsas naturas Petri & Pauli secundum se sũptas formaliter & essentialiter distingui, ergo doctrina adhuc assignata est falsa. Probatur mi. Ideo Petr. & Paulus distinguuntur numero & realiter, quia habẽt distinctas vnitates numerales; sed hæ duæ naturæ vt præcise à singularitatibus habent distinctas vnitates formales, ergo vt sic distinguuntur formaliter & essentialiter. ℞. conces. ma. neg. mi. ad probat. dico, quod ideo Petrus & Paulus distinguũtur numero id est quodlibet est vnum numero, & sic indiuisibile in plura, quorũ quodlibet sit ipsũ, quia habẽt distinctas vnitates numerales, & in hoc sensu dico, quod quælibet natura, quæ est in quolibet indiuiduo, quia habet suã vnitatẽ formalẽ est vna formaliter, idest indiuisibilis per principia formalia & sic indiuisibilis in plura, quæ formaliter & essẽtialiter distinguãtur; sed non propterea vt diximus distinguuntur inter se formaliter & essentialiter.

Obiicies *quarto* cum Thomistis negantibus quamlibet vnitatem vel communitatem, quæ sit à parte rei. Si natura prout superior ad sua inferiora haberet istam communitatem, quodlibet inferius haberet illam, & sic Petrus esset communicabilis isto modo; sed hoc est falsum, ergo. Probatur sequela: quia quidquid prædicatur de superiori prædicatur de inferiori; sed de natura superiori prædicatur ista communitas, ergo & de Petro eius inferiori. ℞. neg. ma. Et est instantia in Diuinis: nam licet Pater æternus habeat naturam communicabilem sibi identificatam realiter; tamen ipse neque est neque dicitur communicabilis, ergo similiter in casu argumenti.

Dices, non est alia ratio à priori, quare Petrus sit risibilis, nisi quia habet naturam humanam, cuius

proprietas

proprietas est risibilitas, ergo si habet naturam, cuius proprietas est hæc communicabilitas & ipse Petrus erit communicabilis pluribus inferioribus. R. concesso anteced. neg. conseq. Et ratio disparitatis est quia Petrus nec quatenus homo nec quatenus indiuiduum humanum est, habet vllam proprietatem oppositam risibilitati, & ideo dicitur risibilis in quocumque sensu; at vero licet quatenus homo est præcise non habeat proprietatem oppositam communicabilitati, tamen quatenus singulare est, habet differentiam indiuidualem, quæ opposita est communicabilitati; & quia petrus principalius dicit singularitatem, ad quam sequitur incommunicabilitas; ideo dicitur absolute incommunicabilis, non vero communicabilis.

16. Igitur ex dictis tota hac q. habemus, quamlibet naturam realem superiorem ad sua inferiora: vt est natura humana respectu Petri & Pauli habere in quolibet inferiori suam vnitatem formalem, propter quam est indiuisibilis formaliter, idest per principia formalia, qualiter diuiditur animal per rationalitatem atque irrationalitatem. Quæ quidem vnitas multiplicatur ad multiplicationem naturæ in quolibet indiuiduo. In quo Respond. ad quæstionem; Sed quia sumendo naturam secundum se, præscindendo à singularitate, non repegnat sibi esse in hoc singulari magis quam in illo, propterea dicimus, quod habet communitatem negatiuam ad illa ex quo iam oritur alia satis controuersa, etiamsi non multum vtilis; difficultas maxime cum Scotistis: Vtrum scilicet natura propter istam communitatem ad sua inferiora, quam diximus habere ex se à parte rei & secluso opere intellectus, conueniat sibi etiam ratio vniuersalis? Pro quo sit,

QVÆSTIO IV.

An detur vniuersale à parte rei; & Quotuplex sit?

NOn miror Thomistas communiter tribuere Scoto, quasi docuerit, dari vniuersale à parte rei: Cum Scotistæ ipsi hoc affirment: Sunt enim plures ex nostris qui ita intelligunt Scotũ, sed quidquid sit de eorum interpretatione: Audi Scotum 7. Metap. q. 18. n. 6. vbi Quæstionem ex professo disputat: *Circa huius quæstionis solutionem primo distinguẽdum est de vniuersali: sumitur enim vel sumi potest tripliciter, quoniam pro intentione secunda, quæ scilicet est quædam relatio rationis in prædicabili ad illud de quo est prædicabile. Et hunc respectum significat hoc nomen vniuersale in concreto, sicut & vniuersalitas in abstracto. Alio modo accipitur vniuersale pro illo, quod denominatur ab illa intentione, quod est aliqua res prima intentionis: nam secundæ intentiones applicantur primis. Et sic accipi potest dupliciter vno modo pro illo, quod quasi vt subiectum remotum denominatur ista intentione, alio modo pro subiecto propinquo. Primo modo dicitur natura absolute sumpta vniuersale: quia non est de se hæc, & ita non repugnat sibi ex se dici de multis. Secundo modo non est vniuersale, nisi sit actu indeterminatum, ita quod vnum intelligibile numero sit dicibile de omni supposito, & illud est complete vniuersale.*

Ex his ab ipso Scoto prænotatis, habemus in primis vniuersalitaté, quæ est formà, à qua aliquid denominatur vniuersale, non dari à parte rei & ante opus intellectus: Est enim secunda intentio & relatio rationis, quæ quid factum ab intellectu est. Deinde habemus,

habemus, quòd licet sit res primæ intentionis, idest natura quæ denominatur ab ista vniuersalitate sumpta cum sua communitate negatiua detur à parte rei: quia hæc competit ipsi, in quantum non repugnat ipsi esse in hoc magis quam in illo, non tamen est vniuersalis complete & in actu: quia vt inquit Scotus: *Quasi subiectum remotum denominatur ista intentione*; Et paulo inferius, *Sed nec prima opinio ponit completum vniuersale: quia non sufficienter indeterminatum: quia non contrarie ad determinationem, sed quasi priuatiue vel contradictorie*: Natura enim in hoc sensu sumpta præcise cum sua communitate negatiua non est nisi non singularis; non autem est vniuersalis positiuè: hoc enim habet ab intellectu, vt infra dicemus. Natura igitur pro illo priori nec est singularis nec vniuersalis positiue, & quia non est singularis, ideo est subiectum remotum vniuersalitatis, & potest dici vniuersale incompletum & vniuersale negatiuũ; Sed quoniam vox *vniuersale*, pro re, quæ proxime & immediate afficitur ista forma vniuersalitatis supponit, propterea de ista est Quæstio: nimirum an detur à parte rei & sine opere intellectus aliquid, quod absolute & simpliciter possit dici vniuersale?

17. Sit prima conclusio. *Non datur à parte rei seu ante opus intellectus natura aliqua, quæ simpliciter & absolute denominari possit vniuersalis, sed omne vniuersale proprie dictum habet esse in intellectu*: Est communis & probatur facile: Quia cum omnes naturæ de facto & à parte rei non sint nisi contractæ in singularibus, nulla est quæ nisi per opus intellectus abstrahatur ab ipsis, & possit proxime denominari secunda intentione vniuersalitatis, vt inquit Scotus supra, ergo nulla est quæ possit denominari vniuersalis à parte rei & ante opus intellectus.

Sed contra obiicies rationes, quas ipse Scotus adducit ibid. n. 5 contra suam & nostram conclusionem: *Obiectum naturaliter præcedit actum, ergo vniuersale naturaliter præcedit intellectionem, quando vniuersale intelligitur; Sed non est in intellectu in actu nisi per intellectionem*, ergo implicat quod vniuersale habeat esse solum in intellectu. *Et confirmatur quia si obietum vt obiectũ & vt prius intellectione, non esset vniuersale, non posset ab intellectu comparari ad plura extra.* Ad solutionem istarum rationum, quæ in idem coincidunt. Præmitto ex ipso Scoto ibid. n. 7. dupliciter posse aliquid esse in intellectu obiectiue (nam in hoc sensu dicimus vniuersale habere esse in intellectu) habitualiter scilicet & actualiter, idest in actu primo & in actu secundo. Tunc aliquid est in actu primo in intellectu, quando est immediate motiuum ad intellectionem, quando scilicet intellectus agens simul cum phantasmate produxit speciem intelligibilem obiecti in intellectu possibili, tunc obiectũ est actu intelligibile: iuxta dicta in lib. de Anima, disp. 5. n. 4; Tunc vero est aliquid in actu secundo in intellectu, quando elicuit intellectus actualem intellectionem de ipso. Hoc supposito, resp. cũ Scoto ibid. n. 8. quod vniuersale est in intellectu obiectiue in priori sensu, quare & habet esse in intellectu & antecedit intellectionem.

18 Sed *quæ est causa* (inquirit Scotus) *illius indeterminationis, qua obiectum, cum habet esse primum in intellectu, est complete vniuersale?* Respondet quod

quod intellectus agens concurrens cum natura aliquo modo indeterminata ex se est causa integra effectiua obiecti in intellectu possibili secundum esse primum, & hoc secundum completam indeterminationem vniuersalis. Est ergo natura in potentia remota ad determinationem singularitatis & ad indeterminationem vniuersalis; Et sicut à producente coniungitur singularitati, ita à re agente & simul ab intellectu agente coniungitur vniuersalitati. Ex quibus verbis clare conspicitur, mens Doctoris. Fit ergo natura complete indeterminata per operationem intellectus agentis, quæ est abstractio naturæ à cōditionibus indiuidualibus: quia cum natura offeratur intellectui indeterminata priuatiue seu contradictorie: hoc enim habet ex se ex sua communitate negatiua, secundum quam non repugnat sibi esse in hoc singulari magis quam in illo, intellectus agens producens speciem naturæ in intellectu possibili facit ipsam abstractam à conditionibus indiuidualibus, *& hoc secundum completam rationem vniuersalis* inquit Scotus; tunc namque iam est natura indeterminata positiue, quia quasi contrarie indeterminata, & sic vniuersalis complete & in actu. Et cum hoc habeat per operationem intellectus agentis, hinc est quod nullum vniuersale habet esse nisi in intellectu seu opere aliquo intellectus.

Sed obiicies expressam authoritatem Doctoris. 2. d. 3. q. 1. n. 9. vbi dicit: *Ex hoc apparet improbatio illius dicti, quod intellectus agens facit vniuersalitatem in rebus: per hoc quod denudat ipsum quod quid est in phantasmate existens*, ergo cum maior fides adhibenda sit sententiariis, præfata doctrina non est tenenda. ℞. Scotum ibi loquutum de vniuersalitate logica, quam certum est non fieri per denudationem intellectus agentis, sed per actualem considerationem & cognitionē intellectus possibilis, qua comparat naturam communem ad sua inferiora. Et quod in hoc sensu loquatur Doctor, constat ex paulo ante dictis: *Hoc est enim solum possibile de obiecto eodem indifferenti actu considerato ab intellectu, quod quidem vt intellectum habet vnitatem &c.* Ecce quomodo loquitur de vniuersali logico, quale scilicet constituitur in esse talis per actum intellectus possibilis non vero de vniuersali metaphysico, de quo nos in præsenti.

Obiicies *secundo*, natura secundum quod habet hoc esse in intellectu per operationem intellectus agentis, non prædicatur de multis, ergo non est vniuersalis complete. ℞. concess. anteced. neg. conseq. quia natura pro illo priori non est vniuersalis logice, sed solum vniuersalis metaphysice, & tamen iam est complete vniuersalis. Audi Scotum supra in Metap. n. 6. *Nec secunda opinio* (quæ scilicet ponebat vniuersale in intellectu) *loquitur de completa ratione vniuersalis vt quæstio habet difficultatem* (loquebatur enim de vniuersali logico, & Quæstio procedit de metaphysico) *Sed de quadam intentione posteriore naturaliter ratione eius completa: nam indeterminatio quasi contraria qua homo est sic indeterminatum, vt vnica intellectione conceptum quidditatiue insit omni, præcedit naturaliter illam intentionē secundam, quæ est vniuersalitas Logica siue habitudo de multis.* Ecce quomodo ponit Doctor vniuersale completum, antequam sit vniuersale Logicum: quia *natura vt obiectiue cognita* pro illo priori *potest eadē numero pluries concepta vt prædicatum attribui diuersis subiectis.* In quo statu habet natura, quod sit vniuersalis complete & in actu, & tunc est vniuersalis metaphysice de quo est nostra Quæstio. Postea intellectus per aliam operationem, quæ

comparatiua est, facit vniuersale logicum.

Per quam operationem intellectus fiat vniuersale Logicum?

19. Quod si inquiras *per quam operationem intellectus fiat vniuersale Logicum?* Pro Responsione Nota, quod licet opere intellectus agentis denudetur seu abstrahatur natura à singularitatibus vt diximus, quia tamen talis abstractio solum est præcisiua & non negatiua, adeoque per eam proponuntur indiuidua cognoscibilia intellectui saltem indirecte, ideo postea intellectus possibilis eliciens primam intellectionem circa naturam vniuersalem, tunc cognoscit eam, & talis cognitio est simplex apprehensio, qua apprehendit & cognoscit directe naturam cum indeterminatione completa provt ab intellectu agenti sibi proponitur & indirecte indiuidua, à quibus taliter fuit abstracta & indeterminata. Deinde in secundo instanti, seu signo naturæ cognoscit & apprehendit vnum in ordine ad aliud, & iste iam est actus comparatiuus. Sed quia hoc potest dupliciter fieri, *primo* respiciendo, naturam provt sic indeterminata est prædicabilis de inferioribus, *secundo* actualiter illam prædicando de illis, ideo talis actus comparatiuus diuiditur in actum seu cognitionem comparatiuam simplicem, & in cognitionem comparatiuam, compositam. Prior pertinet ad primam operationem intellectus, quæ est apprehensio extremorum: Posterior pertinet ad secundam quæ est iudicium & actualis prædicatio vnius extremi de alio, dicendo hoc est hoc, & illud est illud, vt homo est animal, Petrus est homo.

Nunc Respondeo, *Vniuersale Logicum fieri per actum comparatiuum simplicem intellectus, quo natura complete & vltimò indeterminata ministerio intellectus agentis apprehenditur in ordine ad sua inferiora.* Est communis sententia, & probatur, quia per talem actum natura est in potentia proxima, vt actualiter prædicetur de multis, & ante talem actum non erat vltimate in potentia proxima, vt prædicetur de illis, ergo per talem actum constituitur in esse vniuersalis Logici. Consequentia est bona secundum definitionem, quam assignat Aristot. 1. de interpret. cap. 5. *Dico autem vniuersale quod de pluribus prædicari natum est.* Probatur antecedens: quia prius debet quodcumque prædicatum apprehendi esse in subiecto, quam possit prædicari de illo, & statim ac intellectus apprehendit naturam esse in pluribus (saltem per aptitudinem) poterit illam prædicare de ipsis, ergo per illum actum per quem natura apprehenditur, vt vna in multis, fit proxime prædicabilis de illis, ergo & vniuersalis Logice; sed hoc fit per actum prædictum comparatiuum simplicem, ergo &c.

20. Dubitabis: vtrum necesse sit ad hoc vt aliqua natura possit per intellectum fieri vniuersalis, quod existat realiter in pluribus, inferioribus? Resp. cum Scoto q. 18. vniuersal. §. *Ad quæstionem dicitur*, hoc non esse necessarium, sed sufficere quod tali naturæ ab intrinseco non repugnet esse in pluribus: Propterea omnes concedunt, naturas Phœnicis, Solis & Lunæ posse fieri & denominari ab intellectu vniuersales.

21. Circa posteriorem partem quæstionis, in qua inquiritur: *Quotuplex sit vniuersale?* Suppono, conceptum naturæ communis, vt prædicabilis est de pluribus, applicabilem esse quinque prædicabilibus Porphyrij. Et vt inquit Scotus q. 8. vniuesal. §. *Ad oppositum: Vniuersale prædicatur de illis secundum nomen & secundum rationem,*

tionem , igitur vniuoce. Propterea omnes communiter concedunt , vniuersale vt sic esse genus ad illa. Et in hoc nulla est controuersia , potest tamen esse in numero ipsorum prædicabilium , an sint quinque vel plura ? Pro quo,

Aduerte , præter hoc quod est esse *vnum aptum prædicari de multis* , quatuor conditiones requiri , vt aliquid denominetur vniuersale: *prima* quod sit vnum incomplexum : vt homo, animal, propterea definitio etsi de pluribus prædicetur , excluditur à numero vniuersalium : *secunda* quòd sit vniuocum , propterea *canis, sanum* & omnia nomina æquiuoca & analoga à ratione vniuersalis excluduntur: *Tertia* quod sit finitum & prædicamentale , propterea *ens,vnum* & reliqua transcendentalia non sunt vniuersalia. *Quarta* quod significet rem abstractam à conditionibus indiuidualibus , & sic *quidam homo* , *aliquis homo* & omnia huiusmodi , etiamsi de pluribus prædicentur non sunt vniuersalia : quia non significant vnum commune multis sed plura indeterminate.

22 Sit secunda conclusio, *quinque sunt species vniuersalis , non plures nec pauciores.* Quod intelligendum est tam de vniuersali metaphysico , quam logico : vt bene notat Poncius disp. 3. à n. 102. Est communis quam propriissime præ omnibus probat Scotus q. 12. vniuersal. Ratio enim eius desumitur ex varijs & diuersis modis , quibus aliquid vnum potest prædicari de multis qui modi sunt differentiæ , quibus vniuersale in communi diuiditur & contrahitur ad esse talis vel talis. Et quia rationem & discursum quo procedit Scotus etsi breuiter proposui in logica c. 2. n. 2. Ideo ad argumenta cótra conclusionem progredimur: Lege quæ ibi diximus de quolibet prædicabili.

Obiicies : ergo *primo* datur duplex differentia quarum vna in modo prædicandi de inferioribus distinguitur ab alia, ergo vna erit vniuersale distinctæ speciei ab alia , & consequenter erunt plura quam quinque prædicabilia : probatur anteced. differentia quæ prædicatur solum de numero differentibus est diuersæ rationis in modo prædicandi à differentia quæ prædicatur de specie differentibus, ergo &c. probatur anteced. Ideo ponitur *genus* vniuersale seu prædicabile distinctum à *specie* , quia prædicatur de specie differentibus, species vero solum de numero differentibus, ergo propter eamdem rationem debet poni duplex differentia. ℞. neg. anteced. quia vtraque illa differentia prædicatur per modum partis essentialis contrahentis; Nec variantur essentialiter in hoc quod de specie vel numero differentibus prædicentur: vnde neg. probat. anteced. quia ratio quare genus ponitur vniuersale distinctum à specie , non est quæ assignatur , sed quia genus prædicatur per modum partis contrahentis , species vero per modum totius essentiæ.

Sed contra instabis : sicut Genus prædicatur vt pars contrahibilis , ita etiam species , ergo non est alia ratio diuersitatis eorum præter assignatam. probatur anteced. Ideo genus prædicatur vt pars contrahibilis, quia prædicatur incomplete, idest quia non dicit formaliter totam essentiam sui subiecti scilicet speciei ; Sed neque species dicit formaliter totam naturam sui subiecti scilicet indiuidui : quia non importat differentiam indiuidualem , quæ est ratio constitutiua indiuidui, ergo ; vel si hoc non obstat , quominus species dicatur prædicari complete, neque obstabit in genere , vel si obstat in genere , etiam obstabit in specie. ℞. prædicabilia non esse

distinguenda penes modos prædicandi de quolibet, sed præcise de primo subiecto scilicet de indiuiduo: Vnde quia genus prædicatur vt pars essentialis indiuidui, species vero vt tota essentia, inde fit quod genus prædicetur incomplete de indiuiduo, species vero complete. Hinc in forma neg. anteced. Ad eius probat. conces. ma. neg. mi. cuius probat. concedo; Neque exigitur ad id, quod species dicat differentiam indiuidualem: quia hæc non consideratur per se à Philosophis, nec appellatur quidditas seu essentia: nam secundum Aristot. 5. Metaph. cap. 8. essentia est cuius datur definitio; definitio autem ex eodem Philosopho 1. Posterior. 7. non est singularium, sed communium: & sic cum dicimus speciem dicere totam essentiam indiuidui, genus vero non, sensus est, quod species dicit totum essentiale commune indiuidui, genus autem non totum sed partem, ad quod non requiritur quod species importet differentiam indiuidualem: cum non sit aliquid commune.

Contra adhuc vrgebis, differentia indiuidualis est pars essentialis indiuidui, sicut differentia specifica est pars essentialis speciei, ergo adhuc restat assignare disparitatem. Resp. quod prædicare complete est dicere omnia prædicata essentialia indiuidui, præter illud, quo indiuiduum distinguitur à communi; prædicare vero incomplete est non dicere omnia, præter id quo differt à communi. Et merito quidem non habetur ratio singularis differentiæ: quia vt prædicatum sit diuersum à subiecto, necessario debet vnum excludere alterum. Quare illud Prædicatum iure optimo dicitur completum, quod continet omnia, quæ possunt in communi prædicato contineri, Illud vero dicitur incompletum quod aliquid omittit. Et per hoc datur plena solutio.

Obiicies *Secundo* Omnia vniuersalia sunt species vniuersalis, ergo omnia sunt species. ℞. concess. anteced. disting. conseq. omnia sunt species denominatiue conced. essentialiter. nego: Et ratio distinctionis est, quia secundæ intentiones vniuersalium sicut possunt denominare entia realia: vt quando natura animalis dicitur genus per secundam intentionem generis, & similiter natura humana dicitur species; ita etiam vna secunda intentio potest denominare aliam secundam intentionem: vt v. g. quando intellectus considerat secundam intentionem generis vt prædicabilem de hac & illa secunda intentione generis, tunc resultat in illa secunda intentione generis ex tali consideratione secunda intentio speciei, ita vt sicut verum est dicere quod natura humana sit species respectu Petri & Pauli, ita verum erit dicere, quod illa secunda intentio generis sit species respectu huius & illius secundæ intentionis generis; Et quemadmodum natura non dicitur species essentialiter, sed solum denominatiue, ita etiam secunda intentio generis non essentialiter, sed denominatiue tantum deberet dici species.

Definitiones & essentias horum prædicabilium in particulari explicauimus iam in Logica, Nec iudico necessariam de ipsis ampliorem disputationem; Nec video quid ad Philosophorum instructionem tantus disputationis strepitus, sicut haberi solet apud Logicos, conducat, sufficiant ibi dicta. Ad rem nostram veniamus.

QVÆSTIO

QVÆSTIO V.

A quonam sumatur vnitas indiuidualis rerum?

23. PRæmittenda est & explicanda definitio indiuidui metaphysici, de cuius vnitate disputamus. Est igitur indiuiduum, vt diximus in Logica: Id quod ex se non potest inexistere pluribus, in quibus numeretur & diuidatur, & quorum quodlibet sit ipsum dicitur *id* hoc est quæcumque res seu quodcumque ens, quod *ex se & ex ratione sua nequit inexistere pluribus, vt excludatur* natura communis singularizata, quæ si nequeat inexistere pluribus, hoc non habet ex sua ratione intrinseca & formali, sed per accidens à singularitate, quæ in illa intrinsece non includitur, vt communiter supponitur. Additur *in quibus numeretur & diuidatur* quia si esset in pluribus sine diuisione aut numeratione sui, non impediret id singularitatem eius. Nec propterea sequeretur, quod non esset res singularis & indiuidua: Vnde de facto natura diuina, non obstante quod sit in pluribus suppositis diuinis, adhuc est singularis. Et eodem modo, quamuis eadem numero albedo poneretur in diuersis subiectis simul, adhuc esset indiuidua. subiungitur denique *quorum quodlibet sit ipsum*: Quia totum homogeneum singulare v. g. aqua potest diuidi in plura cum numeratione & multiplicatione, ita vt ex vna aqua, facta discontinuatione, reddantur plures aquæ singulares; Sed tamen id non impedit singularitatem aquæ diuisæ, quia non habet talem diuisibilitatem in plura, vt ipsamet aqua diuisa sit quælibet ex aquis, in quas diuiditur; Neque enim facta diuisione verum est dicere, quod vlla ex aquis discontinuatis sit aqua illa, quæ diuidebatur, sed potius verum est dicere, quod non sit illa aqua, sed quod fuerit pars eius. Per hanc definitionem exacte explicatur essentia indiuidui, nam cum per indiuiduum intelligatur, quod opponitur vniuersali, seu quod non habet talem modum inexistendi pluribus, qualem habet vniuersale sed oppositum; Et per prædictam definitionem seu descriptionem explicetur talis modus oppositus, vtique exacte explicat naturam indiuidui.

Nec contra hoc obstat: Philosophus 7. Metaph. tex. 53. vbi dicit, quod indiuidua nequeunt definiri aut describi. Quod & nos cum ipso diximus q. præcd. Vnde communiter dicitur, quod de indiuiduis seu singularibus non possit haberi scientia. Non (inquam) obstat, quia Philosophus & commune dictum debent intelligi de indiuiduis, non quatenus conueniunt in conceptu indiuidui: quia manifestum est, illa vt sic, quemadmodum possunt intelligi, ita posse describi aliquo modo: quidquid enim intelligimus & significamus per vocem, id possumus aliquo modo describere: alias non potuissemus significare aliis significationem vocis, nec discere illam ab aliis, & sic non intelligeremur ad inuicem, dum vteremur illis vocibus, quarum significata non possumus explicare. Igitur intelligendus est Philosophus quasi diceret, non posse indiuiduũ describi sic, vt possimus declarare naturam vllius particularis indiuidui, quatenus distinguitur ab aliis omnibus indiuiduis, de quo diximus in lib. de Anima disp. 5. à n. 20. videantur ibi dicta; Imo nec aggregatum illud ex accidentibus extrinsecis, per

quod distinguimus vnum indiuiduum ab alio, impossibile est physice reperiri in alio.

Dices, indiuiduum esse communicabile pluribus quorum quodlibet sit ipsum: diuiditur enim in hoc & illud indiuiduum, quæ faciunt numerum indiuiduorum, de quorum quolibet verum est quod sit indiuiduum diuisum in illa, non minus quam diuiditur homo in Petrum & Paulum, ergo male dicitur in definitione seu descriptiõe præmissa, quod sit illud quod, nõ potest sic multiplicari. ℞ dist. anteced. Indiuiduum formaliter cõsideratũ, hoc est vt dicit ineptitudinẽ illã inexistendi pluribus, est communicabile: quia possunt dari plures huiusmodi ineptitudines similes sibi saltem proportionaliter, concedo. Indiuiduum materialiter consideratum, hoc est quælibet aut vlla res, quæ dicitur indiuiduum secundum alia prædicata realia est sic communicabile, neg. anteced. Et dist. similiter conseq. Itaque cum dicimus quod indiuiduum sit incommunicabile, non est sensus, quod indiuiduum sit incommunicabile secundum hanc vel illam rationem; Sed quod quælibet res quæ dicitur indiuiduum sit simpliciter incommunicabilis, ita vt nulla talis res quæ dicitur indiuiduum possit dici simpliciter communicabile secundum alia sua prædicata, præter ipsammet incommunicabilitatem, quæ est formale significatum indiuidui. Vtrum autem propter conuenientiam istam possit ab ipsis abstrahi ratio aliqua communis; Quæstio est curiosa, eam late disputat Poncius disp. 6. q. 2. Nobis sufficiant quæ tum disp. præced. à n. 9. tum alibi diximus.

Præsens & realis difficultas est, à quo proueniat in indiuiduo talis immultiplicitas seu vnitas numeralis? Et non quærimus de illo, quo formaliter ista immultiplicitas illi repugnat, quia certum est repugnare formaliter per ipsam repugnantiam sed de illo, quo vt fundamento proximo & intrinseco ista repugnantia inest illi. Est ergo sensus quæstionis, quid est in hoc lapide v.g. per quod sicut per fundamentum proximum simpliciter repugnat illi diuidi in plura, quorum quodlibet sit ipsum? Circa quod diuersæ fuerunt opiniones, quarum nonnullas vt propriam & Scoti apponamus, in medium adducemus & reiiciemus, præcipue quæ hoc tempore magis in vsu sunt in scholis.

24. Sit prima conclusio. ***Principium indiuiduationis non consistit in negatione communicabilitatis præcise.*** Ita Scotus 2. d. 3. q. 2. contra Henricum. Et probat sic. Nihil simpliciter repugnat alicui enti per solam negationem aut priuationem, sed per aliquid positiuum, ergo diuidi in partes subiectiuas non repugnat huic lapidi vel huic homini per solam negationem aut priuationẽ: probatur anteced. priuatio solum tollit potentiam proximam ad agere & pati, non autem ponit repugnantiam ad illud quia per possibile vel impossibile, circumscripta negatione staret tale ens cum opposito negationis: Cuius ponit exemplum? nam si substantia intelligatur non quanta seu cum negatione quantitatis, tunc non est diuisibilis actu nec potentia proxima; non tamen propter hoc repugnat illi diuidi: alias repugnaret sibi recipere quantitatem, per quam formaliter diuidi possit. Quod quidem & aliis exemplis confirmat.

25 Secunda conclusio: ***Neque existentia est principium indiuiduationis.*** Ita etiam Scotus supra. q. 3. Et probat sic: Quod non est ex se distinctum nec determinatum non potest esse prima ratio distinguendi vel determinandi

di aliud? Sed esse existentiæ non est ex se distinctum nec determinatum quia non habet proprias differentias alias à differentiis essentiæ & ita non est determinatior quam essentia; Hoc patet, quia si haberet proprias differentias, darentur prædicamenta existentiarum sicut essentiarum, igitur quemadmodum essentia quælibet non est de se hæc, sed indiget aliquo principio suæ indiuiduationis, ita similiter existentia, atque adeo ipsa nequit esse tale principium.

26. Tertia conclusio, *Nec quantitas aut vllum omnino accidens potest esse principium indiuiduationis substantiæ vllius.* Ita Scotus supra q. 4. Et probatur ex ipso: quia hæc singularis substantia potest à Deo fieri sub alia & alia quantitate non tamen sub alia & alia singularitate, ergo quantitas non est principium indiuiduationis. Et confirmatur *primo*, quia prædicamenta sunt impermixta, & nihil vnius constituitur in esse per aliquid alterius, ergo indiuiduum quod est prima substantia & nobilissima non constituitur in suo esse per quantitatem, quæ est accidens & alterius prædicamenti. Confirmatur *secundo*, quia ipsamet quantitas aut aliud accidens quod esset principium indiuiduationis v.g. Petri debet esse singulare & indiuiduum vt de se patet; Tunc sic vel esset singulare à se ipso vel ab aliquo alio? Si à se ipso, absque aliquo alio principio realiter aut formaliter distincto, ergo idem deberet dici de substantia; si ab aliquo formaliter distincto, idem etiam deberet dici de substantia; Si denique dicatur quod ab alio realiter distincto præterquam quod esset procedere in infinitum, vel committere circulum, nam vel esset aliud accidens, de quo idem possemus inquirere; vel substantia, & tunc committeretur circulus: cum substantia per accidēs, & accidens per substātiā indiuiduarentur; iā supra refutatū est, nihil posse constitui in suo esse per aliquid alterius prædicamenti, quale esset illud distinctum realiter, per quod indiuiduaretur accidens.

Pro intelligentia sequentis conclusionis nota, indiuidua de quorum principiis dubitamus esse in duplici differentia, alia sunt secundum se materialia, vel quæ dicunt ordinem ad materiam (Hoc secundum dico propter animam rationalem, quæ licet in se spiritualis sit, dicit tamen ordinem ad suum corpus); Alia sunt omnino in se spiritualia, & quæ nullum dicunt ordinem ad materiam, quales sunt Angeli. Thomistæ omnes dicunt in præsenti. *Primum* species non dicentes ordinem ad materiam vt Angelos, non posse habere indiuidua solo numero distincta, vnde de istis non est quærendum principium indiuiduationis. *Secundo* dicunt, species dicentes ordinem ad materiam esse multiplicabiles in plura indiuidua: Quia (dicunt) omnis talis multiplicatio prouenit à materia. Aliqui dicunt, vt affecta quantitate, quare multiplicationem indiuiduorum concedunt in entibus materialibus vel dicentibus ordinem ad materiam, secus vero in spiritualibus.

27. Quarta conclusio, *Materia prima neque secundum se sumpta, neque vt signata quantitate potest esse principium indiuiduationis in substantia materiali.* ita Scotus supra & q. 5. per totam: Vbi sic probat: Materia est eadem in genito & corrupto; sed si materia esset principium indiuiduationis, sequeretur quod genitum & corruptum essent idem numero, quod est falsum, ergo &c. secunda pars conclusionis de materia signata varie explicatur à Thomistis,

Thomistis, siue autem dicant, quod quantitas & materia ex æquo concurrunt sunt principium indiuiduationis, siue quod sola materia cum respectu tamen seu habitudine ad talem quantitatem; Vtrumque sic reiicitur. Primum, quia nullum ens per accidens, quale esset illud aggregatum, potest esse principium cõstitutiuum entis per se, ergo nec tale aggregatum potest esse principium indiuiduationis. Secũdus sẽsus, qui ex Caietano communis est apud Thomistas, sic reiicitur ex Scoto supra n. 9. Ista signatio seu habitudo ad quantitatem dependet necessario & essentialiter à quantitate, ergo impossibile est quod sit principium indiuiduationis. anteced. est certum. conseq. probatur: quia vt esset tale principium deberet esse idem realiter cum substantia, quam indiuiduat: nihil enim potest esse distinctum neque vnum ab aliquo à se distincto realiter; sed dependens à quantitate nequit taliter esse idem cum substantia, ergo neque esse eius principium indiuiduationis: probatur mi. quia tunc esset idem realiter & non esset idem realiter; esset quidem, quia in quantum tale principium esset idem realiter cum substantia; Et non esset, quia cum substantia sit prior quantitate & ista signatione seu habitudine ad eam, non implicat esse sine ea, ergo materia taliter signata nequit esse principium indiuiduationis.

Et confirmatur. Quia inquiro quid det formaliter materiæ talem vel talem signationem? Non quantitas talis, tum propter rationes conclusionis antecedentis, tum quia ipsa quantitas præsupponit materiam taliter signatam; sed neque aliquid aliud potest assignari, quod sit ratio seu principium, vnde materia habeat talem signationem; nisi quod materia sit singularis, ergo materia habet singularitatem antecedenter ad illam signationem & consequenter materia vt signata, quomodocumque hoc intelligatur, non est principium indiuiduationis. Respondent nonnulli ex aduersariis, quod materia habet hanc signationem à quantitate, vt diuidens & separans est; & quod tamen quantitas vt informans indiuiduetur à materia sic vt vnum indiuiduetur ab altero in diuerso genere causæ. Sed contra, quia materia potest esse singularis realiter absque vlla quantitate existente, ergo nullo modo habet indiuiduari à quantitate sub vlla consideratione. Deinde quia vt multi tenent, eadem numero quantitas potest esse in diuersis materiis, & eadem numero materia sub diuersis quantitatibus, ergo non habent à se inuicem indiuiduationem.

28. Obiicies Philosophum. 5. Metap. cap. *de vno*, vbi dicit: *Quod vnum numero sunt quorum materia est vna* & 1. de cælo. *Cum dico cælum dico formam, cum dico hoc cælum dico materiam.* Et 12. Metaph. ait, esse plures cælos ratione materiæ, ergo multiplicatio numeralis prouenit à materia. Et confirmatur quia ibid. tex. 49. dicit: *Quæcumque sunt multa numero, materiam habent.* ℞. ex Scoto supr. Philosophum vbicumque similia dicit, debere intelligi, non de materia physica, sed de metaphysica, id est differentia indiuiduali, quæ propter proportionem quam habet cum materia prima physica, satis congruenter appellari potest materia; proportio autem in hoc potissimum consistit, quod quemadmodum materia physica non dat esse principale composito physico, ita nec singularitas dat esse principale indiuiduo: cum non sit de quidditate eius, vt diximus supra n. 22. Et confirmatur hæc solutio, quia certum est Philosophum

phum non semper sumere materiam pro materia physica; nam 5. Metaph. tex. 10. dicit quod homo & equus & canis sunt vnum sicut illa sunt vnum, quorum materia est vna, vbi accipit materiam pro genere, ita vt sensus sit, quod illa sint vnum materia quæ sunt vnum genere, ergo non debet intelligi quod accipiat materiam pro materia prima physica, quare sicut ipse sumit materiam pro genere aliquando, cur non accipiet aliquando etiam pro differentia indiuiduali?

℞. *Secundo* neg. conseq. quia solum sequitur, quod non posset fieri multiplicatio numeralis nisi in rebus materialibus seu dicentibus ordinem ad materiam; sed hinc non infertur quod materia sit principium indiuiduationis: Quod patet, quia licet nihil possit esse risibile, nisi quod sit animal, tamen non inde sequitur, quod animal sit principium formale risibilitatis.

Dices, ergo saltem ex hac explicatione sequitur, non posse dari multiplicationem indiuidualem in vna specie angelica, vbi nulla est materia nec ordo ad ipsam: Quod est contra Scotum. ℞ ita esse iuxta Philosophum, qui ex duobus principiis id colligit. *Primum* est quod Angeli erant producti ab æterno & quidem necessario. *Secundum* quod omne multiplicabile numeraliter sit multiplicabile in infinitum, ex his duobus principiis colligit, si Angeli essent multiplicabiles numeraliter & multiplicarētur de facto; quod infiniti Angeli de facto essent producti, quod cum ipse reputauerit absurdum, non est mirum quod existimauerit, Angelos non esse multiplicabiles numeraliter. Verū ex his duobus principiis, primum est manifeste falsum, quid ergo mirum quod ex principio falso conclusio falsa sit deducta? Et si nos & omnes disconuenimus cum Philosopho in principio, quare non etiam in conclusione?

29. Quinta conclusio, *Principium indiuiduationis in quocumque ente siue substantiali siue accidentali siue materiali siue spirituali, siue totali siue partiali est quædam entitas positiua eiusdem generis cum re, cuius est principium, si substantia substantialis, si accidens accidentalis, quæ est vltima differentia seu realitas in tota coordinatione eius.* Ita Scotus supra q. 6. vbi n. 11. explicat, quæ sit ista entitas à qua vnitas perfecta, qualis est numeralis seu indiuidualis, prouenit. Quemadmodum (inquit) differentia specifica adveniens generi v. g. rationalitas contrahens animal, & diuidit animal & constituit speciem nempe hominem. Sic ista vltima realitas quæ est differentia indiuidualis adveniens speciei v g. Petreitas (vocatur etiam propriissime entitas per quam natura est hæc idest singularis) contrahens hominem & diuidit speciem & cōstituit indiuiduum nempe Petrum; & inferius prosequens hanc comparationem fusius rem declarat.

Probatur ex ipso Doctore ibid. sicut vnitas in communi per se consequitur entitatem in communi, ita quæcumque vnitas per se consequitur aliquam entitatem, ergo vnitas simpliciter qualis est vnitas indiuidui, consequitur per se aliquam entitatem; Sed non entitatem naturæ, quia illius est aliqua vnitas propria & per se realis: vt probauimus q. 2. ergo sequitur aliquam aliam entitatem per se determinantem naturam. Hæc autem entitas determinans naturam est principium indiuiduationis; Et licet formaliter distinguatur à natura, quam determinat & contrahit: vt disp. seq. probabimus; est tamen ea-

dem entitas realiter cum illa; Et in hoc apparet similitudo & proportio eius cum differentia specifica contrahente & determinante genus.

Et Confirmatur: Quia omnis differentia differentium debet reduci ad aliqua primò diuersa: aliàs daretur processus in infinitum in rationibus differentialibus; sed indiuidua verè & propriè inter se differunt, ergo eorum differentia reducenda est ad aliqua primo diuersa; sed ista primò diuersa non sunt natura in illo & natura in isto: quia non est idem, quo aliqua sunt idem & similia formaliter, & quo differunt realiter, ergo cum per naturas conueniant formaliter duo indiuidua eiusdem speciei, assignandæ sunt aliæ entitates, quibus differant realiter, & istæ sunt differentiæ indiuiduales à nobis assignatæ.

Accidẽs non indiuiduatur per subiectum.

30. Ex hac conclusione sequitur, nulla omnino accidentia indiuiduari à suis subiectis: Quod commune est in via Scoti cum recentioribus contra D. Thom. & suos asserentes, accidentia omnia indiuiduari per subiecta, excepta quantitate, quam dicunt seipsa indiuiduari; Sed oppositum huius constat ex dictis conclusione 3. & 5. & amplius confirmabitur vlterius, vbi dicemus duo accidentia solo numero diuersa subiectari in eodem subiecto.

Nec valet Responsio aliquorum Thomistarum dicentium: Hoc non esse intelligendum, ita vt ipsum subiectum sit principium indiuiduationis, aut etiam ordo actualis accidentium ad ipsum; sed ita vt ordo aptitudinalis ad subiectum sit principium indiuiduationis. Nam contra est, quòd eadem numero albedo verbi gratia, posset successiue inhærere variis subiectis, ergo dicit ordinem aptitudinalem ad varia subiecta, ergo non indiuiduatur per ordinem aptitudinalem ad subiectum: (Et hæc ratio probat etiam de anima rationali.) Probatur consequentia: quia non potest indiuiduari per plures ordines; sed si indiuiduaretur per ordinem aptitudinalem, deberet indiuiduari per plures: non enim est maior ratio de vno quàm de altero, & consequenter deberet indiuiduari per omnes, si per vnum indiuiduatur ergo: &c. Deinde quia hæc numero albedo, quæ est in pariete dicit ordinem aptitudinalem ad quodcumque subiectum, ad quod dicit ordinem aptitudinalem, albedo, quæ est in alio pariete: posset enim in quocumque subiecto poni vna, in quo posset poni altera, ergo non indiuiduantur per talem ordinem. Probatur conseq. quia eatenus dicuntur ab aduersariis distingui numero per talem ordinem, quatenus quodcumque accidens distinctum numero tantùm ab alio accidenti dicit aliquem ordinem specialem ad aliquod subiectum, ergo cum hoc sit falsum, falsum erit quòd indiuiduentur per talem ordinem.

31. Sed Obiicies contra conclusionem: quia ex ea sequeretur, dari multas differentias indiuiduales in quolibet indiuiduo, & sic non esset vnum indiuiduum. Probatur assumptum: In quolibet indiuiduo est materia, forma & compositum quorum quodlibet habet propriam hæcceitatem, ergo in quolibet indiuiduo sunt plures hæcceitates: ℞. quòd in quolibet indiuiduo physicè considerato, in quantum scilicet componitur ex materia & forma physica, quæ realiter inter se & ab ipso composito physico distinguuntur, ibi sunt plures hæcceitates; sed non sequitur quod tale indiuiduum physicum sint plura indiuidua: nam cum eius partes sint entia incompleta, licet habeant hæcceitates partiales & incompletas,

completas, tamen non sunt indiuidua completa. Verum quid absurdum quod in vno indiuiduo completo physico dentur plura indiuidua incompleta? si autem consideretur indiuiduum secundum compositionem metaphysicam, prout est quid compositum ex natura specifica & hæcceitate, tunc solum habet vnam hæcceitatem; Nec asserendum iudico, quod genus habeat vnam hæcceitatem partialem, & differentia aliam & sic de reliquis gradibus metaphysicis; Sed existimo cum Scoto 7. Metaph.n. 21. quod eadem hæcceitas quæ contrahit & determinat naturam specificam, etiam singularizat & determinat omnes partes & gradus metaphysicos ipsius. Vnde in forma dist. anteced. In quolibet indiuiduo physice considerato darentur plures hæcceitates, concedo sequel. In indiuiduo metaphysice sumpto, neg. segulam.

Dices, Non est maior ratio quare partes vnius compositi habeant hæcceitates partiales proprias & non partes alterius, ergo: ℞. neg. anteced. & do disparitatem: quia partes physicæ possunt esse à parte rei sine se inuicem; partes vero compositi metaphysici nequaquam esse possunt sine se inuicem aut sine suo toto: identificantur enim inter se & cum toto realiter.

DISPVTATIO IV.

De distinctione rerum.

SICVT vnitas, de qua disp. præcedenti egimus, est passio entis, sic distinctio: Sunt enim opposita vnitas seu identitas & distinctio seu diuersitas: quia omne ens vel est vnum & idem cum altero vel distinctum seu diuersum. Propterea immediate post vnitatem, de Distinctione agimus. sit Quæstio. 1.

QVÆSTIO I.

Quot sint Distinctionum genera?

1. CElebris fuit semper & nunc exstat controuersia inter scholam D. & Scoti in assignando numero distinctionum, præcipue earum, quæ existunt à parte rei; Thomistæ enim duo tantum genera distinctionum concedunt, nimirum distinctionem realem quæ est inter duas res, & distinctionem rationis, quæ est eiusdem rei ad se ipsam diuerso modo conceptam. Quæ distinctio vt & ex etymologia nominis constat, non est à parte rei, sed solum fit per intellectum. Hæc distinctio diuiditur à Thomistis in distinctionem rationis ratiocinantis & distinctionem rationis ratiocinatæ. Illa (dicunt) est quam facit intellectus nullo habito fundamento, vt quando Petrus v. g. prædicatur de se ipso vt ibi ***Petrus est Petrus***, tunc Petrus quatenus subiectum est, distinguitur à se ipso quatenus est prædicatum; Ista vero est quæ fit ab intellectu supposito aliquo fundamento in re. Verum in assignando hoc fundamento valde discrepant inter se, sed modus dicendi, quem puto esse fideliorum Thomistarum, ita hoc fundamentum explicat: quod quando intellectus videt ab eadem entitate reali produci effectus specie distinctos, tunc sufficiens habet fundamentum excogitandi aliquam rationem in illa entitate, quæ sit principium vnius effectus, & aliam quæ sit principium alterius. Et vlterius has duas rationes inter se distinguendi, licet actu ante talem considerationem non distinguantur.

tur. Propterea hæc distinctio appellatur ab ipsis virtualis; & pluribus visa est non distingui nisi penes nomen à nostra distinctione formali. Sed quidquid sit de eorum dissensu circa distinctionem rationis. Nobis solum est controuersia cum ipsis circa numerum distinctionum, quæ dantur à parte rei ante omnem actum intellectus.

Et Notandum *primo*, quantum ad præsens propositum, duo esse genera entium, quæ existunt à parte rei circumscripto omni opere intellectus: Alia sunt ita completa, vt possint existere sine aliis vel naturaliter vel saltem de potentia Dei absoluta: vt indiuidua substantiæ & fere omnia de prædicamento quantitatis & qualitatis; vel si non possunt existere sine aliis, saltem alia possunt existere sine ipsis, vt relationes prædicamentales & modi omnes extrinseci. Alia entia sunt ita incompleta, vt licet à parte rei habeant suas proprias quidditates, tamen nec naturaliter nec de potentia absoluta potest vnum existere sine alio, neque aliud sine ipso: vt sunt prædicata metaphysica superiora & inferiora cuiusque indiuidui, essentia & propriæ passiones. Hinc Scotistæ omnes assignant duo genera distinctionum, quæ præcedunt actum intellectus.

Quid sit distinctio realis?

2. Prior est distinctio realis, quæ quidem triplici via inuestigari potest. *Primo* via separabilitatis, id est quæ reperitur inter ea, quæ sunt separabilia, seu quorum vnum potest esse sine altero. *Secundo* via causalitatis seu principij, id est quorum vnum est principium seu causa alterius. *Tertio* denique via diuersæ subiectationis, idest quæ reperitur inter ea, quæ subiectantur immediate in rebus separabilibus: cum tamen ipsamet sint inseparabilia. Et hæc distinctio semper reperitur inter entia supra priori loco assignata. *Primum* patet, quia certum est, quòd quæcumque res potest existere sine alia re, non sit eadem cum alia re: aliàs contra primum principium idem esset & non esset simul. *Secundum* etiam constat: Quia de Fide est esse distinctionem inter Personas Diuinas, quamuis non sint separabiles, quod quidem ex eo solùm prouenire potest, quòd vna verè & realiter producatur ab alia. *Tertium* denique probatur: quia ex eo colligitur communiter, quòd similitudo vnius parietis non sit eadem realiter cum similitudine alterius parietis: quia subiectantur immediate in parietibus separabilibus realiter, & non quatenus faciunt aliquod vnum. Quod dico propter animam, quæ etsi eadem indiuisibiliter informet brachium & pedem, quæ sunt separabilia, tamen sunt subiecta eius quatenus constituunt vnum per se saltem integrale. Dixi etiam *immediate* quia aliquod vnum indistinctum potest subiectari in rebus separabilibus, ita vt immediate subiectetur in vna & mediate in alia: vt patet in albedine, quæ immediate subiectatur in quantitate & mediate in substantia secundum communem opinionem. Item debet intelligi, nisi tale quid sit infinitum & illimitatum propter essentiam diuinam, quæ vnica & indistincta etiam singulariter est in tribus personis, quæ & distinguuntur realiter & non faciunt ad inuicem aliquod vnum per se. Et denique secunda pars debet intelligi de principio physico & reali, quod per actionem veram & realem principiat, non de principio metaphysico, qualiter se habet essentia respectu suarum passionum, quæ ab ipsa dimanant

dimanant realiter, sed quasi metaphysice.

Posterior distinctio est distinctio formalis, quæ datur inter formalitates, qualia sunt entia posteriori loco supra enumerata; Formalitas autem est ratio obiectiua reperta in re aliqua ante operationem intellectus, secundum quam res potest concipi ab intellectu. Vnde si in re aliqua plures huiusmodi formalitates seu rationes obiectiuæ reperiantur, illæ habebunt inter se distinctionem formalem seu ex natura rei; Nec necessariam censeo subdiuisionem huiusmodi distinctionis in distinctionem formalem & distinctionem ex natura rei, quam ponunt Scotistæ, qui formalistæ seu formalizantes appellantur: quia nec Scotus vnquam talem diuisionem apposuit; imo ex eius verbis colligitur pro eadem vsurpari distinctionem formalem & distinctionem ex natura rei: vt constat ex locis infra citandis. Omnis ergo distinctio quæ præcedit actum intellectus & non est stricte realis, appellanda est formalis seu ex natura rei.

Notandum est *Secundo*, Quod sicut totum physicum cōstat materia & forma tanquam partibus physicis, insuper & accidentibus extrà naturam perficientibus. Ita totum metaphysicum constat formalitatibus tamquam partibus metaphysicis v.g. Homo constans animalitate & rationalitate, item & proprietatibus seu affectionibus, quæ passiones vocantur v. g. risibilitate, flebilitate &c. Et sicut in physicis neutra pars est verum ens naturale, sed solùm ens incompletum & ordinatum ad dandum esse alteri; Ita in metaphysicis quælibet formalitas siue essentialis siue nō non, est vera res nisi vt dat esse toti cōpleto. dicūt ergo Scotistæ, quod licet hoc totum metahydsicum non sit diuisibile in plures res, bene tamen in plures formalitates, quarum quælibet non est formaliter altera, sed habet à parte rei diuersum conceptum obiectiuum & quidditatem, ita quod gradus animalitatis in homine diuersam quidditatem & rationē formalem habet à parte rei à gradu rationalitatis. Ex aduerso autem Thomistæ dicunt tales rationes formales non esse à parte rei diuersas, sed solum concipi vt tales ab intellectu.

3. Sit nostra conclusio. *Supposita distinctione rationis, de qua siue sit multiplex siue vna, non curo, duplex est distinctio quæ præcedit omnem actum intellectus, alia distinctio realis quæ datur inter res, & alia minor, quæ est distinctio formalis & datur inter formalitates.* De Priori nullum est dubium. Posteriorem à Philosopho acceptam locis infra citandis primus in scholas inuexit Scotus 1. disp. 2. quæst. 7. Quem sequuntur ad vnū omnes eius discipuli & præterea Conimbricenses, Fonseca & Ægidius de præsentat. Augustinian. qui etsi eam non teneat, tamen ita eam vindicat ab argumentis & censuris aduersariorum tom. 1. de beatitudine lib. 5. q. 5. art. 2. vt cuiuis studiosissimo Scotistæ conferri possit. Item Vallesius in comment. & controuers. physicis. Probatur *primo* ex eius definitione, quam deducunt Scotistæ ex definitione identitatis illi oppositæ, quam assignat Scotus suprà. n. 44. Dicit Scotus. *Voco identitatem formalem, vbi illud quod dicitur sic idem, includit illud cui sic est idem in ratione sua formali & per consequens per se primo modo.* Ex hac efformatur definitio distinctionis formalis *distinctio formalis est, vbi illud quod dicitur ab alio distinctum, non includit illud à quo distinguitur, in sua ratione formali & per se primo modo;* Sed sic est

quod in composito metaphysico sunt aliquæ formalitates, quæ à parte rei & secluso quocumque opere intellectus taliter se habent, quod neutra includit aliam in sua ratione formali quidditatiua, ergo datur inter ipsas distinctio formalis.conseq.est bona, quia cum à parte rei distinguuntur & non realiter sicut res à re, distinguentur sicut formalitas à formalitate & sic formaliter: probatur minor, quia non possunt prædicari in sensu formali vna de alia: non enim verum est dicere, animalitas est rationalitas, neque è contra rationalitas est animalitas, ergo neutra includit aliam in sua ratione formali, atque adeo distinguuntur formaliter.

Probatur *secundo* ex Aristot. 3. Physicor. vbi dicit: quod actio & passio sumptæ pro fieri rei, vt sunt actus agentis & patientis, sunt idem realiter & quod habent aliud & aliud quid: idest aliam & aliam quidditatem seu formalitatem. Vide quæ diximus ibi. q. 2. Item in ethicis affirmat, quod virtus & iustitia sint eadem res; Sed distinguuntur per rationem quidditatiuam. Et 4. Metaph. idem docet de ente & passionibus eius. Probatur *tertio*: nam gradus communes v. g. entis, substantiæ, Accidentis &c. diuersis definitionibus definiuntur; quam particulares, ergo distinguuntur formaliter: patet conseq. quia eadem omnino res nequit diuersis definitionibus definiri.

Respondet Arriaga in log. disp. 5. sect. 1. subsect. 3. Hoc argumentum, si quid probat, probare etiam contra Scotum, naturam communem distingui à singularitate incompleta. Quod tamen (inquit) ipse Scotus diffitetur. Sed certe nescio vbi hic author talem singularitatem incompletam apud Scotum repererit, nec Scotistam vllum huiusmodi terminis vtentem. Verum, vt video, sect. anteced. n. 4. vt suam in impugnando efficaciam ostentet ipse sibi ex proprio Marte fabricat & argumenta & responsiones pro Scotistis, quibus, non miror, facile sibi videri respondisse.

4. Probatur vltimo conclusio, argumento quo probat Scotus ibidem, essentiam diuinam & Paternitatem in Patre æterno esse duas formalitates ex natura rei & secluso omni opere intellectus formaliter distinctas. De quo videndus noster Poncius hic disp. 71. q. 2. De eadem re omnino in se à parte rei indistincta nequeunt verificari prædicata contradictoria; Sed de animalitate & rationalitate in homine talia prædicata verificantur, ergo non sunt omnino indistincta à parte rei, sed saltem formaliter distinguuntur. ma. est certa, & mi. probatur: quia animalitati conuenit quod sit principium actiuum potentiarum sensitiuarum, non vero rationalitati: item huic conuenit quod sit principium potentiarum rationalium & discurrendi, quod repugnat animalitati, deinde animalitas potest esse in aliquo, in quo non possit esse rationalitas, ergo conueniunt ipsis prædicata contradictoria.

Respondet prædictus Arriaga n. 10. neg. mi. quia (inquit) rationalitas hominis tam est principium sentiendi, quam ipsa animalitas, & hæc tam est principium discurrendi, quam rationalitas, cuius rationem promittit se redditurum sect. seq. vbi negat posse animalitatem concipi ex parte obiecti tamquam quid distinctum à rationalitate. Sed contra: nam præterquam quod hoc est petere principium, ergo ista prædicatio est speciei de indiuiduo: *Petrus est animal*. probo conseq. quia per te animalitas est principiũ discurrendi, per quod homo differt in specie à bruto, ergo cum idem sit

ſit principium conſtituendi & diſtinguendi, per animalitatem conſtituitur Petrus in ſpecie hominis, & conſequenter erit prædicatio ſpeciei de indiuiduo, quod eſt falſum.

5. Videamus modo Thomiſtarum ſolutiones, qui Reſpondent communiter, non requiri formalitates actualiter diſtinctas in aliquo vt de illo verificentur prædicata contradictoria, ſed ſufficere ſi virtualiter ſint diſtinctæ: v.g. quia ab homine procedunt effectus diſcurrendi & ſentiendi, ideo intellectus diſtinguit animalitatem à rationalitate, ſed ante talem actũ ſolũ ſunt virtualiter diſtinctæ. Sed contra *primo*, qualis eſt oppoſitio talis eſt diſtinctio; ſed oppoſitio non eſt virtualis ſed actualis, formalis & ante omne opus intellectus, ergo talis debet eſſe diſtinctio: ma. patet, quia oppoſitio eſt via inueſtigandi diſtinctionem, & mi. probatur: Eſſe principium diſcurrendi & non eſſe tale principium ſunt contradictoria; ſed actualiter & à parte rei rationalitas eſt principium diſcurrendi & animalitas non eſt principium diſcurrendi, ergo actualiter & formaliter & non ſolum virtualiter opponuntur. Et confirmatur, quia ex hoc deſtrueretur principium illud Metaphyſicæ: *Impoſſibile eſt idem ineſſe & non ineſſe eidem ſimul*: patet quia eidem rei omnino ex parte rei indiſtinctæ conueniret eſſe principium diſcurrendi & non eſſe principium diſcurrendi.

Contra *ſecundo*, Vel *per diſtingui virtualiter* intelligitur quod animalitas non ſit formaliter rationalitas, nec è contra; vel intelligitur quod animalitas ſit formaliter rationalitas à parte rei. Si primum, habemus intentum, quia quando dicimus, quod diſtinguantur formaliter, nihil aliud intendimus quam quod à parte rei vna non ſit alia nec è contra. Et idem dicimus de eſſentia & propriis paſſionibus v. g. Humanitate & riſibilitate. Si vero ſecundum dicatur, manet adhuc argumentum, quando quidem impoſſibile eſt, vt diximus, quod eidem omnino rei ſine vlla diſtinctione actuali prædicata contradictoria conueniant.

6. Sed Reſpondetur aliter ad noſtrum argumentum iuxta ſententiam Nominalium, ſupponendo eamdem omnino rem ſine vlla diſtinctione poſſe reſpicere effectus diuerſos. v.g. rem illam ſimpliciſſimam, quæ dicitur *Homo* poſſe reſpicere actum ſenſationis v. g. viſionis aut auditionis, & actum rationis v.g. intellectionem & diſcurſum, & ſecundum quod reſpicit priores actus poſſe vocari vno nomine v.g. *animalis* & definiri etiam vna definitione; ſecundum vero quod reſpicit poſteriores actus, vocari alio nomine diuerſo v. g. *rationalis* & definiri etiam diuerſa definitione; Reſpondetur (inquam) diſt. noſtrum aſſumptum. Animalitas ſecundum quod connotat aut quod reſpicit ſenſationem, diſtinguitur à rationalitate, ſecundum quod reſpicit actus rationales, Concedo. Secundum ſe & abſolute diſtinguuntur, nego. Quod & confirmari poteſt, formando ſimilia argumenta in aliis caſibus, in quibus nullatenus admitti poteſt vlla diſtinctio à parte rei: v. g. Quia ſic poſſet probari, quod ens vt ſic commune Deo & creaturæ (quod ſecundum omnes non dicit niſi vnicam ſimpliciſſimam formalitatẽ) conſtet pluribus formalitatibus. Probatur ſequela: quia vt eſt principium & radix vnius paſſionis v. g. veritatis, poſſet dici quod haberet diſtinctam formalitatem ab illa, qua eſſet radix alterius paſſionis nempe bonitatis. Item hoc idem poſſet probari

bari de ipsa rationalitate, vt est principium metaphysicum intellectus & voluntatis; Et de ipso intellectu vt est principium simplicis apprehensionis, iudicij & discursus: nam in his omnibus & aliis casibus similibus verificari possunt prædicata contradictoria, ergo sicut huiusmodi verificatio non includit in his casibus distinctas formalitates, ita neque in nostro de animalitate & rationalitate & aliis in quibus ipsas ponimus.

Contra hanc replicam, quæ nimis efficax videtur, & optime instatur ab Ouiedo Iesuita Complutensi, in primis facit, quod supponat semper, sed falso, diuersas definitiones & nomina, ex quibus colligimus distinctionem formalem inter aliqua, esse definitiones, quæ dantur de re aliqua, non secundum se, sed vt respiceret res aliquas diuersas. Verum quidem est, diuersas definitiones, quibus sic definiretur aut describeretur res, non arguere necessario distinctionem formalem: vt bene ostendit replica; sed si descriptióibus diuersis definiretur res secundum se, bene argueretur ex hoc distinctio formalis; Quomodo autem cognosci possit, quando res aliqua describeretur secundum se & non vt respiceret res alias distinctas, non est facile assignatu: Posset tamen ad id colligendum esse signum sufficiens, si dicamus, quod vna & eadem formalitas non definiatur quatenus respicit operationes aut res distinctas diuersis definitionibus, si vna ex illis definitionibus possit competere alicui, cui altera definitio competere non possit: v.g. quia definitio quæ datur de animali potest competere alicui, cui definitio rationalitatis non competit, propterea bene colligi potest, non esse eamdem formalitatem, quæ vtraque definitione describitur. Ex quo habetur sufficiens ratio disparitatis ad præfata & plura alia exempla, quæ adduci possunt contra nostrum assumptum: vt bene probat & applicat noster Poncius hic à n. 45. Qui & explicat ibidem à n. 64. auctoritates omnes Patrum & conciliorum, quas cum magno strepitu & censuris in nos obiiciunt aduersarij.

Obiicies *primo*, duo sunt genera entium scilicet ens reale & rationis, ergo duplex est solum distinctio realis scilicet & rationis, atque adeo gratis fingitur distinctio formalis; patet consequentia quia distinctio sicut vnitas est passio entis. ℞. quod sumendo ens reale pro omni eo, quod existit à parte rei, verum est anteced. & sic etiam distinctio formalis est realis. Attamen cum duo sint genera entium existentium à parte rei: vt constat ex Notabili primo, duo etiam sunt genera distinctionum, quæ dantur à parte rei realis scilicet & formalis. Nec video quo potiori iure propter diuisionem entis rationis in rationis ratiocinantis & rationis ratiocinatæ subdiuidant Thomistæ distinctionem rationis, quam nos Scotistæ propter similem diuisionem entis realis, non subdiuidamus distinctionem realem.

7. Obiicies *secundo*, Inter quæ datur distinctio formalis, deberet etiam dari realis, sed hoc est falsum, ergo & illud: probatur sequela, quia ideo daretur formalis inter aliqua & non realis, quia formalis est minor quam realis; Sed hoc est falsum, cum inter illa, inter quæ datur distinctio formalis, vt inter hominem & brutum, æque bene etiam detur distinctio realis, ergo &c. ℞. neg. sequelam. Ad probat. dico, in primis ma. esse falsam in sensu præciso & formali, sed ratio est, quia dantur principia colligendi formalem, & non sunt principia colligendi

colligendi realem? Sed potius sunt principia colligendi, quod non detur distinctio realis. Deinde dico, mi. esse etiam falsam; Et ratio cur distinctio formalis est minor, est quia illæ formalitates seu conceptus obiectiui, qui solum formaliter distinguuntur, non sunt ita distincti, vt vnum possit separari realiter ab altero, aut ab altero produci, qualiter se habent, quæ realiter distinguuntur. Dici etiam potest minor distinctio illa, quæ est formalis, quia non sufficit ad hoc, vt quod sic distinguitur, dicatur simpliciter alia res ab illo, à quo sic distinguitur, quod secus est in distinctione reali. Ad probat. mi. dico, fundari in æquiuocatione nominis *distinctionis formalis*. Quæ quidem capi potest dupliciter. *primo* pro distinctione quam habent res diuersarũ essentiarum aut formarum, siue illæ distinguantur realiter siue non & in hoc sensu distinctio formalis potest stare cum separabilitate & alietate proprijssima, & identitas formalis opposita ipsi potest stare cum distinctione reali, vocando illa eadem formaliter, quæ nõ habent dissimiles formas, sicut non habẽt indiuidua eiusdem speciei & similiũ accidentium, sed assertio nostra non est de hac distinctione formali. Alio modo sumitur distinctio formalis pro ea, quæ est inter formalitates realiter identificatas; Et hæc necessario reperitur cum identitate reali & excludit distinctionẽ realem; Nec sic dicuntur distingui formaliter homo & brutum; aut Petrus & Paulus non distingui formaliter; sed solum reperitur inter formalitates, quarum exempla adduximus & explicauimus in Notabili. Vnde in forma neg. mi. loquendo de distinctione formali, de qua nos agimus.

6 Obiicies *tertio*, Hæc distinctio formalis, si daretur, esset etiã in Deo inter diuinas perfectiones: vt ex Scoto supra citauimus inter essentiam diuinam & paternitatẽ v.g. sed ex hoc sequeretur dari in Deo compositionem, si non physicam, saltem metaphysicam, quod est absurdum: quia sequeretur, quod Deus non esset summe simplex: omnis enim compositio opponitur simplicitati, ita vt quo magis sit aliquid compositum, eo minus sit simplex, ergo non datur talis distinctio formalis. Probatur mi. quia quandoquidem dentur in Deo plures formalitates à parte rei distinctæ etsi identificatæ realiter, daretur in illo similis compositio, ac datur in homine inter animalitatem & rationalitatem, humanitatem & risibilitatem, animam & suas potentias in nostra sententia, ergo &c. ℞. conces. ma. disting. mi. daretur in Deo compositio sumpta pro vnione distinctorum formaliter conced. mi. Nec id est absurdũ sicut nec vt in sententia aduersariorum quòd detur vnio distinctorum virtualiter, quæ sicut non opponitur simplicitati debitæ Deo, ita nec nostra distinctio formalis daretur in Deo compositio sumpta pro vnione aliqua distinctorum, quæ dedeceret Deũ & argueret in ipso imperfectionẽ neg. mi. Vnde dum aduersarij arguunt imperfectionem ex nostra distinctione formali, potius quam ex sua virtuali in Deo, manifeste petunt principium.

Solum restat examinandum: Qua ratione quandoquidem ponamus eamdem distinctionem inter essentiam diuinam & paternitatem v.g. inter diuinã naturã & eius attributa seu perfectiones verbi gratia sapientiam & iustitiam; ac inter animalitatem & rationalitatem in homine? Hic detur compositio saltem metaphysica distinctorum, inuoluens imperfectionem actus & potentiæ scilicet perfectiui & perfectibilis, ibi vero non? Sed ad hoc æqualiter debent Respondere contrarij ponentes eamdem distinctionem virtualem vtrobique, cuius non est

potior ratio arguendi imperfectionem compositionis in creatis, quam in diuinis, quod si aliqua apponatur ab ipsis, eadem & assignabitur à nobis pro nostra distinctione formali. Solutio tamen absoluta & adæquata ac ratio disparitatis assignata manet supra disp.2.n.11. Quæ potiori iure militat in diuinis perfectionibus, quarum quælibet est ex se infinita formaliter. Legantur ibi dicta & noster Poncius hic à n. 53.

9 Obiicies *quarto* cum Arriaga vbi supra. Si gradus metaphysicus superior esset ex natura rei distinctus à suis differentiis, & indifferens ad illas, vt nos ponimus, sequeretur conceptum entis & substantiæ quæ est in Angelo & in Anima rationali, posse esse in lapide ex quo vlterius sequeretur, nec Animam nec Angelum esse entia spiritualia. Probatur: quia quod includit aliquid quod non est spirituale, non est spirituale, sed nihil potens esse in lapide est spirituale, & Angelus ac anima includunt aliquid quod potest esse in lapide, ergo includunt aliquid quod non est spirituale. Et confirmatur: Quia sequeretur etiam, quod aliqua ratio formalis reperta in Deo v.g. ratio entis, substantiæ, sapientiæ vt sic communis vniuoce Deo & creaturis posset esse in creatura, & aliquid repertum in creatura posset esse in Deo. Quod (inquit Arriaga) erroneum & chymericum est: quia daretur aliquid in rerum natura quod nec creatum sit nec increatum: nimirum illa ratio communis: non creatum quidem, quia potest esse in Deo, non increatum quia potest esse in creatura. ergo &c.

℞. Facile dist. sequelam anteced. talis conceptus posset esse in lapide secundum se vel aliquam formalitatem sibi similem quantum ad conceptum formalem, adeo vt non possit discerni inter ipsas secundum rationes suas formales, conced. sequelam. secundum se positiue & realiter consideratam, neg. Et nego etiam conseq. Ad cuius probationem dist.ma. quod includit aliquid quod non est spirituale realiter loquendo conced.ma. quod non est spirituale formaliter loquendo, sed tale tamen quod potest identificari spiritualitati neg.ma. & dist. similiter mi. quod est in lapide nequit esse spirituale secundũ se realiter loquendo, conced.mi. formaliter loquendo quantum ad hoc, quod in suo comceptu formali præciso non reperiatur aliqua repugnantia, quominus possit reddi spirituale. neg.mi. Ad confirmat. ℞. eodem modo dist.ma. Aliqua ratio reperta in Deo formaliter abstrahens ex suo conceptu formali ab infinitate & aliis siue formalitatibus siue modis intrinsecis Deo ipsi propriis, sic vt illa ratio vel secundum se vel secundum aliquam formalitatem ipsi omnino formaliter similem possit reperiri in creatura conced.ma. Nec id est chymericum aut erroneum, sed potius oppositum, quod est contra principia vulgaria Metaphysicæ. Aliqua formalitas seu ratio reperta in Deo, vt afficitur formalitatibus seu modis intrinsecis Deo soli propriis, aut etiam secundum se positiue neg.ma. Ad probat. mi. dico, non sequi ex admissa illa ratione communi ac indifferenti, dari formaliter aliquid, quod non sit aut creatum aut increatum: quia illa ratio formalis vt in Deo est quid increatum, non quidem ex suo conceptu formali, sed ex identificatione sui cum Deo; Et similis ratio formalis reperta in creatura est quid creatum, non etiam ex sua ratione formali, sed ex identificatione sui cum creatura.

Quod si instes, ergo saltem dabitur aliqua ratio seu formalitas, quæ secundum

cundum suum conceptum formalem nec sit quid creatum nec increatum: ℞. id esse verum & tam vulgariter admissum in schola Scoti, vt non debeat videri mirum nisi ignoranti nostra principia: vt Arriaga, aliàs author satis versatus, in multis videtur ignotare, dum nonnullas sententias Scoti tanquam nouam & inauditam doctrinam, intendens ipsas impugnare, admiratur.

10. Inquires: *Qualiter distinguantur naturæ superiores ab inferioribus?* Pro solutione huius dubij Notandum est, naturam communem & superiorem comparari posse vel ad differentiam, per quam contrahitur, vel ad naturam inferiorem, in qua includitur, & de qua directe prædicatur: v.g. animal & potest comparari ad rationalitatem, per quam contrahitur, & ad hominem, in quo includitur essentialiter: Et similiter Homo ad Petreitatem verb.g. & ad ipsum Petrum. Huc vsque disputauimus de distinctione inter duas formalitates animalitatem, rationalitatem, risibilitatem &c. Sed de naturis superioribus respectu inferiorum est non ignobilis controuersia inter Scotistas. Sirectus Mauritius, Vallonus & alij Formalistæ tenent superiores naturas distingui formaliter ab inferioribus; inferiores vero esse idem formaliter cum superioribus. E contra vero Trombeta, Bassolius, Rada cum aliis Scotistis dicunt naturas inferiores distingui formaliter à superioribus, superiores vero esse idem formaliter cum inferioribus.

Sed Resolutio nostra est, *Quamlibet naturam superiorem distingui à sua inferiori distinctione formali inadæquata, & similiter inferiorem eadem distinctione inadæquata à sua superiori distingui.* Ita noster Faber tractat. de formalitatibus cap.8. & 9. & Pontius hic n.75. Colligitur ex Scoto in reportatis 1. dist. 33.q.2. in corpore, vbi assignat duplicem identitatem formalem, adæquatam scilicet, vbi nihil includitur in vno quod non in alio, & inadæquatam, quæ consistit in hoc, quòd licet vnum contineat aliquid, quod sit de diffinitione alterius, tamen aliquid addit vel minuit ab entitate alterius. *Quare* (inquit Scotus) *definitio & definitum sunt idem identitate adæquata; sed homo & animal sunt idem identitate inadæquata: quia homo plus includit, puta rationale.*

Probatur: Nam illa distinguuntur formaliter, quorum vnum est extra definitionem alterius, id est quæ habent diuersas definitiones; sed homo verbi gratia, inadæquate est extra definitionem animalis, & animal inadæquate est extra definitionem hominis, ergo inadæquate mutuo distinguuntur, & per consequens inadæquate etiam sunt idem formaliter. ma. est certa ex superius dictis & mi. probatur: quia animal est pars definitionis hominis, & homo talem definitionem habet, quòd pars eius sit tota definitio animalis, ergo homo secundum quod includit animal est ipsum animal formaliter, & secundum quòd rationalis est, est aliud formaliter ab animali; & similiter animal secundum quod est pars definitionis hominis est idem formaliter cum homine, & secundum quod non dicit totam definitionem hominis est aliud formaliter ab homine. Quod verò talis distinctio sit mutua, probatur, quia ex Aristot. 5. Metaph. & cap. de *Ad aliquid* & ex Scoto ibid. & alibi sæpe relationes primi generis sunt mutuæ; sed identitas & distinctio si non sunt relationes, tamen imitantur naturam earum præsertim quoad mutuitatem, ergo distinctio hæc inadæquata quam po-

nimus inter naturas superiores & inferiores, erit mutua: Impossibile enim videtur quod Petrus sit similis vel dissimilis Paulo, & quod Paulus non sit etiam similis vel dissimilis ipsi in eodem genere & ratione.

QVÆSTIO II.

An detur inæqualitas aliqua aut dissimilitudo inter res eiusdem speciei?

SEnsus Quæstionis est, an inter indiuidua eiusdem speciei detur dissimilitudo aliqua aut inæqualitas præter hoc quod vnum non sit alterum. Quæ difficultas licet disputari soleat communiter in lib. de Anima, inquirendo ipsam de animabus rationalibus & ab aliquibus, vbi disputant de indiuiduis, quia tamen difficultas communis est omnibus indiuiduis, eiusdem speciei, à nobis proponitur discutienda in præsenti, vbi agimus de rerum identitate & distinctione; ex quibus colligenda est inæqualitas & dissimilitudo inter ipsas, si datur. Pro solutione.

11. Notandum, non esse difficultatem de inæqualitate perfectionis accidentalis: quia certum est duo indiuidua eiusdem speciei posse esse inæqualis perfectionis accidentalis, puta melioris ingenij vnum quam alterum, melioris indolis, ac sanioris complexionis. Item neque de inæqualitate perfectionis substantialis integralis? quia certum est, duo indiuidua eiusdem speciei constantia ex partibus heterogeneis ac etiam homogeneis posse sic esse inæqualia: nam cæcus & mancus sunt sic substantialiter imperfectiores, quam homines illi, quibus nulla pars integralis deest. Est ergo difficultas an Indiuidua eiusdem speciei constantia partibus etiam integralibus omnibus eiusdem speciei, sint aut possint esse inæqualis perfectionis substantialis ex natura sua intrinseca substantiali indiuiduata: verbi gratia duo Angeli, duo ignes eiusdem magnitudinis, aut duo homines habentes partes integrales omnes eiusdem naturæ sine defectu vllius partis ex parte vnius, qui defectus non sit ex parte alterius. Vbi supponitur pro certo, quod si aliqua huiusmodi indiuidua sint inæqualis perfectionis, ita vt possit vnum aliquid facere, cui simile non possit fieri ab altero, aut alia ratione vnum appareat perfectius altero, quod differentia & inæqualitas ista nō possit conuenire ipsis ratione naturæ specificæ, quæ supponitur esse eiusdem rationis & perfectionis in vtroque sine vlla differentia, quare debet necessario prouenire formaliter & proxime à differentia indiuiduali.

12. Sit Conclusio, *Nec datur nec potest dari inæqualitas perfectionis aut vlla dissimilitudo inter indiuidua vlla eiusdem speciei, quæ est vere & à parte rei infima & non subalterna.* De hac difficultate nihil certum tradidit Scotus, solum 3. dist 15. dicit, animam Christi domini fuisse omnium perfectissimam, Nec explicat de qua perfectione loquatur, quare de accidentali & non de substantiali potest intelligi. Pro nostra conclusione stant plures Durandus, Argentin. Sonzin. Sotus, Toletus de Anima quæstione 17. noster Poncius disp. 6, q. 10. Probatur *primo* ex Aristot 3. Metaph. tex 11. vbi dicit, *quod in genere est prius & posterius, non in specie*, Et clarius circa finem: *in Indiuiduis vero non est hoc prius, illud posterius:* Ad quem locum Scotus numero 41. tenet

tenet expreſſe noſtram ſententiam. Probatur ratione : Non eſt ponenda ſubſtantialis inæqualitas ſine neceſſitate; ſed hic nulla eſt, ergo; Probatur mi. inæqualitas iſta vel colligitur à priori vel à poſteriori, ſi à poſteriori, hoc eſſet ex exceſſu operationum in diuerſis hominibus v. g. in diſcurrendo vel ſimilibus; ſed hoc non ſufficit, ergo. Probatur mi. quia ſimilis exceſſus datur in operationibus eiuſdem hominis pro diuerſis temporibus, & tamẽ vnus non eſt nunc perfectior nunc imperfectior ſe ipſo ſubſtantialiter. Item quia talis exceſſus in operationibus diuerſorum hominum poteſt prouenire à diuerſa diſpoſitione organorum à quibus pro hoc ſtatu dependent potentiæ; & non ab exceſſu in perfectione ſubſtantiali.

Si autem à priori colligatur inæqualitas, hoc eſſet ex diuerſa ratione differentiæ indiuidualis; ſed hoc eſt falſum, ergo. Probatur mi. nulla perfectio ſubſtantialis competit alicui ratione differentiæ indiuidualis, ergo ab ea non poteſt colligi inæqualitas in perfectione ſubſtantiali. Probatur anteced. *Primo* quia differentia indiuidualis ſupponit omnem perfectionem eſſentialem & ſubſtantialem in natura, ergo nullam addit. *Secundo* quia licet Petrus habeat per differentiam indiuidualem negationem Pauli ideſt quod non ſit Paulus, ita etiam habet Paulus negationem Petri, per quam æquiualet ipſi, atque adeo ſunt æquales.

Sed obiicies articulum Pariſiens. qui reputat abſurdum dicere, animam Chriſti Domini non fuiſſe perfectiorem anima Iudæ. ℞. eſſe intelligendum de perfectione accidentali & extrinſeca ſcilicet de donis gratiæ, meliori diſpoſitione organorum &c. non vero de perfectione ſubſtantiali propter rationes adductas, Quod ſi aliter intẽdatur in articulo, negandus eſt.

QVÆSTIO III.

Vtrum omnes ſpecies diuerſæ habeant neceſſario inæqualem perfectionem?

13. *Concluſio eſt affirmatiua* & communis contra noſtrum Poncium diſp. 5. quæſt. 3. vbi oppoſitam æque probabilem nititur defendere. Probatur *primo* ex verbis Ariſtot. q. præced. citatis, vbi ait: ſub genere inueniri in ſpeciebus prius & poſterius, hoc eſt melius ac deterius, ergo ſpecies diuerſæ neceſſario debent eſſe inæquales in perfectione. Nec valet reſponſio Poncij, num. 36. quod hoc non ſit vniuerſaliter verum, ſed ſufficere quod ita ſit in aliquibus ſpeciebus. Nam contra eſt, ad hominem diſcurſus, quem ipſe facit adducens hanc eamdem auctoritatem diſp. 6. num. 77. vbi ex eo, quod duo indiuidua ſub eadem ſpecie infima ſint eiuſdem perfectionis, infert vniuerſaliter, quod omnia ſint æqualia: quia eadem ratio eſt de quibuſcumque indiuiduis, ergo ſimiliter ſi ſpecies aliquæ ſub genere, eo quod ſint diuerſæ in perfectione, ſunt inæquales omnes vtique vniuerſaliter debent eſſe inæquales.

Cuius ratio à priori, meo iudicio, eſt quia ſicut quæ ſunt æqualis perfectionis, ſunt omnino ſimilia & conſequẽter eiuſdem ſpeciei, ſic quæ ſunt diuerſæ ſpeciei, debent eſſe inæqualis perfectionis, aliàs eſſent & non eſſent eiuſdem vel diuerſæ ſpeciei. Probatur quia ſi non eſſent omnino ſimilia, eſſent diſſimilia. Et ſi eſſent diſſimilia, eò ipſo deberent eſſe diſſimilia in perfectione, & ſi eſſent talia, deberent

esse inæqualia, quia illud in quo essent dissimilia, necessario poneret inæqualitatem inter illa. Nec est instantia in contrarium in attributis & perfectionibus Diuinis: quia cum hæ infinitæ sint, nequit vna alteram excedere, atque adeo neque inæquales esse. Et Confirmatur ex dicto Aristot. 8. Metaph. tex. 10. quod essentiæ rerum sunt sicut numeri, & similitudo debet esse in hoc quod sicut ex numeris nulli duo sunt distincti plusquam numero, quorum vnus non sit perfectior aut imperfectior altero, ita omnes essentiæ rerum, quæ plusquam numero sunt diuersæ, debent necessario inæquales esse in perfectione: nam sicut ex eo quod sint eiusdem speciei, infertur necessariò ipsas esse æquales, ita ex eo quòd sint diuersæ speciei, etiam necessario infertur, ipsas esse inæquales.

14. Dices contra nostram rationem, quam existimamus esse à priori, quod licet in his, quæ dissimilia sunt, necessario sit aliquid in vno, quod non sit in altero, non propterea debent necessario esse inæqualia: quia posset esse in illo alio aliud æquiualens, & ideo non excedi ab altero: ℞. hoc nullatenus posse contingere: nam vt diximus in Log. docente disput. 1. n. 10. ex Aristot. & Scoto, genus analogicè id est inæqualiter participatur à speciebus ratione differentiarum, quæ inæquales sunt. Et patet manifeste in prima contractione seu determinatione entis per finitatem & infinitatem: Sic similiter necessario contingit in omni contractione entis. Quare impossibile est, quod in vna re diuersa in specie ab alia reperiatur altera differentia æquiualens, sed necessario debet esse vel perfectior vel imperfectior.

DISPVTATIO V.

De Veritate, Entis secundo attributo.

QVÆSTIO VNICA.

In quo consistant rationes formales Veri & falsi?

1. NOTANDVM primo ex Scoto 6. Metaph. q. 3. n. 5. Quod alia est veritas in rebus, alia in intellectu, Veritas in intellectu, quæ & complexa dici solet, & consistit in affirmatione obiecti sicuti est, non pertinet ad Metaphysicum sed ad Animasticum, vt notat ipse Doctor ibid. num. 15. Veritas in rebus, quæ est incomplexa (& est attributum entis, diciturque verum transcendentale) dupliciter potest considerari. *Primo* per comparationem ad causam producentem, & hoc vel per adæquationem in natura singulari: Quo modo Verbum in Diuinis est verissimum; vel per imitationem, quo modo omnis creatura est vera in essendo, vt participat Diuinam essentiam secundum mensuram sui exemplaris seu Ideæ. *Secundo* est veritas in rebus comparatiuè ad intellectum, quatenus sunt manifestatiuæ sui intellectui, & provt facta manifestatione intellectus verè intentionaliter fit res cognita.

2. Sit prima conclusio: *Veritas rei comparatiua ad suam causam secundum mensuram suæ Ideæ seu exemplaris consistit in quadam relatione de tertio genere relatiuorum, qua est relatio imitationis*

tionis ſeu menſurabilis ad menſuram. Ita colligi poteſt ex Scoto docente, relationem imaginis ad prototypum eſſe de tertio genere relatiuorum: Concluſio magis eget explicatione quàm probatione. Eſt igitur *Verum* in hoc ſenſu, quod habet in ſe vere & realiter non vero apparenter aut metaphorice prædicata eſſentialia, prout prius habuit eſſe in idea artificis, quæ fuit eius cauſa exemplaris. v.g. aurum eſt verum aurum in hoc ſenſu, quatenus non eſt aurum apparens, & vt ſic importat negationem apparentis. Et hæc eſt communiſſima acceptio veri maxime inter non Philoſophos. Quare ſi quis rogetur, cur Petrus ſit verus homo? non reſpondebit, quia eſt cognoſcibilis, ſed quia non eſt homo pictus vel per imitationem aut metaphoram. In quo ſenſu vſurpauit *verum* D. Auguſt. 2. Soliloquior. cap. 5. dicens, *Verum eſſe id quod eſt, non autem id quod videtur*; *Aut quod tale eſt, quale videtur.* Hæc veritas conuenit omni enti: nam licet aurichalcum v. g. non ſit verum aurum, eſt tamen verum aurichalcum; Et Homo pictus eſt verus homo pictus ſeu vera pictura hominis.

Dices, *Verum* in hoc ſenſu non eſt proprie attributum entis, ſed ipſa entis eſſentia, quæ vt ſic formaliter dicit negationem chymeræ. ℞. neg. anteced. aurum enim v.g. non dicitur verum aurum per negationem chymeræ, ſed per negationem apparentis auri aut imitantis verum aurum, quale eſt aurichalcum, & hoc non eſt non ens & non aurum præciſe; ſed non aurum cum imitatione quadam, quæ eſt relatio imitationis ad ſuam ideam. Ens autem in quantum eſt ens ſecundum ſuam eſſentiam formaliter, præciſe opponitur non enti; at vt verum opponitur apparenti.

3. Secunda concluſio, *veritas ſumpta comparatiue ad intellectum vltra entitatem rei intrinſecam, quam dicit de materiali dicit de formali relationẽ potentialem conformabilitatis ad conceptum mentalem ipſius: Id eſt quod ita eſt vt concipitur vel vt poteſt concipi.* Ita etiam vſurpauit *verum* D. Auguſt. vbi ſupra: *Verum eſt quod ita ſe habet vt videtur cognitori, ſi velit & poſſit cognoſcere.* Eſt communis & ſolum eget explicatione. Pro qua & vt circulus in ea vitetur, aduerte: Quando dicitur obiectum verum, quia eſt conformabile cum cognitione: Et hæc vera, quia conformatur obiecto vero, hanc veritatem obiecti, in qua vltimo ſiſtitur, non eſſe veritatem in hac ſecunda acceptione vt ſic enim eſſet manifeſtus circulus, ſumitur ergo in priori ſenſu, pro veritate quæ independens dicitur à cognitione. Vel poteſt & melius dici, cognitionem non dici veram, quia conformatur obiecto vt vero, ſed quia conformatur obiecto ſecundum ſe prout eſt à parte rei. Item Aduerte, veritatem prout in hac concluſione exigere neceſſario & eſſentialiter cognitionem poſſibilem. Vnde ſi hæc eſſet impoſſibilis, non daretur talis veritas in obiecto quia non eſſet cognoſcibile; daretur tamen, licet actu non cognoſceretur.

Dices, ſublata omni habitudine ſiue actuali ſiue aptitudinali ad quodcumque extrinſecum ſcilicet ad intellectum vel ad cognitionem poſſibilem, nihilominus lapis v.g. eſt bene intelligibilis ſecundum ſuam rationem abſolutam, ergo ſuperflue additur illa relatio conformabilitatis. ℞. quod tunc lapis eſſet fundamentaliter verus, ſed non formaliter. Verum quidem eſt repugnante omni intellectu, lapidem futurum verum lapidem, ideſt habiturum id in ſe quod ego ſignifico & concipio

principio hoc nomine *lapidis*; sed quia *verum* in communi consensu philosophorum id significat quod est intelligibile repugnante intellectu, non dabitur talis veritas.

Quemadmodum assignauimus duplex verum, vnum in ordine ad causam, aliud in ordine ad intellectum, sic duplex erit falsum, circa quod.

4. Sit tertia conclusio, *Nullum datur falsum in rerum natura, nec vt opponitur vero comparatiue ad causam, nec vero comparatiue ad intellectum.* Posterior pars est communis & facilis probatu. Quia falsum vt opponitur vero per comparationem ad intellectum, est quod non est conformabile ad aliquam cognitionem, idest quod non est intelligibile; Sed nihil tale est in rerum natura, ergo &c. Prior pars probatur: quia falsum vt opponitur vero per comparationem ad causam, est quod non imitatur suam ideam seu exemplar; sed nihil est in rerum natura non habens talem imitationem, ergo. Probatur mi. Sicut arte facta dicuntur vera, quando sunt conformia regulis artis: ita creaturæ veræ sunt per conformitatem ad artem Dei, in qua sũt omnia exemplaria seu ideæ, ergo cũ nulla creatura aberret à regulis huius artis, omnes habebunt conformabilitatem ad suam causam secundum mensuram suarum idearum, omnis ergo creatura vera est etiam in hoc sensu.

Obiicies *primo*: Aurichalcum est falsum aurum: degenerat enim ab idea veri auri, ergo. ℞. quod artifex intendens producere aurichalcum, non habuit ideam auri, sed aurichalci, à qua certum est non degenerare, propterea est verum aurichalcum. Si tamen sumas aurichalcum respectiue ad aurum, dico quod in hoc sensu est falsum aurum, quia solum est apparenter aurum; sed tamen in se est verum aurichalcum, idest verum aurum apparens, de hoc autem habuit ideam artifex & hoc intendit producere, non vero aurum verum.

Obiicies *secundo*, Quando aliquis effectus siue naturalis siue artificialis degenerat à regulis artis & naturæ dicitur falsus: sicut sunt monstra artis & naturæ, ergo datur aliquod falsum comparatiue ad suam causam. Probatur anteced, quia talis effectus degenerat ab exemplari & idea artificis, ergo &c. ℞. quod licet talis effectus in ordine ad regulas artis, iuxta quas habuit ideam artifex, dicatur falsus, quia ab ipsa degenerat, tamen in se non est falsus; est enim verum monstrum, & habet conformabilitatem ad ideam artificis, qui illud intendit, & iste est Deus: nam artifex creatus non intendit monstrum, sed alium effectum iuxta regulas artis, & respectu istius potest dici monstrum effectus falsus, sicut aurichalcum respectu auri, non tamen in se. Cum igitur nullus detur effectus, licet monstrosus sit & falsus iuxta regulas artis, qui sit præter intentionem Dei, in quo sunt exemplaria & ideæ omnium, hinc est quod nulla sit res falsa in ordine ad suam causam, quia nulla est degenerans ab idea causæ, de cuius intentione euenit.

DISPVTATIO

DISPVTATIO VI.

De Bonitate, entis tertio Attributo.

QVÆSTIO VNICA.

In quo consistant rationes formales boni & mali?

1 SCOTVS 2. d. 7. num. 11. triplicem bonitatem distinguit naturalem, moralem & meritoriam, prima dicit tantum entitatem rei & pertinet ad Metaphysicum. Secunda dicit conformitatem cum recto dictamine & aggregationẽ omnium, quæ secundum illud debent adesse, & hæc pertinet ad Philosophum moralem. Tertia ex inclinatione gratiæ ius addit ad obtinendum præmiũ & hæc spectat ad Theologum. Bonitas naturalis de qua nos in præsenti subdiuiditur à Scoto quodlib. 18. n. 3. in primariam seu essentialem & in secundariam seu accidentalem, illa est integritas seu perfectio entis in se, vt quando nihil deest spectans ad primum esse eius; Ista consistit in integritate cõuenientiæ vnius rei respectu alterius. Dixi *respectu alterius*, quia integritas & perfectio entis in se est ipsa quidditas seu bonitas essentialis ex Scoto ibidem. Item bonum in se potest sumi tripliciter *primo* essentialiter: sic dicitur homo constans anima & corpore: *secundo* substantialiter ex partibus integrantibus, quando nulla pars integralis desideratur: vt homo constans omnibus membris. *Tertio* accidentaliter ex accidentibus rei conuenientibus tam in actu primo, quam secundo. Nullum datur ens in rerum natura, quod non sit bonum in primo modo. Et sic intelligitur D. August. lib. de natura boni, dum ait, nullam naturam esse malam: quia eo ipso, quod corrumpitur, natura non est. Bonum alteri est duplex ex Scoto 4. d. 46. q. 4. n. 4. Honestum scilicet, quod per se decet naturam rationalem: vt virtus, honor &c. Et delectabile, quod affert voluptatem: vt cibus dulcis, aliud bonum ab istis duobus, quod est vtile, non distinguit ab ipsis Scotus, quamuis 8. Ethicor. 2. ponatur tertium bonum: Quia (inquit Scotus) *ad alterum horum reducitur, secundum quod ad ipsum ordinatur.* Bonum in isto sensu sumitur pro apto nato vt appeti possit, idest pro appetibili ex Scoto. 4. d. 49. q. 2. vbi docet, aliud esse appetibile propter se, aliud propter aliud, & dari vltimum appetibile, ne detur processus in infinitum.

2 His sic prænotatis, eodem prorsus modo philosophari debemus de bono in se & in ordine ad voluntatem, ac q. præced. diximus de vero in se & in ordine ad intellectum. Sicut ergo verum in se consistit in eo quod habeat sua prædicata essentialia vere & proprie, & non tantum apparenter & metaphorice, & hanc veritatem circumloquimur per negationem apparentiæ, dicendo, quod est tale ens verum & non apparens; ita bonum in se dicit suam quidditatem & essentiam cum integritate ad talem essentiam requisita, & hanc bonitatem seu integritatem circumloquimur per negationem imperfectionis in suo esse. Item sicut verum in ordine ad intellectum posuimus in relatione aptitudinali

intelligibilitatis, ita nunc bonum alteri & in ordine ad voluntatem ponimus in respectu aptitudinali appetibilitatis.

Sed Aduerte quod supra in simili de Vero notaui, quando dicitur, quod voluntas potest appetere seu amare obiectum, qua bonum est, non accipi ly *bonum quia est appetibile*: esset enim inepta responsio: Proinde ac si quis diceret, esse appetibile quia est appetibile, sumitur ergo bonum tunc pro taliter bono in se, vt bonitas sit prima radix, cur possit bonum taliter vel taliter amari à voluntate iuxta diuersitatem actuum eius.

Quot sunt genera boni, tot sunt mali vice versa: Quod ex dictis facile intelligitur, vt non oporteat amplius in hoc immorari. Excipe tamen bonum essentialiter, cuius non datur malum oppositum: vt notaui supra ex D. August. quia omne ens est bonum in isto sensu, vnde etiam est, quod omne ens sit appetibile aliquo modo: propterea appetibilitas est passio entis.

DISPVTATIO VII.

De diuisione Entis in X. Prædicamenta.

HVCVSQVE de conceptibus transcendētalibus egimus, à quibus recto ordine ad prædicamentales descensum facimus tamquam à communioribus & abstractioribus ad minus communes & particulares: illi enim vt bene notat Scotus 2.d.1.q.5.n.26.& alibi, ideo dicuntur transcendentales, quia transcēdunt omnia prædicamenta: hoc est conueniunt rebus contentis in dece omnibus prædicamentis; isti vero dicuntur prædicamentales, quia contracti & determinati sunt ad determinata prædicamenta seu classes, in quibus collocantur. Horum prædicamentorum numerum communiter assignant *decem* omnes Peripatetici cum Aristot. Et dicunt, diuidi ens in illa tamquam in decem genera generalissima. Propterea non admittunt aliam diuisionem immediatiorem in substantiam & accidens: Quia sequeretur (dicunt aliqui) decem prædicamenta non esse generalissima: cum accidens vt sic esset tunc genus ad nouem prædicamenta Accidentis. Ex quo etiam sequeretur, ista non esse primo diuersa: cum conuenirent in ratione Accidentis communi ipsis. Sit ergo Quæstio.

QVÆSTIO I.

Vtrum diuisio Entis in decem prædicamenta sit exacta?

1. PLato, vt refert Aristoteles 3. Metaph. cap. 3. vnicum tantum prædicamentum entis assignauit. Xenocrates & Andronicus antiqui Philosophi duo posuerunt, vnum substantiæ alterum Accidentis. Et Pythagorici viginti, decem bonorum & decem malorum teste Aristo. 1. Metaph. cap. 5. Vides quanta discordia sit inter Philosophos antiquos in assignatione huius numeri? Nec desunt rationes pro ipsis: nam sicut modus essendi *per se* additus enti constituit vnum prædicamentum scilicet *substantiæ* & prædicatur in quid de inferioribus ad illam; ita modus essendi *in alio* additus enti constituit aliud prædicamentum scilicet *Accidentis* vt sic, quod sit commune & prædicatur in quid de nouem prædicamentis Accidentium. Item si sex vl-

tima prædicamenta sunt formaliter relationes vt postea dicemus, ergo potest assignari aliud prædicamentum *Relationis* vt sic communis ipsis & tertio prædicamento; Et aliud *Accidentis absoluti* communis *quantitati & Qualitati*. Ex alio etiam capite potest reiici hæc diuisio, scilicet quod sit diminuta: nam descendendo ad inferiores rationes, possent plura prædicamenta inueniri: vt exemplis facile ostendi posset, si hic esset aliqua realis controuersia. Inutilibus ergo contentionibus relictis,

2. Sit nostra conclusio, *Numerus decem prædicamentorum solum propter authoritatem plurium Philosophorum cum Aristotele tenetur; non vero quia ad illum determinandum sit aliqua ratio conuincens*. ita Scotus 4. d. 13. quæst. 1. num. 9. & 5. Metaph. q. 6. n. 4. vbi dicit: *Quod non oportet ponere decem sicut dicit Auicenna*. &c. Verum tamen quia cum cōmuni opinione hæc diuisio est amplectenda, ita suaderi potest eius sufficientia: Omne ens finitum (tale enim est quod diuiditur in decem prædicamenta) vel est per se & propter se, vel in alio & propter aliud. Si primum, est *substantia*, si vero secundum est *accidens*; Substantia autem cum vnum essendi modum habeat, vnicum constituit prædicamentum; Accidens vero cum propter substantiam habeat esse, in tot genera diuidetur, quot sunt effectus accidentales primo diuersi; sunt autem nouem huiusmodi effectus: nam accidens est necessarium substantiæ, vt producatur in esse & vt esse communicet, & sic habentur duo effectus accidentales primo diuersi scilicet *Actio* & *Passio* hæc vt recipiatur esse, illa vt esse communicetur. Præterea Accidens est necessarium substantiæ vt conseruetur in esse. Et hoc vel vt dispositio rem fouens & conseruans in esse, vel vt forma productionem & conseruationē rei per se subsequens, si dispositio rem fouens, aut hæc est interna aut externa, si interna, vel requiritur ratione materiæ, vt scilicet eius partes situaliter distinguat, & sic est *Quantitas*, vel requiritur ratione formæ, quæ totum exornat, & sic est *Qualitas*. Si est externa & per accidēs coniuncta cum toto, erit *Habitus*. Si vero est forma ipsam productionem & conseruationem subsequens, vel est intrinsecus vel extrinsecus adueniens, si intrinsecus, cōstituit tertium prædicamentum, si vero extrinsecus adueniens sit, vel est causa essendi in loco vel in tempore, si secundum, est *Quando*, si primum, vel est causa essendi in loco cum certo ordine partium inter se, & erit *Situs*; vel est causa essendi in loco simpliciter & sine vllo ordine partium & sic est *Vbi*. Alij breuius, alij latius explicant, sed de re nullum est dissidium. Hoc autem intellectum bene institutum cōuincere debet, quod nemo hucvsque aliam diuisionem meliorem aut aptiorem, aut quæ aliquem locum in scholis sibi vendicauerit, excogitare potuerit: sit ergo Quæst.

QVÆSTIO II.

Quæ conditiones requirantur, vt aliquid collocetur in prædicamento?

TRipliciter potest aliquid poni in prædicamento vel *directe* id est in linea recta eo modo quo *substantia, corpus, viuens & animal* collocātur in prædicamento substan. vel *indirecte* idest à latere eo modo quo *corporeum incorporeū, rationale & irrationale*. Vel reductiue idest non ratione sui, sed ratione alterius ad cuius essentiam & integritatem aliquo modo spectat sic *risibilitas*

& flebilitas ponuntur in eodem prædicamento. His notatis.

3. Sit prima conclusio, *vt aliquid collocetur directe & per se in prædicamento debet esse ens reale, vnum per se, finitum completum, concretum Metaphysice & abstractum Physice.* Probatur quoad *primum*, quia ens quod diuiditur in decem prædicamenta est ens reale. Quoad *secundum* etiam: quia quod taliter ponitur in prædicamento, debet habere rationem generis vel rationem speciei; sed quod non est per se vnum, non potest habere tales rationes, quia vt sic deberet prædicari *in quid* qualiter non potest ens per accidens, ergo &c. Probatur quoad *tertium*: quia vt ens infinitum qualis est Deus poneretur in prædicamento, deberet abstrahi ab illo aliquis conceptus communis, qui haberet rationem generis; sed non est in Deo aliqua realitas, à qua abstrahi possit conceptus genericus; vt satis subtiliter probat Scotus 1. d. 8. q. 3. §. *teneo opinionem meam*, ergo nec potest poni in prædicamento. Quod Theologi tractat. de Deo vno, examinare solent, & modo à nobis supponendum est. Omne ergo quod in prædicamento ponitur debet esse, ens finitum. Quoad *quartum*: quia ista prædicamenta solum constant ex prædicatis Metaphysicis, qui genera & species completæ denominari possunt, sed prædicata Metaphysica, quæ ab entibus incompletis v. g. à partibus Physicis, puta materia & forma abstrahi possunt nequeunt denominari genera & species completæ, vt de se patet, ergo &c. Ex hoc habes quod licet materia, & forma, item & corpus, quod est compars cum anima ad compositionem viuentis, ponantur in prædicamento *substantiæ*, non tamen directe, sed quasi à latere componentes aliquod totum completum. *Quintum de concreto Metaphysice* addidi propter prædicamẽtum substãtiæ, in qua nulla abstracta possũt ad inuicẽ prædicari *sextum de abstracto Physice* propter prædicamenta accidentium: cuius rationem insinuat Scotus q. 11. prædicamentali: vide quæ diximus in logica docente disp. 1. q. 4.

4. Secunda conclusio, *Non requiritur necessario quod ea quæ in diuersis prædicamentis collocantur, sint realiter distincta tanquam res à re, sed sufficit distinctio ex natura rei formalis.* Ita colligo ex Scoto q. 10. prædicamentali & 2. d. 1. q. 5. n. 26. vbi respondens ad quoddam argumentum de identitate relationis cum re alterius prædicamenti non reputat inconueniens concedere ipsam. Neque ex hoc sequeretur, prædicamenta non esse primo diuersa cõtra Aristot. 5. & 10. Metaph. *Quia* (inquit) *dicerentur primo diuersa quantum scilicet ad rationes formales eorum, ita quod nullum illorum formaliter includat alterum, sed per identitatem inexistendo vnum contineat alterum.* Item ex Arist. cap. de qualitate idem colligitur de *scientia*, quam dicit posse poni in prædicamento *relationis & qualitatis* secundum diuersas rationes formales: nam vt explicat Scotus q. prædicam. citata §. *ad Aristotelis auctoritatem*: Nihil prohibet hoc sic idem annumerari in diuersis generibus, quod nõn est tunc idem essentialiter. Conclusio est recepta inter Thomistas, licet non ijsdem fundamentis & instantiis cum nostris probetur ab ipsis. Nobis sufficiat instantia figuræ, quæ idem omnino accidens est; & tamen inquit Scotus ibid. §. *ad secundum dico, quod hoc nomen figura est vno modo significans superficiem terminatam lineis, & sic est in genere quantitatis, alio modo significat ipsam inclusionem linearum siue terminationem, & sic est in quarta specie qualitatis.*

Sed Dices cum aliquibus Scotistis. Omnis distinctio essentialis est realis, ergo si concedimus distinctionem essentialem inter res diuersorum prædicamentorum, etiam debemus concedere distinctionem realem. ℞. neg. anteced. vniuersaliter acceptum, quod falsificari posse constat exemplis proxime adductis. Et ratio à priori est quod distinctio essentialis tantum requirit diuersum constitutiuum ac proinde penes diuersas formalitates saluari potest; distinctio autem realis exigit vlterius esse aliquod completum ab altero separabile vel saltem causabile, nec opus est, vtrumque simul in eodem ente semper reperiri.

Ex his patet solutio ad Dubia initio disputat. nam prædicamenta essent quidem primo diuersa subiectiue secundum suas rationes formales; sed non propterea tollitur ab ipsis conuenientia in aliqua ratione formali: aliàs nec in ratione entis conuenirent, sed solum ad hoc requiritur, quod non conueniant in primo genere, aut in aliquo, in quo includitur ratio primi generis; Et per hoc distinguuntur entia realia vnius prædicamenti ab entibus realibus alterius prædicamenti, quod hæc omnia conueniunt in aliquo vno genere illius prædicamenti, in quo non conueniunt cum entibus vllius alterius prædicamenti.

5. Obiicies contra primam conclusionem: Ideo non posset ab ente infinito nempe Deo abstrahi conceptus genericus atque adeo nec poni in prædicamento, quia omne genus dicit gradum perfectibilem & potentialem, qui Deo repugnat; sed non apparet potior ratio, ob quam substantia vt sic genus generalissimum prædicamenti sit genus ad substantias creatas, quam substantia vt sic quæ vniuoce prædicatur de Deo & de substantia creata sit genus ad ipsas, ergo posset æque bene ens infinitum collocari in prædicamento? Resp. in re forte ita esse: nam diuisio rerum in diuersas classes seu prædicamenta videtur fuisse Philosophis ita voluntaria, sicut diuisio & distributio scientiarum in diuersas congregationes habituum: iuxta dicta disp. 1. num. 8. Vnde posset dici: ideo ens infinitum non collocari in prædicamento: quia re vera Philosophi non voluerunt diuidere in prædicamenta, nisi entia creata & finita. Sed est alia subtilis ratio & communis apud Scotistas, nimirum ideo substantiam vt sic non esse genus ad finitam & infinitam, etsi communis sit ipsis vniuoce: quia non contrahitur ad ipsas per differentias essentiales, sed per modos intrinsecos, quemadmodum ens vt sic contrahitur ad ens finitum & infinitum. Vnde communiter dicitur, quod ens descendendo vsque ad decem prædicamenta contrahitur per modos intrinsecos ad sua inferiora; In prædicamentis autem omnis conceptus communis contrahitur per differentias essentiales; Et hinc isti dicuntur conceptus generici, & differentiales, ex quibus constant prædicamenta; illi autem quia omnia transcendunt, dicuntur transcendentales. Conuenienter autem assignati sunt & appellantur modi intrinseci, rationes contrahentes conceptus transcendentales: quia vt diximus differentiæ sola genera contrahunt; & contra communem hominum sensum vocaretur genus, quod omnibus rebus vel fere omnibus est commune: ideo enim inuenta sunt genera, vt res in certas classes distribuantur, & ab aliis dignosci possint. Et hic communis consensus Doctorum præcipue Scotistarum, deberet nobis sufficere pro quæstione de nomine: qualis est, An

conceptus communis determinabilis per alium, antequam descensus fiat ad prædicamenta, debeat appellari genus, nec-ne? Si quid autem est de re in ipsa, propter exclusionem compositionis in Deo, quæ dicat & inuoluat imperfectionem, iam explicatum est supra disp.4.n.8.& disp.2.n.11.

DISPVTATIO VIII.

De Substantia.

QVÆSTIO I.

Quid sit substantia?

DVPLICITER vsurpatur hæc vox *substantia*: *primo* pro essentia cuiusque rei, & tunc sumitur late & diuagatur per omnia prædicamenta quia vnumquodque habet suam propriam essentiam. *Secundo* sumitur prout distinguitur contra Accidens. Et in hoc sensu disputamus de ipsa in præsenti, vbi conceptum formalem & quidditatiuum eius inuestigamus. Dicitur autem *substantia à substo seu subsisto* quod est idem ac sustentari in se & subiici aliis: stare enim seu sistere significat propriis viribus inniti, non alienis, & ly *sub* denotat existentiam sub alio. Quod quidem solum conuenit substantiæ creatæ, non increatæ: quia hæc cum in se sit simplicissima & perfectissima; non potest aliis subiici, ea in se recipiendo. In quo sensu D. August. lib. de cognitione veræ vitæ cap. 2. negauit Deum dici sustantiam, & poni in prædicamento substantiæ.

1. Sit prima conclusio, *Essentia seu quidditas substantiæ prout distinguitur contra Accidens recte explicatur per subsistere. Idest per hoc quod substantia dicatur esse ens per se siue in se & non in alio satis explicatur conceptus quidditatiuus eius.* Est communis & probatur ex Aristot. cap. de substantia, vbi post diuisionem substantiæ in primam & secundam, vtramque sic definit: *Prima* quæ proprie & principaliter ac maxime dicitur substantia, est, *Quæ neque in subiecto aliquo est, neque de subiecto aliquo dicitur. Secundæ substantiæ sunt quæ non sunt in subiecto, de subiecto tamen dicuntur*; Sed per dici vel non dici de subiecto nequit explicari quidditas substantiæ: quia hoc competit illi per intellectum, ergo per non esse in subiecto seu per esse in se explicatur ab Aristot. essentia substantiæ.

Obiices *primò*, substantia nihil aliud significat quam *stantiam*? seu *stare sub aliis*, vt patet ex illo D. Isidori lib. Etymologiar. cap. 26. *Substantia est quæ proprie substare dicitur*, ergo substare accidentibus est prima definitio substantiæ. ℞. quod etiam significat subsistere, quod est idem ac esse in se & non in alio, vt dixi; Ex his autem duabus rationibus quæ prior est & intimior proprius & essentialiter explicabit quidditatem substantiæ; subsistere autem est prior quam substare. Quod sic probo: Hæc causalis est vera quia substantia per se existit, est primum subiectum accidentium, non vero econtrà quia est primum subiectum accidentium, ideo per se existit. Præterquam quod argumentum desumptum ab etymologia nominis nihil valet: sæpe enim sumitur nomen ab aliquo munere seu operatione, quam res ipsa exercet: vt videre est in nomine *lapis*, quem

quem communiter deducunt à lædendo pedem, qui est effectus valde accidentalis, idem est in præsenti de nomine *substantia* à *substando*.

Dices, saltem respectus aptitudinalis, quem habet substantia ad sustentanda accidentia erit conceptus quidditatiuus & essentia eius. ℞. neg. hoc, quia si per impossibile daretur aliquod ens finitum, quod nequiret substare accidentibus, & præterea non posset inhærere, adhuc esset substantia prout substantia opponitur accidenti. Deinde quia accidentia aliqua habent etiam aptitudinem ad sustentanda accidentia: Quantitas enim sustentat qualitates materiales, & Qualitates sustentant relationes, & vna Relatio sustentat aliam relationem in nostra sententia.

Quod si instes, non explicari essentiam substantiæ per ordinem sustentandi quomodocumque, sed per ordinem sustentandi vltimate, ita scilicet vt dicatur substantia, quod ita substat accidentibus aut sustentat illa sic, vt ipsummet non sustentetur ab vllo alio, cui inhæret. Sed contra, ergo non sufficit ponere in explicatione substantiæ sustentationem accidentium, nisi ponatur vlterius negatio sustentationis ipsiusmet substantiæ ab vllo alio; sed sic est quod per ipsammet negationem aut fundamentum eius posset melius explicari: vt seq. conclus. constabit, vbi ab ipsa vel potius à fundamento eius dicemus, substantiam habere esse per se & distingui ab omni accidenti, ergo &c.

Obiicies *secundo*, esse per se & non in alio conuenit accidentibus, ergo non recte explicat naturam substantiæ, vt distinguitur contra accidens: probatur anteced. quia Accidentia eucharistica existunt per se, & non in alio, ergo &c. ℞. quod esse per se & non in alio, per quod explicacatur natura substantiæ est non esse in alio nec actualiter nec aptitudinaliter, qualiter non conuenit accidentibus etiam eucharisticis: quia hæc aptitudinem habent ad inhærendum subiecto, explicatur ergo natura substantiæ per hoc quod ita connaturaliter existat per se, vt dicat negationem & actualis & aptitudinalis inhærentiæ.

2 Secunda conclusio, *Esse per se seu perseitas, quæ est ratio formalis constitutiua substantiæ, est quid positiuum ad quod sequitur formaliter ineptitudo ad inhærendum, siue illa ineptitudo sit quid positiuum nempe respectus aliquis, siue sola negatio, non curo.* Est communis & probatur, quia omnis entitas positiua, cui repugnat aliquid, quod non repugnat alteri entitati, debet esse distinctæ rationis positiuæ ab illa entitate: si enim essent omnino similes, quod repugnaret vni, repugnaret alteri ex sua ratione formali, ergo cum repugnet substantiæ esse in alio tanquam in subiecto inhæsionis, idque non repugnet accidenti, debet entitas illa quæ est substantia, esse positiue dissimilis in ratione entis, in quo, vt constat ex dictis disp. 2. q. 2. vniuoce conueniunt, ergo in ratione aliqua alia positiua disconueniunt, & consequenter in substantia dabitur aliqua alia formalitas positiua præter formalitatem entis; Sed illa talis potius est dicenda constitutiuum substantiæ, quam vlla negatio sequens, ergo &c. Et confirmatur, quia à Philosopho hic negatio essendi in alio apponitur tamquam proprietas substantiæ, ergo non est ratio formalis constitutiua eius; Si autem ineptitudo ad essendum in alio sit respectus aliquis, etiam debet præsupponere aliquid positiuum, ratione cuius competit sub-

stantiæ.

ſtantiæ potius quam accidenti, & conſequenter omnis talis reſpectus potius habebit rationem proprietatis, quam conſtitutiui eſſentialis; Et illud aliud poſitiuum ratione cuius ei competit, potius erit conſtitutiuum eſſentiale ſubſtantiæ.

3. Aduertendum tamen pro maiori explicatione: Quod *non eſſe in alio* poteſt intelligi vel *negatiue* vel *poſitiue*, ſi negatiue, tunc non eſſe in alio dicet formaliter negationem actualis & aptitudinalis inhærentiæ, & hæc negatio poteſt dici proprietas ſubſtantiæ in quarto modo, accipiendo proprietatem pro omni eo, quod omni & ſoli conuenit neceſſario & non eſt eſſentiale ipſi; non tamen erit proprietas, quatenus talis dicitur illud quod identificatur rei realiter; quia nequit identificari ſic negatio vlli poſitiuo: vt patet. Si vero intelligatur poſitiue *non eſſe in alio*, ſenſus erit quod ſubſtantia habeat ineptitudinem poſitiuam; Et hæc ineptitudo poteſt ſumi vel pro perſeitate conſtitutiua ſubſtantiæ, tuncque non erit proprietas ſed conſtitutiuum eſſentiale eius; vel pro aliquo reſpectu aptitudinali, qui ſequeretur ad illud poſitiuum, & talis reſpectus, ſi detur in ſubſtantia, erit proprietas ipſius in quarto modo & identificata ipſi realiter. Quid autem in hoc dicendum ſit? Exiſtimo non dari huiuſmodi reſpectum poſitiuum, ſed quod illa negatio aptitudinalis inhærentiæ ſequatur immediate ipſam rationem eſſentialem ſubſtantiæ; Nec videtur debere vnquam aſſignari aliqua proprietas poſitiua, quæ non habeat munus aliquod poſitiuum, quale talis reſpectus non videtur habere poſſe. Sed de hoc, vt dixi, non eſt curandum.

QVÆSTIO II.

Quid addat ratio perſonæ ſeu ſuppoſiti in ſubſtantia ſingulari?

4. NOta *primo*, Accidentia ſicut, ſubſtantiam habere ſuam propriam exiſtentiam: omnis enim res actualis eſt exiſtens, imo vt dixi ſupra, exiſtentia nec formaliter diſtinguitur ab eſſentia actuali: exiſtentia accidentium dicitur exiſtentia in alio, & exiſtentia ſubſtantiæ dicitur exiſtentia in ſe, & hæc explicatur per ſubſiſtentiam: quia exiſtere in ſe idem eſt quod ſubſiſtere, omnis igitur ſubſtantia ſingularis, eo ipſo quod eſt exiſtens in ſe, eſt ſubſiſtens, ex quo ſequitur quod hæc ſubſiſtentia non ſit aliud, quam exiſtentia propria ſubſtantiæ ſingularis coaleſcentis ſicut ex materia & forma cum ſuis exiſtentiis partialibus, ita cum ſuis ſubſiſtentiis partialibus in hoc ſenſu, quæ vnam naturam ſingularem exiſtentem & ſubſiſtentem componunt. Per hanc ſubſiſtentiam natura ſingularis adhuc non eſt perſona: quia vt inquit Scotus 1.d.25.n.2. *ratio ſubſiſtentis indifferens eſt ad abſolutum & relatiuum.* Quod dicit propter naturam diuinam, quæ antecedenter ad perſonalitates eſt ſubſiſtens per ſuam ſubſiſtentiam abſolutam, & etiam quælibet perſona diuina eſt ſubſiſtens per ſuam ſubſiſtentiam relatiuam. Perſonatur autem quælibet natura ſingularis per ſubſiſtentiam incommunicabilem. Et hæc eſt quæ principaliter & quaſi per antonomaſiam ab omnibus communiter dicitur ſubſiſtentia. Propterea non admittunt Theologi naturam humanam Chriſti Domini habere propriã ſubſiſtentiam: quia

quia ibi non est persona humana, sed solum persona Verbi Diuini. Inquirimus, ergo hic, quid addat ratio formalis istius subsistentiæ incommunicabilis, quæ est ratio personæ supra naturam & substantiam singularem?

5. Quam rationem personæ aut suppositi dari in rerum natura, non est adeo certum, quod possit ratione aut discursu naturali ostendi, præcipuè si in positiuo consistat; si autem in negatione aliqua sequuta ad naturam singularem ponatur, etsi posset colligi naturaliter, ipsam dari (ex eo enim quod quis conciperet Petrum v. g. vt ens completum & per se existens, conciperet ipsum vt habentem negationem existentiæ in alio & negationem indigentiæ alicuius alterius complementi) dato quod per suppositū intelligeretur ens taliter existēs, tamen quod talis negatio vel ratio alia quæcumque, in qua consisteret formalis ratio suppositi, distinguatur realiter à natura singulari & sit separabilis ab ipsa, nequaquam scire possemus nisi ex reuelatione, quæ habetur de mysterio Incarnationis; ex eo autem optime deducitur, vt traditur à Theologis tractat. de eodem mysterio: nam de fide est Verbū diuinum assumpsisse naturam humanam singularem & non suppositum humanum seu personalitatē; sed ipsū verbū in duplici natura cū sola diuina personalitate subsistere.

6. Nota *Secundo* & accipe significationem propriam & discrimen horū nominum *singulare, indiuiduum, prima substantia, subsistens vel subsistentia, res naturæ, hypostasis, suppositum & persona* quæ omnia conueniunt in hoc, quod significant aliquod non vniuersale, differunt vero propriis significatis. Cum ergo *vniuersale* sit vnum in multis & de multis, *singulare* hoc negat: quia de multis prædicari nequit; cumque vnum prædicabile de multis sit natura communis, quæ in illis multis diuiditur, *indiuiduum* hoc excludit & significat naturam connotando indiuisionem; hæc duo scilicet *singulare & indiuiduum* in omnibus prædicamentis reperiuntur. *Prima substantia* nihil aliud est quam indiuiduum substantiale, vnde addit supra singulare rationem subsistentiæ, seu existentiæ per se ob quam solum addit supra indiuiduum hoc quod est pertinere ad prædicamentum substātiæ. *Suppositum* vltra primam substantiam importat modum standi per se solitarie absque eo quod possit vniri & communicari alteri modo inferius explicando nam prima substantia singularis & indiuidua alteri communicabilis est, vt patet in natura humana singulari vnita verbo diuino in Christo Domino. *Res naturæ, hypostasis, subsistēs, vel subsistentia* idem significant quod suppositum. Tandem *persona* supra rationem suppositi solum connotat naturam intellectualem: nam in substantiis ratione carentibus suppositum non persona reperitur.

Ex quo Nota *tertio*, quod hæc subsistentia incommunicabilis est quasi indifferens ad personalitatem & ad meram suppositalitatem. Suppositalitas mera est propria naturæ irrationalis, itaque hæc subsistentia in diuersis naturis dicitur personalitas aut suppositalitas mera: vt v. g. si subsistentia verbi diuini vniretur (vt potest vniri) cum lapide vel cum leone, non constitueret cum illo personam, sed merum suppositum; vnita autem cum natura humana constituit personam. Suppositum autem sic communiter definitur. *Est substantialis naturæ incommunicabilis existentia;* Persona vero sic definitur ex Richardo de S. Victore 4. de Trinitat. cap. 22. *Est intellectualis naturæ incommunicabilis, existentia.* Circa quam incommunicabilitatem,

7 Nota *quarto*, omni naturæ singulari completæ siue creatæ siue increatæ competere posse aliquam communicabilitatem quæ non potest competere personæ. Quod patet ex duobus fidei mysteriis Trinitatis scilicet & Incarnationis: nam ex priori habetur quod natura diuina singularis communicatur tribus Personis Diuinis per realem identitatem, quo modo nulla ex illis personis communicari potest; ex posteriori vero habetur, quod natura humana singularis possit communicari Verbo Diuino, cui tamen persona creata communicari non potest tali modo. Ex quo constat in communicationem & incommunicabilitatem quam dicit persona formaliter, qua talis esse oppositam communicabilitati & communicationi, quā habere potest natura singularis completa. Vnde.

Asserendum est *primo*, quod vt aliqua substantia singularis completa dicatur personari seu esse personata, non requiratur vlla alia negatio, quam negatio actualis communicationis cum vllo alio siue formaliter siue realiter distincto, cum quo faciat vnum per se: nam omnis talis substantia, quæ afficitur tali negatione, dicitur persona seu suppositum, & quæ non habet illam, non dicitur talis vt constat & in natura Diuina, quæ esset persona ex se, si non esset communicata actu Patri, Filio, & Spiritui Sancto; & in natura humana, quæ etiam esset persona, nisi esset actu communicata verbo Diuino, ergo non requiritur vlla alia negatio vltra prædictam. Quod si dicas, naturam singularem personari absque tali negatione: vt constat in iisdem ipsis naturis Diuina & humana, quæ communicantur actu sic, ergo non requiritur ad personationem talis negatio. ℞. hoc verum esse, quando personatur natura, quæ ex se non est persona mediante aliquo positiuo; non vero quando personatur per aliquod negatiuum. Itaque duobus modis potest intelligi natura esse personata, vno modo per negationem communicationis actualis cum aliquo, cum quo faciat vnum per se, alio modo per communicationem actualem cum aliquo tali. Quando vero natura habet esse personata per communicationem actualem cum aliquo tali, tunc non est necesse vt recipiat à personalitate negationem communicationis etiam in ordine ad alia distincta ab ipsamet personalitate: vt patet in natura Diuina, quæ non obstante quod personetur per Paternitatem, quatenus communicatur Patri, adhuc communicatur Filio, & Spiritui Sancto; Quod & patet etiam in natura humana in sententia authorum, qui dicunt quod possit immediate assumi à pluribus personis.

Secundo asserendum est, Naturam, quæ personatur, non habere à personalitate necessario aliam incommunicabilitatem nisi quod non possit communicari & quod non communicetur simul cum personalitate vlli alteri, cum quo faciat vnum per se, & de quo possit formaliter prædicari in concreto substantiuo. Patet quia omnis natura personata habet huiusmodi incommunicabilitatem: nam aliàs persona ipsa esset communicabilis contra definitionem ipsius; Non habet autem aliam: quia si haberet maxime, quia non posset ex suppositione coniunctionis eius cum personalitate communicari vlterius; sed hoc est falsum: vt constat ex dictis: quia natura Diuina personata personalitate Patris, vlterius communicatur, ergo. Quod si dicas, naturam singularem Petri habere à sua personalitate, quod non possit vlterius communicari, ex suppositione

quod

quod coniungatur cum personalitate, etiam secundum se specificatiue, ergo personalitas tribuit naturæ aliam incõmunicabilitatem, quam prædictam. Respondeo, dist. conseq. Personalitas vt sic neg. conseq. Personalitas talis particularis ex ratione sua particulari conced. conseq. Itaque si detur personalitas negatiua: quales secundum nos sunt omnes personalitates & suppositalitates creatæ, illæ sine dubio tribuent aliam incommunicabilitatem, præter illam, quam asserimus, quia quandoquidem illa personalitas sit negatio communicationis naturæ cum vllo alio, cum quo faciat vnum per se sequitur quod in sensu composito talis negationis natura non possit etiam de potentia absoluta communicari.

Ex his infertur *primo*, incommunicabilitatem quam dicit persona, seu quæ de persona in concreto prædicari potest, non bene explicari esse illam, à qua habet non posse communicari alicui, cum quo faciat vnum per se, neque à qua habet non posse communicari per se vlli extrinseco; nec denique à qua habet non posse communicari per se vlli personæ: Duæ priores partes constant: quia Verbum Diuinum est persona, & tamen de facto communicatur per se naturæ humanæ, quæ & est extrinseca ipsi, & cum ea facit vnum per se, hominem. Tertium etiam patet, quia nulla res bene explicatur per ordinem ad aliquid eiusdem rationis cum ipsa, ergo incommunicabilitas, quam dicit persona, & sub qua debet concipi, non bene explicatur per ordinem ad personam: quia ignotum non bene explicatur per æque ignotum. Infertur *secundo*, incommunicabilitatem, quæ de persona vt sic in concreto prædicatur, esse illam à qua habet, quod non possit communicari vlli distincto, à quo compleatur, sicut essentia diuina completur per relationes originis, & natura humana Christi Domini per Verbum Diuinum, à quo assumpta est: constat etiam ex dictis, nam omnis substantia quæ non habet talem communicabilitatem est persona, & nulla quæ habet illam, est persona; nec potest melius explicari incommunicabilitas, quam dicit persona vt sic, quam hoc modo.

8. Solùm restat examinandus modus dicendi Scoti 3. d. 1. q. 1. n. 9. Vbi videtur asserere, quod natura singularis personetur, quando habet negationem actualis & aptitudinalis dependentiæ, & quod illa duplex negatio sit personalitas ipsius; vbi communis modus explicandi ipsum est dicere, quod loquatur non de personalitate vt sic, nec de personalitate aliena naturæ creatæ, sed de personalitate propria naturæ creatæ, à qua illa natura haberet esse personata, & tamen non non esse in alio sed in se. Contra quam explicationem videtur *primo* obstare, quod omnis negatio aptitudinis, quam dicit natura singularis Petri v. g. ad dependendum quomodocumque ab alio, sit necessario coniuncta cum illa atque adeo non spectat ad personalitatem, nec tribuitur ab illa naturæ: quandoquidem personalitas sit separabilis à re, cui non potest forma opposita coniungi; sed nulla aptitudo separata à re potest coniungi cum re: quia omnis aptitudo rei est respectus transcendentalis identificatus realiter ipsi, ergo nulla talis potest esse separata: *Secundo* obstat quod in natura Petri, non obstante sua personalitate, sit aptitudo ad dependendum à verbo diuino; quia non solum potest ab ipso dependere, sed etiam perficeretur per talem dependentiam: maxime in sententia Scoti: qui ponit perfectibilitatem & aptitudinem in entibus

ordinis naturalis ad perfectiones supernaturales.

Sed Respondeo, Scotum eatenus requirere negationem aptitudinalis communicationis ad personalitatem creatam propriam, quatenus non potest intelligi vlla negatio esse personalitas propria creata, quin intelligatur subiectum ipsius esse ineptum ex natura sua propria ad dependendum ab aliquo positiuo distincto, quantum ad hoc quod non exigat connaturaliter talem dependentiam: Sic enim explicat illam ipsemet Scotus ibidem: Et est congruentissima explicatio mentis Doctoris, & per quam tolluntur oppositæ difficulates; Prior quidem, quia concedimus, quod illa negatio sit inseparabilis à natura; Posterior etiam: quia licet natura personata personalitate propria habeat aliquam aptitudinem ad dependendum à verbo, non tamen aptitudinem connaturalis exigentiæ, sine cuius actu sequeretur quod natura esset in statu violento: His necessario prænotatis ad intelligentiam Quæst.

9. Sit nostra conclusio, *Suppositum creatum non superaddit naturæ singulari suppositatæ aliquid positiuum realiter ab illa distinctum, Sed solummodo quid negatiuum.* Hæc est absolute sententia nostri Doctoris 3.d.1.q. 1. vbi licet rationes pro opposita etiam proponat, tamen ipsas soluit, non vero quas pro ista proponit. Item ibidem.dist.5. q. 1.& 2. vbi si oppositam etiam probabilem apud se reputaret, vt bene notat Poncius, non solueret sufficienter quæst. secundam. Est contra Thomistas communiter, quorum aliqui antiquiores dicebant, positiuum quod addit ratio suppositi esse existentiam & characteristicas proprietates accidentales. Alij existimant, esse solam existentiam. Alij dicunt esse modum positiuum quemdam substantialem. Posterior pars nostræ conclusionis sequitur euidenter ex priori, supposito quod ratio personæ aut suppositi dicat aliquid distinctum à natura singulari vt & supra n. 5. ex mysterio Incarnationis supposuimus, vnde non indiget alia particulari probatione, quam quæ sufficit pro priori.

Probatur autem sic ex præmissis definitionibus suppositi & personæ communiter receptis ab omnibus Philosophis & Theologis: Quia si poneretur natura singularis completa absque aliquo positiuo superaddito, vtraque præmissa definitio conueniret ipsi, ergo esset persona, atque ideo ad rationem personæ non requiritur aliquid positiuum vltra naturam singularem: probatur anteced. quia esset substantia completa singularis per se existens & non communicata alteri in quocumque sensu, in quo persona significatur incommunicabilis in prædictis definitionibus: patet quia nihil deesset humanitati v. g. sic constitutæ, quominus esset intellectualis naturæ indiuidua substantia & incommunicabilis existentia, ergo nihil deesset ipsi quominus prædictæ definitiones competerent ipsi.

Quod si dicas deesse ipsi, quod non sit in se completa: nam in illis definitionibus intelligitur non quæcumque natura, sed natura completa: aliàs anima rationalis separata esset persona: quia vt separata formaliter & non coniuncta, implicat coniungi. Contra, quia quando dicis, quod natura illa, quæ ponitur in definitione personæ debeat esse completa, vel intelligis de natura completa singulariter, idest quæ non sit nata esse pars physica aut metaphysica alicuius, totius;

totius; vel intelligis, quod debeat esse aliquo alio modo completa Si primum Humanitas de qua loquimur est completa, vt patet, ergo non deesset ipsi ratio personæ propter hoc. Si secundum, Inquiro, quod aliud complementum desit ipsi? Et certe non potest assignari quodnam illud sit, aut quod munus eius: cum natura sic singulariter existens posset omnes suas operationes tam materiales quam spirituales æque bene exercere.

Deinde si assignari posset; Per illud ipsum complementum explicaretur ratio personæ sufficienter, non ponendo in eius definitione, quod habeat incommunicabilem existentiam, & sic sine necessitate adderetur illud de incommunicabilitate. Probatur assumptum: nam ideo ponimus in definitione bruti negationem rationalitatis, quia non possumus aliter differentiam bruti vt sic declarare; Et si potuissemus, nullo modo poneremus istam negationem in eius definitione: sicut non ponimus negationem brutalitatis in definitione hominis: cum tamen pertineat negatio brutalitatis ad hominem, sicut negatio rationalitatis pertinet ad brutum, ergo si possumus & debemus habere aliquem conceptum proprium personæ absque negatione communicationis aut communicabilitatis, non debemus ponere in eius definitione istam negationem.

Probatur *secundo* ab inconuenienti in Theologia, quia sequeretur esse aliquam entitatem substantialem in hominibus quæ non posset assumi à Deo, ex quo sequitur multiplex absurdum. *Primum*, talem entitatem positiuam non esse in potentia obedientiali ad Deum. *Secundum*, quod Christus dñs careret aliquo complemento substantiali spectante ad naturã humanam. Et ex hoc *Tertium* scilicet quod non posset naturam humanam dimittere quin necessario produceret aliquam aliam entitatem positiuam. *Quartum* denique, quod aliquid pertinens ad naturam humanam esset incurabile, id est incapax Redemptionis per Christum iuxta illud Damasceni lib.3.cap.6. *Quod est inassumptibile, est incurabile.* Nec valet, si dicas cum Caietano & aliis Thomistis Damascenum loqui de entitate naturali, id est pertinente ad naturam, non vero ad personam. Nam curatio naturæ humanæ fit per vnionem ad verbum, sicut infirmitas contracta est per peccatum & separationem ab ipso, ergo quod vniri non potest, non poterit curari hoc remedio Incarnationis; & cum homo sit ægritudini peccati subjectus tam in personalibus quam in naturalibus, minus conferet ei Christus dñs, quam abstulit culpa Parentis.

10 Probatur *tertio* quia non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate; Sed nulla prorsus est necessitas ponendi aliquid positiuum realiter distinctum à natura singulari pro personalitate, ergo non est ponendum. ma. est communiter recepta, mi. probatur, tum ex solutione argumentorum, tum etiam & præcipue quia non potest assignari vllus effectus positiuus competens personalitati, qui ab ipso proueniret, ergo non solum non est necessitas ponendi personalitatem in positiuo, sed nec potest in eo poni. Nam omnis entitas positiua realiter distincta ab aliis rebus debet habere aliquod munus positiuum, Nec sufficit pro effectu eius, quod ad illud sequantur negationes vllæ: quia nullum positiuum debet poni præcise vt sequantur negationes. Probatur anteced. nimirum quod non

non possit assignari effectus positiuus vllus personalitatis creatæ tum quia hactenus non est assignatus; tum etiam, quia quem videntur sibi assignare contrarij nempe quod reddat naturam incommunicabilem vel quod reddat vltimo terminatam sunt effectus negatiui, qui à sola negatione prouenire possunt.

Nec sufficit si dicatur, præstare effectum positiuum quem de facto præstat personalitas verbi diuini, Quare non propterea, quia hunc non possumus explicare: quam scilicet dependentiam terminet? quo modo compleat; aut perficiat? debemus ipsum negare, ergo idem debemus dicere de personalitate propria creata. Non (inquam) sufficit, quia licet natura humana habeat dependentiam aliquam particularem positiuam à personalitate verbi; non tamen est necesse, quod talem dependentiam positiuam habeat aut habere possit à personalitate propria, nisi prius ostendatur quod personalitas creata propria sit quid positiuum; Imo nec potest talem dependentiam habere: quia vt docet Scotus lib. de primo principio cap. 1. dependentia est *exigentia vnius ad aliud in alteritate naturæ*, persona autem aut suppositum nequit vocari natura aut ens omnino diuersum: est enim quid pertinens ad vltimum complementum & terminum naturæ, ergo nequit dici quod natura dependeat à propria personalitate. Vnde cum apud doctores classicos reperitur, naturam dependere à proprio supposito; Hoc debet intelligi, quod natura habens talem prædictam negationem vere est suppositum & per illã redditur independens ab alia extrinseca suppositalitate. Nec propterea debet dici, quod natura potius deprimatur per vnionem cum verbo diuino, quam eleuetur cum sine vnione esset independens, vnita vero dependet: Nam eo ipso mire perficitur natura per assumptionem: cum coniungatur Diuino supposito & ipsi naturæ Diuinæ in vnitate suppositi, quod non habet manendo in propria independentia: Sicut voluntas creata perfectissimè operatur, si dependeat & subordinetur auxilio gratiæ; imperfectissime autem cum operatur à se & independenter.

Probatur vltimo & confirmatur nostra conclusio, Quia ponendo personalitatem in positiuo, non saluatur sufficienter, quomodo non possit persona, formaliter loquendo, assumi ab alia persona: quia non potest ostendi quod persona habeat incommunicabilitatem simpliciter; Sed statuendo personalitatem in negatiuo, omnino id facile ostẽditure, rgo magis cohæret cum sententia communi omnium Theologorũ tenente in assumptibilitatẽ personæ formaliter consideratæ, statuere personalitatem in negatiuo, quam in positiuo.

11. Obiicies *primo* cum Arriaga in Metaph. disp. 4. n. 86. vbi contra nostram conclusionem proponit, vt ipse gloriatur valde efficax argumentum desumptum è mysterio Incarnationis. Nam iuxta doctrinam S.S.P.P. & Cõcilio. constat, diuinum Verbum assumpsisse naturam humanam & non personã, imo relicta personalitate creata assumpsisse solam naturam. Ideoque licet in christo Domino sint duæ naturæ humana scilicet & Diuina, non tamen duæ personæ sed vna diuina, ergo persona humana aliquid positiuum addit supra naturam, quod fuerit relictum à persona Verbi, & cuius vices suppleuerit. Resp. Ad hæc & similia inconuenientia quæ à concilijs & authoritatibus P. P. deduci solent, dignissimum esse maiestate eorum, imo & Sacræ Scripturæ, eamdem rem variis

riis

riis phrasibus idem significantibus & sæpius definitis definire: Sic Psalm. 111. Dicitur de Deo: *Anni tui non deficient*, & alibi sæpe vocatur *Deus æternus*: Cum tamen æternitas in communissima opinione non sit aliquid positiuum, sed tantum importet quasdam negationes, cuiusmodi exempla innumera sunt. Concilia ergo ad præcludenda ora hæreticorum explicant dogmata fidei omnibus modis loquendi vsitatis. Et in nostro casu intendunt stabilire, vnionem naturæ cum verbo non esse secundum affectum, vt asserebat Eutyches & alij; Sed suppositalem & substantialem ablata à natura vltima terminatione propria, quam haberet per negationem communicationis, quam præstaret ipsi sua propria personalitas. Nec verbum illud *relicta personalitate creata*, quo vtitur Arriaga bene sonat, nec potest sustineri in toto rigore: quia significat naturam humanam prius fuisse sua propria personalitate suppositatam ex quo sequeretur, actionem generatiuam Beatæ Virginis terminatam fuisse ad naturam cum personalitate creata suppositatam & non suppositalitate Verbi, ex quo non esset vera mater Dei, quod nullatenus est dicendum. Præuenit igitur Verbum Diuinum, ne personalitas creata siue positiua siue negatiua resultaret & esset in natura humana, & in hoc sensu potest dici, ipsam reliquisse, imo & consumpsisse, vt aliqui Patres loquuntur, quia fecit, ne appareret; Cuius etiam vices suppleuit: quia per suppositum verbi habet natura quod haberet per suam propriam personalitatem, quantum ad hoc quod per suppositum verbi potest proxime exercere omnes suas operationes absque dependentia ab vllo alio, sicut per suam propriam haberet.

Sed Neque hoc ipsum potest sic intelligi in toto rigore: quia personalitas verbi non præstat naturæ totum quod præstaret propria personalitas. Et constat ex eo quod siue personalitas propria consistat in positiuo siue in negatiuo secundum omnium opinionem tribuit naturæ non esse coniunctam per se cum aliquo supposito alieno seu suppositalitate extrinseca positiua; Et euidens est personalitatem Diuinam hoc ipsi non tribuere.

Instat Arriaga, si personalitas creata consisteret in negatione vnionis seu communicatione ad alterũ suppositum, nullus esset tam stolidus hæreticus qui diceret, data hac vnione & communicatione naturæ humanæ cum Persona verbi, mansisse ibi personalitatem propriam creatam: Id enim esset formalissime dicere fuisse humanitatem vnitam & non vnitam; Nec ad reiiciendum hunc errorem Nestorij & sequacium fuissent necessaria concilia, ieiunia, vigiliæ & orationes ad obtinendam Spiritus S. assistentiam pro determinanda hac veritate. ℟. in primis ad hoc ipsum teneri aduersarios respondere: cum & ipsi teneantur ponere negationem communicationis sequutam necessario ad illud positiuum, in quo constituunt personalitatem iuxta sensum definitionum prædictarum ab ipsismet & omnibus receptum. Deinde ℟. absolute, hæreticos asseruisse vnitam naturam humanam cum verbo solum secundum affectum & per accidens mediante vnione accidentali tantum; non vero secundum effectum & per se mediante vnione physica reali ac substantiali: quia huc vsque licet constet ex Scriptura naturã humanam assumptam fuisse à verbo, non tamen adeo expresse constat, quonam ex duo-

bus

bus prædictis modis sit vnita, & hæretici, licet male, explicant in priori sensu; In quo quidem compatibilis est vtraque persona diuina & creata. Propterea non tam facile ipsos possent conuincere concilia, quin tot illis medijs indigerent. Ad stabiliendam igitur veritatem de vnione substantiali seu de realitate & substantialitate vnionis congregata sunt concilia, quam si hæretici crederent, facilius & expressius conuincerentur contradictionis iuxta sententiam Scoti circa rationem formalem personalitatis creatæ, sed de hoc ad Theologos.

12 Obiicies *secundo*, Personalitas diuina est quid positiuum, cur ergo non idem dicimus de creata; ℞. *primo* Quia in diuinis repetitur aliquid positiuum incommunicabile, in quo poni possit personalitas diuina, nimirũ Paternitas, filiatio & spiratio passiua, quas de fide est dari in diuinis & quod sint incommunicabiles & quod habebant aliud positiuum munus quam esse principium negationum vllarum; at in creatis non constat esse aliqua talia ratione aut auctoritate, nec potest aliquod munus positiuum ipsis attribui: vt constat ex. 3. probat. nostræ conclus. Item quia cum in creatis non communicetur eadem sed diuersa numero natura, habetur iam Principium sufficiens singularizandi, proptereaque ad constituendam ipsam in esse personæ sufficiunt negationes; at vero in diuinis cum communicatio sit eiusdem numero & singularis naturæ, non posset saluari sufficienter distinctio personalis sine principio positiuo. ℞. *Secundo* iuxta Scotum assignando disparitatem aliam: quia scilicet incommunicabilitas quam dicit persona diuina formaliter, inuoluit non solum negationem actualis & aptitudinalis communicationis, sed etiam potentialis, quandoquidem repugnet naturam diuinam non esse personatam personalitate omni diuina; at vero personalitas creata non inuoluit negationem potentialis communicationis, sic vt naturæ ea affectæ, specificatiue loquendo, repugnet carere ista personalitate: vt patet ex mysterio Incarnationis; Quotiescumque autem negatio aliqua non potest vllo modo separari à subiecto, debet præsupponere aliquid positiuũ, ratione cuius debet necessario conuenire: vt & constat in substantia dicente negationem existendi in alio tamquam in subiecto inhæsionis; Illud vero positiuum per quod necessario inest negatio communicabilitatis, debet necessario esse incommunicabile: omnis igitur natura quæ necessario habet negationem communicabilitatis debet necessario habere aliquod positiuũ incommunicabile. Et ex hoc soluuntur duo argumenta, quæ ex Scoto facit contra sententiam noster Lychetus. *Primum* est de ratione ingeniti in Patre æterno. *Secundum* de singularitate, quam probat Scotus esse quid positiuum, eo quod reddat naturam incommunicabilem: nam natura singularis ita est incommunicabilis (Et idem est de ingenito), vt non possit eadem numero positiue natura communicari communicatione opposita incommunicabilitati illi; natura vero personata eadem numero, specificatiue loquendo, non est ita incommunicabilis, quin possit communicari communicatione opposita isti incommunicationi.

13 Obiicies *tertio* cum Suarez si suppositum solum diceret negationem supra id, quod dicit natura singularis suppositata: sequeretur, quod quemadmodum potest dici, quod aer tenebrosus potest illuminari; ita etiam posset dici, quod suppositum potest commu-

communicari; sed consequens est contra omnes Theologos & definitionem ipsam suppositi, ergo & antecedens. Probatur sequela, quia ideo dici potest, aërem tenebrosum posse illuminari, quia nihil dicit aër tenebrosus supra aërem præter negationem luminis, ergo si nihil dicit suppositum supra naturam præter negationem communicationis, poterit tam bene dici, quod suppositum possit communicari. ℞. neg. sequelam, & ratio disparitatis est quia nomen *suppositum* significat per se primo ipsam negationem communicationis, vnde quia implicat, naturam cum negatione communicationis posse assumi, implicat etiam suppositum posse assumi; aër vero tenebrosus in sensu specificatiuo, in quo solum est verum, quod possit illuminari, non significat per se primo negationem luminis, sed aërem qui habet, istam negationem. Et quia ille aër potest recipere non minus lumen quam tenebras, propterea optime dici potest, illum aerem posse illuminari. Ad probat. sequelæ dico, quod non ideo præcise potest dici, aerem tenebrosum posse illuminari, quia dicit negationem tantum luminis, sed quia non dicit per se primo illam negationem; Aut vt clarius dicam quia iste terminus complexus *aër tenebrosus*, non solum patitur sensum reduplicatiuum, & compositum, sed sensum specificatiuum; terminus autem *suppositum* ita significat naturam affectam negatione, vt non admittat sensum specificatiuum, proprie loquendo, quemadmodum patitur terminus complexus *natura suppositata*. Quare nequit dici, quod possit suppositum communicari, licet possit dici, quod natura suppositata possit communicari. Et ex his habetur responsio ad Caietanum, qui plura dicit, circa significationem huius termini *suppositum*.

Obiicies *quarto*, natura humana assumpta à Verbo Diuino facit vnum per se positiuè cum ipso; sed hoc esset falsum in nostra sententia, ergo & ipsa falsa est. Probatur sequela quia si natura humana non haberet aliquid positiuum pro personalitate propria, tunc esset substantialiter completa ex se positiue, nec careret aliquo complemento positiuo; sed natura non carens aliquo complemento substantiali positiuo per se nequit facere, vnum per se cum vllo positiuo, quod ipsi superaddi possit, ergo natura humana in nostra sententia non posset facere, vnum per se cum persona Verbi. Et confirmatur quia etiam sequeretur, naturam de facto fuisse personatam propria personalitate, antequam fuit vnita: quandoquidem pro illo priori naturæ, antequam fuit producta vnio hypostatica in ipsa, habuit illam negationem communicationis, in qua constituimus rationem personæ. Respondeo, supponendo prius, humanitatem non facere tale vnum cum verbo, quale facit cum propria personalitate: nam facit vnum per se cum propria personalitate sine vnione aliqua intermedia, qualiter non facit cum personalitate verbi, sed mediante vnione. Admitto mà. & neg. mi. cum minori probat. quia quamuis verum sit quod connaturaliter non possit natura completa substantialiter facere vnum per se cum alio; tamen non videtur quod supernaturaliter, per se hoc non fieri possit: vt omnes fateri tenentur, præsertim si, vera sit maior argumenti: nam alias Verbum Diuinum: cum sit substantialiter completum, non posset facere vnum per se, cum natura humana, siue illa esset completa ex

se, siue non esset. Idem ergo debet dici de natura ipsa respectu Verbi diuini denuo superadditi. Ad confirmat. neg. sequelam & probat. eius: vt in simili diximus in Physicis disputatione 1. num. 6.

14. Obiicies *quinto* cum Vazque & alijs secundum Scotum: persona creata potest assumere naturam creatam alienam, verbi gratia, Petrus potest assumere naturam creatam Ioannis; Sed hoc fieri non potest, si persona creata non diceret formaliter aliquid positiuum, ergo dicit aliquid tale etiam in sententia Scoti; Qui & ideo non videtur sibi satis constans in hac re: mi. probatur, quia persona creata non potest assumere alienam naturam, nisi terminando quatenus persona est, vnionem istius alterius naturæ, sic vt illa vnio fundata in natura assumpta immediate terminetur ad personalitatem personæ assumentis; sed negatio nequit esse terminus immediatus relationis realis, ergo persona creata, si personalitas consistat in negatiuo, nequit assumere naturam alienam. ℞. omissis varijs solutionibus Scotistarum, Doctorem disputasse & resoluisse illam Quæstionem de terminatione alienæ naturæ per suppositum creatum, non in sua sententia de constitutiuo personæ per negationem, sed in sententia magis communi, quæ ponit illud in positiuo, in qua merito tenet partem affirmatiuam: Patet veritas expositionis ex ipso contextu & decursu Quæstionis 4. vbi nec mentionem facit difficultatis huius, quæ est in assumptione naturæ alienæ per personam creatam constitutam per negationem, quæ tamen obuia erat & maxima omnium contra huiusmodi assumptibilitatem. Non igitur proposuit nec soluit Quæstionem ex suppositione suæ sententiæ; Sed ex hypothesi communis sententiæ ponentis personalitatem creatam in positiuo. In sua vero sententia non resoluit Quæstionem: quia in ipsa non est locus controuersiæ, vt bene probat & ostendit argumentum.

DISPVTATIO IX.

De accidenti in communi.

1. ACCIDENS vno modo dicitur quidquid alicui conuenit seu de aliquo dicitur, vt quid extra eius essentiam: Quo sensu definiuimus Accidens quintum prædicabile in Logica vtente cap. 2. sect. 5. dicendo, quod sit illud, *Quod potest adesse & abesse sine subiecti corruptione*: Quod intellige quoad essentiam, sic quod non variarentur prædicata essentialia subiecti, siue adsit siue non adsit accidens, qualiter variaretur homo v.g. si deficeret animal quod est *genus*, vel humanitas vel rationalitas quæ sunt *species* & *differentia*, vel risibilitas, quæ est *Proprium*: quia tunc sequeretur varietas speciei saltem à posteriori, ob necessariam exigentiam, quam dicit ad risibilitatem; sed debet intelligi quoad existentiam, propterea mortem in homine & combustionem in domo dicunt authores esse accidētia quinti prædicabilis, quia per ipsas solum destruitur existentia. Alio modo dicitur accidens, quod inhæret subiecto: sicut etiam diximus de substantia, quod vno modo accipitur pro cuiuscumque rei essentia, alio modo pro eo quod per se existit. Primo modo vocatur *Accidens prædicabile*;

bile; Secundo modo *Accidens prædicamentale* seu reale. In quo sensu sumitur quando diuisimus ens in Accidens & Substantiam, prout scilicet ratio eius est communis nouem prædicamentis accidentium, de hoc in præsenti disputatione.

QVÆSTIO I.

Quam necessario debeat accidens inhærere subiecto?

2 NOta ex Scoto 4.d.12. q. 1. n.5. Et 7. Metap. q. 1. Hoc nomen *Accidens*, sicut & quodlibet concretum importare duo, vnum pro per se significato nempe pro significato formali, aliud, pro denominato nempe pro materiali. Accidens pro materiali est entitas quæ denominatur Accidens seu inhærens, & est in duplici differentia scilicet res absoluta, vt albedo, dulcedo, & relatiua, vt paternitas, similitudo. Accidens sumptum pro formali est ipsa accidentalitas seu inhærentia, qua accidens pro materiali dicitur inhærere subiecto; Et sumptum in hoc sensu pro per se significato suppono vt certum sine controuersia, impossibile esse accidens non inhærere subiecto: quia vt sic idem est accidens ac inhærens. Esset autem contradictio intelligere inhærens sine inhærentia, quia esset inhærens & non inhærens, ergo & intelligere accidens sine accidentalitate hoc est sine eo quod inhæreat subiecto. Est ergo difficultas de Accidenti pro materiali seu denominato, quod scilicet vel est absolutum vt quantitas & qualitas, vel respectiuum vt cætera prædicamenta Accidentium.

3. Sit conclusio, *Accidens ex communi sua ratione non dicit tam necessariam inhærentiam in subiecto, vt nec per Dei potentiam possit separatum existere & conseruari; Quinimo aliqua sunt accidentia qua possunt per se conseruari sine inhærentia in subiecto.* Est cómunis & certa inter Catholicos, & solum qui careret lumine fidei, ipsam negaret. Imo nec Aristoteles (inquit Scotus. 4. supra n.10.) in hoc poneret contradictionem & repugnantiam intrinsecam; Sed tantum est illa impossibilitas apud eum propter necessitatem, quam ponit in ordine causarum: Quia videlicet ipse ponebat, quod Prima causa non potest causare causatum causæ secundæ sine causa secunda. Conclusio nostra verificatur in venerabili Eucharistiæ Sacramento, vbi accidentia panis & vini manent post consecrationem sine subiecto. Sed age iam probemus ex Scoto ibidem possibilitatem huiusmodi separationis: *Primo* quia subiectum non est de essentia accidentis, vt est plane notum & manifeste constat ex doctrina Aristot. qui passim dicit ex accidenti & subiecto fieri vnum accidentale & non per se. Item quod accidens definiatur per substantiam ad modum additamenti, quod est extra essentiam definiti: ergo poterit accidens existere & conseruari sine subiecto saltem de potentia absoluta: quia in hoc nulla apparet contradictio aut repugnantia. *Secundo* quia subiectum est causa velut extrinseca accidentis: est enim eius causa materialis, non ex qua constat, sicut compositum ex materia & forma: quia ex Philosopho. 8. Metap. accidentia non habent materiam ex qua, sed in qua: est ergo subiectum materia in qua existit & inhæret; sed Deus potest supplere concursum omnis causæ extrinsecæ, ergo

ergo poterit conseruare accidens sine subiecto.

Dices; si istæ rationes probant, concluderent etiam de separabilitate in omni accidenti, quod non videtur concedi in nostra conclusione, quæ solum de aliquibus procedit. ℞. quod istæ rationes probant non repugnantiam ex ratione communi accidentis, & hoc est probare separabilitatem de potentia absoluta; Si autem in aliquibus detur repugnantia, vt inferius probabimus. Hoc non erit ex ratione communi accidentis, sed ex speciali eorum ratione & peculiari modo afficiendi suum subiectum.

4. Sed contra Obiicies, ens immediate diuiditur in substantiam & accidens per rationes *essendi per se & essendi in alio*, ergo ita se habet accidens quoad esse in alio, sicut substantia quoad esse per se; Sed substantia ita debet esse per se, quod non possit esse per se. Respondet Scotus supra n. 23. *quod accipiendo per se esse & esse in alio vniformiter scilicet pro vt per se esse negat aptitudinem, & esse in alio affirmat illam aptitudinem, sic ista duo proportionaliter conueniunt, primum substantiæ & secundum accidenti.* Et idem dicit proportionaliter de actuali inhærentia: Vnde sicut non esse in alio etiam aptitudinaliter est passio substantiæ: vt constat ex dictis disp. præced. n. 3. ita esse in alio aptitudinaliter, formaliter loquendo, est passio accidentis, non vero de quidditate eius. Ex hoc autem quod ad esse accidentis sequatur aptitudo ad inhærendum, non sequitur necessario debere inhærere; *Sed est fallacia consequentis* inquit Scotus) *est aptum inesse, ergo inest.* Poterit ergo per potentiam absolutam existere & non in alio.

Sed Restat examinandum, Quæ sint accidentia, qubus separari à subiecto repugnet, & quibus non? Pro quo Notandum, aliqua accidentia ita afficere subiecta sua, quod sint quasi modi, & non res distinctæ ab ipsis (& non dico, quod non distinguantur realiter, sed quod non se habeant ad suum subiectum sicut res & res) alia sunt quæ non ita afficiunt sua subiecta, sed vere sint res distinctæ à suis subiectis. Prioris gẽeris sunt omnia accidentia relatiua: vt prædicamento *Ad aliquid* & de sex vltimis, quæ etiam sunt relationes, vt infra dicemus, & hæc nequeunt separari à suis subiectis; Posterioris vero generis sunt omnia accidentia absoluta: vt quantitas & qualitas, de quibus conclusio nostra.

QVÆSTIO II.

Vtrum inhærentia sit essentialis ratio Accidentis?

DVplex inhærentia Accidentis distinguenda est, vna actualis, altera aptitudinalis: Actualis est qua Accidens de facto & actualiter inhæret subiecto: Aptitudinalis est, qua concipitur aptum esse & ex natura sua exigere, vt inhæreat subiecto, etiamsi actualiter non inhæreat. Hæc iterum subdiuiditur in aptitudinem formalem seu formaliter sumptam ad inhærendum & in aptitudinem fundamentalem seu radicalem, hoc est fundamentum seu radicem ex qua oritur & pullulat aptitudo formalis: iuxta ea quæ diximus de ineptitudine substantiæ ad inhærendum disp. præced. n. 3. legantur dicta ibi.

1. Sit prima conclusio, *Inhærentia aptitudinalis seu aptitud ad inhærendum non est de essentia accidentis vt sic, quod est commune nouem prædicamentis; sed*

sed solum est proprietas eius; Radix vero ad quam sequitur aptitudo formalis est de essentia ipsius. Est sententia Scoti loco q. præced. citato cum suis omnibus & Sonzinate 7. Metaph. q. 1. Contra D. Thom. & suos. Probatur ex Scoto quolib. 3. n. 19. Sicut ratio quidditatiua substantiæ non est esse per se, cui repugnet inhærere, hoc est ineptitudo formalis ad inhærendum, sed illud substratum cui conuenit talis aptitudo; ita ratio quidditatiua Accidentis non est aptitudo ad inhærendum sed illud substratum scilicet quantitas vel qualitas, cui conuenit inhærere, ergo inhærentia aptitudinalis seu aptitudo formalis ad inhærendum non intrat essentiam Accidentis, sed solum erit passio eius. Et confirmatur, quia nulla relatio potest esse de conceptu quidditatiuo & essentiali alicuius absoluti: alias idem secundum eamdem rationem essentialem esset ad se & esset ad aliud & consequenter ad se & non ad se; sed inhærentia aptitudinalis formaliter loquendo est respectus seu relatio, ergo nequit esse de conceptu quidditatiuo accidentis absoluti, & consequenter neque de essentia accidentis vt sic communis accidenti absoluto & respectiuo.

Respondet Auersa tom. 1. Philosoph. q. 21. sect. 2. maiorem esse veram de relatione prædicamentali, non vero de transcendentali, quam non implicat esse de conceptu entis absoluti, Imo hoc (inquit fateri debet Scotus, qui ponit de ratione essentiali entis creati esse ordinem dependentiæ ad Deum. Sed certe hic author vel non legit Scotum, vel fallitur in intelligentia eius. Et in primis contra responsionem sic argumentor; Relatio siue prædicamentalis siue transcendentalis importat essentialiter quod totum suum esse sit ad aliud, ergo si aliqua intrat essentiam entis absoluti, essentia entis absoluti importabit simul quod sit ens ad se, quia absolutum, & quod sit ad aliud & non ad se, quia essentialiter includit relationem, & sic erit ad se simul & non ad se, quod implicat. Ad illud de relatione creaturæ ad Deum dico, quòd Scotus solum docet esse passionem inseparabilem à creatura identificatam realiter cum ipsa, non vero quod intret essentiam eius: quia vt ipse dicit in 4. citato. n. 14. Quæstio ista videtur trufatica & sine intellectu: aliud enim est quærere: Vtrum Aliquid sit de essentia alicuius; & aliud An sit idem realiter cum ipso; *Respectus autem aliquis* (prosequitur Scotus) *licet sit idem fundamento; sicut dictum est de respectu creaturæ ad Deum, non tamen est de quidditate eius: quia tunc nulla essentia creaturæ esset absoluta.*

Sed contra conclusionem sic obiicies, Aristot. 7. Metaph. docet, quod accidentia non sunt entia, sed entis idest substantiæ entia. Et 4. Metaphysic. asserit ens dici de substantia & accidenti, sicut sanum de animali & vrina; sed sanum quod est in vrina nihil aliud includit essentialiter quam habitudinē signi sanitatis, quæ est in animali, ergo similiter accidens nihil aliud includit essentialiter quam habitudinem inhærentiæ ad substantiam. Respondeo ex Scoto supra numero 15. quod si authoritas fideliter citetur & recte intelligatur, non amplius includit quam subiectum esse causam materialem extrinsecam (vt diximus) respectu accidentis, ex quo non arguitur dependentia essentialis ad ipsum. Ad secundum ℞. ex eodem doctore ibidem similitudinem non debere currere quatuor pedibus: nam tunc esset iden-

titas & non similitudo vt inquit D. Damascenus. Similitudo igitur Accidentis & substantiæ ad sanum in animali & vrina in eo stat, quod sicut vrina dicitur sana per ordinem ad sanitatem;ita accidens habet suum esse in ordine ad substantiam; dissimilitudinem vero sic assigno : nam in vrina non est forma absoluta à qua dicitur sana formaliter sicut est in animali ; at vero in accidenti est aliquid absolutum, à quo formaliter denominatur ens ; Et sic licet hoc absolutum dicat habitudinem dependentiæ seu inhærentiæ ad substantiam, non tamen in illa habitudine consistit formaliter suum esse, sed in illo absoluto,quod est fundamentum habitudinis,à quo tamquã ab essentia profluit.

6 Secunda conclusio, *Inhærentia actualis est de essentia accidentis relatiui.* Ita Scotus supra n. 5. vbi dicit : *quod loquendo de eo quod denominatur à per se significato Accidentis & est per se respectus, contradictio est quod sit sine subiecto.* Idest sine fundamento, quod est proximum fundamentum relationis. Et probat, *quia respectus est essentialiter habitudo inter duo extrema,& ideo sicut tollere terminum ad quem est respectus est tollere vel destruere respectum, ita tollere illud cuius est respectus, est destruere rationem respectus.* Et potest declarari hoc exemplo essentia albedinis non est dare esse albo, sed est talis entitas in se, quæ possit existere, etiam si non det esse album alicui subiecto, quod si esse albedinis esset dare esse subiecto, non posset ab illo separari ; sed sic est quod totum esse relationis est referre subiectum suum ad terminum, ergo implicat esse relationem & non sic referre subiectum;ad hoc autem debet esse in illo, ergo vel non erit accidens relatiuum vel necessario inhærebit suo fundamento, ita quod hæc actualis inhærentia sit de conceptu quidditatiuo eius : nam inuoluitur necessario in ipso conceptu referendi vnum ad aliud. Et confirmatur & explicatur amplius, quia formalitas à qua habet relatio respicere terminum,est de essentia eius,ergo & formalitas à qua habet respicere fundamentum:tam essentiale enim est relationi determinare fundamentum actu, quam actu referre ipsum ad terminum. Itaque in relatione vt sic sunt considerabiles duæ formalitates prior est formalitas accidentis vt sic, & ab hac non habet esse actu in subiecto, neque etiam non esset positiue loquendo, sed bene habet habitudinem fundamentalem, secundum quam exigit esse connaturaliter in subiecto ; posterior formalitas in ipso considerabilis est formalitas talis, qua constituitur in esse accidentis relatiui & ab ista habet formaliter & essentialiter esse in subiecto & ipsum referre ad terminum.

7. Inquires *primo*, *Quo modo se habeat inhærentia actualis respectu Accidentis absoluti, quod scilicet potest separari à subiecto ?* Respondeo quod sit accidens per accidens conueniens ipsi ;Et tam in ipso quam in quolibet alio etiam inseparabili à subiecto hæc inhærentia est relatio extrinsecus adueniens pertinens ad prædicamentum *Actionis.* Ita colligo ex Scoto 4. citato & 3.d. 1.q.1.n. 3. vbi ad hanc inhærentiam comparat vnionem naturæ humanæ cum verbo diuino.Sequitur ex dictis in Log.vtente cap.3. n.18.& in Physicis disp. 1. n.72.

8. Inquires *Secundo*, *Quo pacto Accidens poterit per se conseruari absque subiecto ?* ℞. cum Doctore 4.citato & quæst.6.numero 14. Accidens posse conseruari & de facto conseruari

n Sacramento Eucharistiæ absque vlla noua re vel modo aut Dei concursu positiuo, sed tantum per negationem & ablationem inhærentiæ, quam prius habebat, Deo scilicet continuante suum concursum priorem, quo conseruabat accidens secundum suam entitatem, & suspendendo alium concursum, quo conseruabat subiectum & inhærentiam accidentis in subiecto. Ita omnes Scotistæ contra fere omnes Thomistas ponentes modum nouum positiuum.

Contra quos sic argumentor & simul probo assertionem. *Primo* quia si accidens conseruaretur per talem modum positiuum, tunc daretur aliqua transmutatio in accidenti, quæ deberet esse vel generatio vel augmentatio vel alteratio, quorum nullum recte dici potest. *Secundo* hoc positiuum non potest esse substantia, quia sic esset subiectum accidentis & iam non maneret sine subiecto; Neque etiam potest esse accidens: quia sic non posset dare esse per se accidenti. *Tertio* quia sequeretur, accidens sic ab illo separatum, postea toto tempore sequenti per se existere naturaliter: sicut post visum miraculose restitutum cæco cæcus deinceps naturaliter videt.

9. Inquires *tertio*: *An accidens separatum verbi gratia calor possit habere easdem omnino actiones, quas coniunctum* Respondeo, quod si habeat modum extensionis sibi competentem, benè posset agere realiter Physice & intentionaliter: nam vbicumque est principium actiuum cum debito modo existendi, ibi potest esse actio; Si vero qualitas talis poneretur sine subiecto extensionis, non haberet tales actiones, nec posset sentiri; Posset tamen intelligi: quia sua natura, quæ est principium motiuum ad intellectionem sui, vbique est eadem.

QVÆSTIO III.

Vtrum vnum Accidens inhæreat alteri?

10. DE *Accidentibus absolutis; & de respectiuis supra absoluta conclusio est affirmatiua & communis.* Habet Scotus 4. d. 12. quæst. 2. vbi supponens distinctionem realem inter quantitatem & substantiam corpoream asserit, quantitatem in Sacramento Eucharistiæ esse sine subiecto, qualitates vero omnes, quæ ibi sunt subiectari in quantitate. Probatur ex ipso ibidem num. 15. Albedo hostiæ est extensa, vt patet ad sensum, sed non est extensa per se: quia talis extensio est propria quantitati, ergo est extensa per accidens; tunc sic, sed omne extensum per accidens vel recipit extensionem in se, vt substantia recipit quantitatem; vel recipitur in extensione vel re extensa, ergo qualitas vno ex his modis erit extensa; non primo: quia cum ipsa sit posterior quantitate, non potest recipere quantitatem in se, ergo recipitur ipsa in quantitate, & sic quantitas erit subiectum qualitatis. De respectiuis supra absoluta patet manifeste: quia certum est relationes similitudinis & dissimilitudinis fundari in qualitatibus, & æqualitatis, & inæqualitatis in quantitatibus, & sic in reliquis pluribus relationibus.

Sed contra hoc Obiicies *primo*, posse substare accidentibus prouenit ex eo quod res per se existat in se; sed hoc conuenit soli substantiæ, ergo sola illa potest substare accidentibus, non vero vnum alteri? Respondeo, id totum verum esse de eo quod est substare tanquam primum subiectum; Cæterum nulla difficultas est in hoc, quod

quod aliquod accidens receptum in suo subiecto possit in se recipere aliud accidens.

Obiicies *Secundo*, Non potest terminare dependentiam alterius id quod dependet dependentia eiusdem rationis; ergo non potest accidens, quod dependet à substantia tanquam à subiecto inhæsionis terminare similem dependentiam alterius accidentis. Resp. ex Scoto ibidem, esse quodammodo diuersam dependentiam primi accidentis à substantia tanquam à primo subiecto, & secundi accidentis à primo tanquam non à primo subiecto. Vel simpliciter negari potest assumptum; Et quidem in genere causæ effectiuæ constat, excepta causa prima, omnes alias dependere in genere causandi, & tamen producere suos effectus in eodem genere.

11. Secunda conclusio, *Vnum accidens relatiuum scilicet vna relatio potest fundari supra aliam relationem.* Ita Scotus 2. d. 1. q. & 4. d. 6. q. 10. Sequuntur discipuli, & Suarez & Ruuius, contra D. Thom. & suos. Probat Scotus ex Euclide lib. de Geometria asserente, proportionalitatem esse similitudinem duarum proportionum; sed proportiones sunt relationes, ergo potest fundari vna relatio supra aliam. Et confirmatur: quia non apparet ratio disparitatis, quare duæ substantiæ conuenientes in entitate dicantur eædem in natura specifica per relationem realem immediate fundatam in ipsis, non vero duæ paternitates v. g. cum in re habeant eamdem essentiam & eumdem modum essendi.

Obiicies *Primo*, Relatio est forma à qua alia referuntur, ergo nequit ipsa esse fundamentum seu referri per aliam, conseq. patet, quia non alia ratione dicitur, actionem non fieri, neque vnionem vniri, neque existentiam existere per aliam existentiam; nisi quia sunt rationes formales, quibus alia fiunt, vniuntur & existunt, ergo idem est dicendum de relatione. ℞. benè sequi ex argumento, non referri per aliam relationem ad illum terminum, ad quam ipsa est ratio referendi; non vero quod non referatur ad alium terminum, respectu cuius, ipsa non est essentialis ratio referendi: v. g. quia paternitas est ratio referendi Patrem ad Filium, non indiget alia relatione vt referatur ad filium, tamen vt referatur relatione identitatis in natura specifica ad aliam paternitatem, indiget alia relatione: quia respectu huius termini ipsa non est essentialis ratio referendi, sed id quod accidentaliter refertur.

Obiicies *Secundo*, si vna relatio fundaret aliam relationem, daretur processus in infinitum; sed talis est vitandus, ergo probatur sequela: nam si paternitas fundaret aliam relationem v. g. identitatis in natura specifica cum alia paternitate, illa identitas posset etiam fundare aliam relationem identitatis cum identitate alterius paternitatis & sic in infinitum. Respondent aliqui non esse inconueniens quod detur talis processus, sicut etiam datur in diuisione continui. Sed melius Resp. cum Scoto in 2. citato neg. sequelam: nam sistendum est in relationibus, quæ referuntur relatione eiusdem rationis cum ipsis: v. g. licet duæ paternitates referantur relatione identitatis, eo quod conueniant in natura specifica, tamen relatio identitatis quæ est in vna paternitate, non refertur ad identitatem, quæ est in alia paternitate per relationem identitatis ipsi superadditam, sed se ipsa: non enim sunt addendæ nouæ relationes, vbi termini non sunt contingentes, vt ex professo probabimus disp. 12. at data identitate huius paternitatis

paternitatis non potest non dari identitas illius ad istam, quæ se se mutuò referant, ergo sistendum est in illis.

Dices, hinc habetur, quod identitas illa non possit per aliam identitatem referri ad identitatem sibi correlatiue correspondentem, sed non habetur quin possit referri ad aliquid aliud per relationem aliam à se distinctam. Resp. posse quidem referri ad quemcumque alium terminum, sine quo nequit esse per relationem à se distinctam; sed non sunt infinita actu existentia, ad quæ sic referri possit, & consequenter non habebit infinitas relationes.

QVÆSTIO IV.

Vtrum accidens spirituale possit educi de potentia subiecti corporei, aut corporeum de potentia spiritualis?

EDuci formam de potentia subiecti constat ex dictis in Physica disp. 1. num. 58. non esse aliud quam produci in subiecto cum dependentia ab ipso tanquam à causa influente realiter in formam ipsam, quæ dicitur educi.

12. Sit prima conclusio, *accidens spirituale nequit educi de potentia subiecti corporei naturaliter, aut subiectari in ipso: Neque etiam accidens corporeum in subiecto spirituali.* Est communis & probatur quoad priorem partem *primo*: quia non est assignabilis quænam causa naturalis possit producere formam spiritualem in subiecto corporeo; neque quænam forma spiritualis possit naturaliter in tali subiecto produci, ergo non est dicendum quod id fieri possit naturaliter. Et confirmatur, quia si non habuissemus principia aliqua ex quibus colligeremus quod anima rationalis sit spiritualis, diceremus, quod esset corporea, quia reperitur in subiecto corporeo, ergo si non habeamus principia ad colligendum quod aliqua forma accidentalis producibilis naturaliter in subiecto corporeo sit spiritualis, debemus dicere, quod nulla sic producibilis sit spiritualis; sed non habemus talia principia, ergo. Probatur *secundo*, quia nulla forma accidentalis creatur naturaliter, ergo omnis talis producitur per eductionem ex potẽtia subiecti & consequenter cum dependentia à subiecto in esse & fieri. Consequentia est euidẽs & anteced. certum & communiter receptum, præsertim de forma naturalis ordinis; tunc sic sed nulla forma spiritualis naturaliter loquendo potest sic produci dependenter à subiecto corporeo & extenso. Probatur quia si produceretur in tali subiecto, deberet esse tota in toto & tota in qualibet parte subiecti, quemadmodum est anima rationalis in homine, ergo dependeret à toto corpore subiecti, quandoquidem ex toto corpore & ex qualibet parte ipsius educatur, & consequenter dependeret à qualibet determinata parte istius totius & non dependeret quod est contradictio. Probatur hæc sequela quia dependeret ex hypothesi, non dependeret autem, quia quamuis periret vna pars istius subiecti, quandoquidem dependeret ab altera etiam, non esset vlla ratio, cur non maneret in parte manente, altera pereunte sicut manet anima in vna parte corporis destructa altera parte, ergo &c.

Dices, posse Deum producere accidens spirituale in subiecto extenso etiam cum eductione, ita vt partialiter dependeret per se à qualibet parte istius subiecti & à toto subiecto, & consequenter ita vt si periret vna pars istius subiecti periret illa foma cõnaturaliter, nisi Deus suppleret concursum partis subiecti, quæ periret. Resp. Hunc

modum producendi accidens, non esse modum producendi ipsum in subiecto extenso connaturaliter, de quo modo procedit nostra conclusio. Quare si ita fieret, hoc esset supernaturaliter, ex quo nihil contra nos.

Probatur conclusio quoad posteriorem partem *primo*, quia vt diximus de priori, nullum est experimentum aut ratio, vnde possit colligi, quod possit forma accidentalis corporea subiectari in subiecto spirituali naturaliter: non enim potest assignari vlla forma quæ in tali subiecto sit producta, nec causa quæ eam possit in tali producere. Probatur *secundo*, quia forma accidentalis corporea petit connaturaliter habere partes suas extensas; & propterea habet partes, quæ ad nihil deseruirent, si essent intra se inuicem, ergo nequit naturaliter habere partes suas inextensas, hoc est correspondentes eidem parti subiecti (quod intellige de partibus extēsionis, non de partibus intensionis) sed si poneretur in subiecto spirituali indiuisibili, de quo loquimur, haberet partes suas inextensas, ergo.

13. Secunda conclusio, *accidens corporeum potest de potentia Dei absoluta subiectari in subiecto spirituali; & accidens spirituale in subiecto corporeo.* Est etiam communis sicut præcedens & probatur *primo* ratione illa communi, quod omne id debet dici posse fieri à Deo per potentiam absolutā, quod non implicat contradictionem; sed sic est in duobus casibus, vt constabit soluendo argumenta & implicantias, quæ contra adduci solent, ergo. Probatur *secundo*, nō implicat accidens spirituale poni in subiecto corporeo, ergo neque corporeum poni in spirituali: conseq. patet à paritate rationis & fortassis à maiori ad minus, quia forte difficilius est ponere accidens spirituale in subiecto corporeo quam corporeum in spirituali. Probatur antecedens, quia vel implicaret ex ratione formæ spiritualis, vel ex ratione formæ spiritualis accidentalis; neutrum dici potest, ergo. Probatur mi. non ex ratione spiritualis: quia anima rationalis est forma spiritualis & tamen ponitur in subiecto corporeo; non etiam ex ratione formæ spiritualis accidentalis: quia ex illa ratione nihil aliud habet speciale faciens ad hoc propositum, quam quod dependeat à subiecto in esse & conseruari; sed non habet talem dependentiam tam necessario, quin Deus eam producere posset absque tali dependentia, ergo. Probatur hæc mi. quia nemo dubitare potest quin posset absque vllo subiecto producere illam, & postea eam vnire ad subiectum taliter, quod non dependeret ab illo in conseruari, sicut producit animam rationalem in corpore; Et licet connaturaliter peteret produci cum dependentia, sicut anima rationalis connaturaliter petit produci sine dependentia tamen Deus vtens sua potentia absoluta non tenetur conformare se exigentiæ connaturali rerum. Deinde etiam si deberet necessario accidens dependere à suo subiecto, posset adhuc poni in pluribus partibus subiecti, non quidem sic, vt dependeret totaliter & adæquate in ratione subiecti à qualibet parte ex illis; sed ita vt ab omnibus totaliter & à qualibet partialiter dependeret, taliter vt si vna pars istius subiecti totalis periret, perire etiam deberet illa forma, nisi Deus aut alia causa per actionem distinctam à priori actione conseruaret ipsam, supplendo defectum istius actionis partialis, qua dependebat ab illa parte.

Pro cuius maiori intelligētia aduerte quod quatuor modis possumus imaginari, Deum ponere formam spiritualem indiuisibilem in subiecto corporeo extenso, ita vt esset tota in toto illo subiecto

iecto & tota in qualibet parte illius. *Primo* sic vt non dependeret in esse neque in fieri à toto illo subiecto neque ab vlla ipsius parte. Et in hoc modo ponendi nulla est implicantia. *Secundo* sic vt dependeret ab aliqua parte istius totius quoad esse & conseruari totaliter & adæquate, non tamen à cæteris partibus dependeret aut totaliter aut partialiter, & in hoc modo etiam nulla est implicantia. *Tertio* sic vt ab omnibus partibus istius totius dependeret partialiter & à nulla totaliter, sed neque in hoc etiam modo est implicantia. *Quarto* denique sic vt à qualibet parte istius subiecti dependeret in ratione subiecti totaliter, & in hoc sensu implicaret idem accidens spirituale ac indiuisibile poni in subiecto extenso: nam iuxta principia Scoti impossibile est eumdem effectum depēdere à pluribus causis totalibus & adæquatis in eodem ordine. At vero non in isto posteriori sensu, sed in tribus prioribus procedit nostra conclusio. Contra quam tamen,

14 Obiicies *primo*, Nullũ accidens corporeũ potest subiectari in subiecto in quo non potest subiectari quantitas: non enim est maior ratio de ipsa, quam de aliis; Sed quantitas nequit subiectari in subiecto spirituali, ergo neque vllum aliud accidens corporeum: probatur mi. quia quantitas debet necessario habere partes extra partes, qualiter non haberet in subiecto indiuisibili. ℞. neg. mi. Ad probat. dist. mi. debet habere partes extra partes entitatiue ita vt vna non sit altera vel etiam vt vna exigat connaturaliter esse etiam quantum ad spacium extra aliam, conced. mi. Ita vt vna ex illis habeat necessario subiectum distinctum à subiecto alterius, aut correspondere parti loci, cui altera non correspondet. neg. mi. Et sane id assumere contra nostram conclusionem est directa petitio principij quia est assumptio propositionis quæ expresse negatur in conclusione.

Dices si Angelus v. g. posset recipere quantitatem & alia accidentia absoluta corporea, sequeretur quod posset calefieri; Sed hoc est absurdum, ergo. ℞. conced. ma. de potentia absoluta, & neg. mi. Fortassis tamen non posset calefieri ab agente creato quia forte nullum agens creatum potest producere calorem nisi in subiecto extenso.

Dices iterum, Quantitas nequit subiectari in eo, cui non potest communicare suum effectum formalem; sed hunc nequit communicare Angelo: quia effectus formalis quantitatis est extendere partes sui subiecti; Angelus autem non habet partes, quæ possint extendi, ergo quantitas nequit communicare ipsi suum effectum formalem. ℞, neg. mi. Ad cuius probat. dico extendere partes non esse solum effectum formalē quantitatis, nec etiam necessarium effectum formalem eius sic, vt non possit esse sine illo etiam in subiecto habente partes extensibiles: nam substantia materialis quanta posset diuinitus redigi ad punctum, & in tali casu quantitas non extenderet actu partes eius. Itaque in proposito nostro si quantitas poneretur in Angelo, non tribueret ipsi illum effectum extensionis, sed bene tribueret ipsi se ipsam formaliter: quia ipsamet esset ipsi inhærens; Propter quod etiam posset Angelus dici quantus, nisi alias præcise accipiatur *Quantum* pro substantia habente partes quantitatiue extensas. Quod esset Quæstio de nomine.

Obiicies *secundo* Calor nequit subiectari in puncto quantitatiuo, ergo neque in Angelo aut vlla substantia spirituali

spirituali indiuisibili. probatur anteced. quia punctum caloris sufficienter & adæquate repleret capacitatem puncti quantitatiui, ergo nihil præterea recipere posset. ℞. neg. anteced. loquendo de potentia absoluta. Et ad probat. dist. anteced. capacitatem naturalem, ita vt naturaliter nihil præterea recipere posset caloris, conced. anteced. capacitatem obedientialem, vt nihil præterea supernaturaliter recipere posset. neg. anteced.

15. Obiicies *tertio*, Contra secundam partem conclusionis, Si forma spiritualis posset esse in subiecto corporeo, lapis posset recipere visionem & amorem beatificum, & sic posset beatificari, quod dicere est absurdum. ℞, neg. Secundam sequelam, cuius ratio sufficiens assignata est in in lib. de anima disp. 5. q. 7. præcipue à n. 56. Sed neque priorem sequelam tenemur concedere ad verificationem nostræ conclusionis, ad quam sufficit quod aliqua accidentia spiritualia recipi possint in subiecto corporeo, non autem quod omnia: Cum de actibus vitalibus sit specialis controuersia non ob rationem spiritualitatis, sed vitalitatis, ratione cuius dicunt plures authores debere necessario ab agente vitali produci & in ipso solo subiectari.

16. Inquires, *Vtrum idem numero accidens possit poni in diuersis subiectis realiter & immediate?* ℞, negatiue, cuius resolutionis fundamenta habentur in Physicis disp. 1. q. 12. Et est expressa sententia Scoti locis ibi citatis & præsertim 3. d. 1. q. 2. n. 4. Vbi dicit: *quod ita impossibile videtur vnum accidens esse in duobus subiectis, sicut vnam formam substanitalem esse in duabus materiis, igitur si necessario sequitur infinitas in forma substantiali, si esset in pluribus materiis; necessario sequitur infinitas ex eo quod vnum accidens esset in multis.* Nec satisfacit expositio Poncij disp. 13. n. 31. dicentis, Scotum non loquutum ibi absolute & ex propria sententia, sed instando contra quamdam responsionem Varronis. Ad cuius impugnationem & intentum Scoti (inquit Poncius) non opus erat tenere & asserere, vnam formam substantialem non posse esse in pluribus materiis, ex cuius paritate infert Scotus, quod nec vna forma accidentalis possit esse in pluribus subiectis. Non (inquam) satisfacit: quia nisi Scotus assertiue affirmaret vtramque impossibilitatem formæ substantialis in pluribus materiis & accidentalis in pluribus subiectis, nihil probaret contra prædictam responsionem: Hæc enim dicebat, ideo argui infinitatem in natura diuina existente in pluribus personis, quia identificata est & intrinseca ipsis; non autem in natura creata: cum hæc sit realiter distincta à personalitatibus & tunc esset ipsis extrinseca; Scotus hoc improbans dicit, hoc non valere, cum etsi forma substantialis distincta sit realiter & accidentalis etiam ac aduentitia suppositis quæ constituunt ac perficiunt, arguatur etiam infinitas & illimitatio in ipsis, si in pluribus simul existant, ergo cum contra prædictam responsionem probaret, in exemplo argui etiam illimitationem, iudicauit etiam omnino æqualiter esse impossibile vtrumque. Nec sane video quo pacto nisi cum euidenti violentia aliud de mente Scoti in hac re dici possit.

DISPV

DISPVTATIO X.

De Quantitate.

1. QVANTITAS est accidens quoddam absolutum distinctum realiter à substantia, quam afficit, imo & à quacumque re, quæ dicitur quanta. *Primum* quoad P. P. Iesuitas & alios qui subiectant immediate quantitatem in materia prima & aliquos vt Arriaga qui putant identificari realiter cum ipsa, iam manet probatum à nobis in lib. de generat. disp. 1. q. 3. Vbi diximus non in materia sed in toto composito subiectari; Cum Thomistis vero, qui in hoc nobiscum conueniunt non est controuersia: ipsi enim etiam dicunt quantitatem distingui realiter à substantia, quam afficit. *Secundum* de distinctione à re, quæ dicitur quanta, dico propter Nominales, qui non ponebant ipsam accidens distinctum, sed esse ipsam entitatem rerum corporearum. Vnde in vna quaque re non vnicam quantitatem, sed aliam esse materiæ aliam formæ, totque alias, quot qualitates aliaque accidentia inueniebantur, ponebant. Quare quantitate & substantia panis destructa in Sacramento eucharistiæ asserebant persenetare ibi qualitates sensibiles quamlibet cum sua Quantitate. Sed sententia hæc iam communiter reiicitur: quia est contra communem torrentem Scholasticorum & P. P. qui communiter affirmant inter accidentia panis & vini, quæ remanent destructa substantia, remanere etiam quantitatem, quæ afficiebat ante substantiam, & erat quantitas eius propria. Vnica ergo est quantitas in qualibet substantia corporea, cuius effectum formalem participant & substantia, quæ est sub ipsa, & qualitates materiales, quæ in ipsa sunt, quælibet suo ordine.

QVÆSTIO I.

Quis sit proprius & formalis effectus Quantitatis?

APpono sub his terminis quæstionem: quia cum accidentia sint affectiones substantiæ, nec aliter afficiant ipsam, quam præbendo illi suum effectum formalem per suammet entitatem, cognito effectu formali, quem quodlibet præbet substantiæ, cognoscetur etiam & ratio formalis constitutiua cuiusque in suo speciali esse. Inquirimus ergo, quem effectum formalem præbet quantitas substantiæ, & inde essentiam eius cognoscemus provt distinctæ ab aliis accidentibus: Pro quo,

3. Suppono *primo*, rationem formalem eius non consistere in hoc quod sit mensura actualis aut aptitudinalis aliorum; Neque etiam in ratione diuisibilitatis in partes integrantes. In quo conueniunt communiter fere omnes contra aliquos antiquos vt Albert. Magn. Sonzinatem & alios. *Primum* patet, quia per accidens est quod quantitas mensuret aut mensuretur; Et aptitudo ad hoc cum sit respectus aptitudinalis (vt in simili diximus disp. 8. n. 3. & disp. 9. n. 5) ad summum potest esse proprietas quantitatis. *Secundum* etiam constat: nam vt quæst. sequenti contra Thomistas probabimus, substantia est etiam diuisibilis in partes integrantes, etiam separata Quantitate: non

 enim

enim videtur posse negari, quin substantia capitis hominis, separata quantiate, possit diuidi & conseruari diuisa à substantia manus & hæc à substantia pedis, & idem est de qualibet alia substantia corporea.

3. Suppono *Secundo* cum communi sententia tam Thomistarum, quam Scotistarum & recentiorum, effectum formalem quantitatis consistere in extensione partium id est in hoc quod res quam quantitas afficit, habeat partes extra partes. Quod intelligendum est non de extensione actuali, secundum quam partes quantitatis, sint actu extra se inuicem, taliter vt si quantitas illa poneretur in loco, vna pars ipsius correspondeat vni parti loci & altera alteri, sicut manus mea de facto correspondet alij parti huius loci, in quo sum, & pes alteri: Et ratio est, quia de facto quantitas corporis Christi Domini reperitur cum substantia sub speciebus Eucharisticis, item quia nulla est ratio, cur Deus non posset omnes partes quantitatis taliter collocare inter se vt non essent extra se inuicem, sed simul penetratiuè sicut in Physicis diximus posse duo corpora quanta esse simul penetratiue in eodem loco. Sed Aduertendum est ad maiorem rei claritatem, extensionem partium considerari posse vel in ordine ad se vel in ordine ad locum extensio partium in ordine ad se est habere partes cum aliquo speciali ordine inter se vnitas, vt siue sint omnes penetratiue in eodem loco, siue non sint, vna ex illis vniatur immediate alteri alicui determinatæ parti & alia alteri, non vero omnibus: vt v. g. caput collo, collum humeris, humeri brachiis &c. Huiusmodi extensionem partium habet corpus Christi Domini sub speciebus Eucharisticis: nam quamvis omnes partes corporis eius sint simul sub qualibet particula hostiæ tamen caput non vnitur Physice immediate pedi, nec manus oculis, sed eodem modo sic sibi immediate vniuntur, quo vniuntur, in cœlo, vbi sunt extra se inuicem quoad locum. Extensio autem in ordine ad locum (loquendo de aptitudinali) consistit in aptitudine illa, quam habet res ad occupandum tantum vel tantum locum ita vt vni parti loci correspondeat vna pars rei extensæ & altera alteri. His præmissis,

4. Sit nostra conclusio, *Effectus formalis quantitatis, atque adeo ratio formalis eius est habere & prabere talem extensionem partium, ad quam sequitur aptitudo & exigentia connaturalis expellendi se inuicem & alias res ab eodem loco; quæ aptitudo appellatur communiter impenetrabilitas naturalis.* Est sententia communior apud Scotistas & recentiores, colligiturque ex Scoto 5. Metaph. q. 9. & 4. dist. 10. quæst. 1. num. 14. & 17. Probatur *Primo*, quia certum est omnem quantitatem habere hanc extensionem, & nihil aliud habere eam nisi ipsam quantitatem, vel quod quantum est ratione quantitatis; nec videtur vlla alia ratio formalis, posse conuenientius attribui ipsi, quam prædicta. *Secundo* probatur: nam ideo quantitas habet posse diuidi naturaliter per interpositionem corporis, quia non potest coexistere naturaliter cum corporibus, in quibus non subiectatur; Et ideo habet aptitudinem occupandi locum circumscriptiue, quia habet hanc extensionem partium, ad quam sequitur aptitudo expellendi se inuicem & alia ab eodem spatio, ergo talis extensio est ratio formalis eius. Nec obstat quod Scotus in prædicament. videatur dicere, quod diuisibilitas sit ratio formalis quantitatis: nam explicandus est de diuisibilitate radicali,

id

id est de radice ad quam sequitur diuisibilitas naturalis in partes integrantes per interpositionem corporis; quæ, propterea est proprietas quantitatis in quarto modo, sed hoc idem est quod asserimus in nostra conclusione; quæ, vt bene probat noster Poncius melius explicat essentiam quantitatis, quam Arriaga, qui ponit esse id quod reddit impenetrabile naturaliter id, in quo est, cum alio eiusdem speciei: nam etiam reddit impenetrabile cum alio diuersæ speciei: non enim homo, in quo est quantitas, est impenetrabilis magis cum alio homine, quam cum lapide vel cum ligno. Quod si loquatur iste author de subiecto immediato quantitatis, quod secundum ipsum est materia prima, adhuc non valet explicatio: quia si darentur materiæ primæ diuersæ speciei vt multi tenent de sublunari & cœlesti, adhuc essent impenetrabiles naturaliter à quãtitate. Rursus si daretur albedo cum quantitate identificata extra subiectum, & dulcedo etiam identificata cum alia, vt probabile reputat idem Arriaga, expellerent se mutuo, nisi vnirentur Physice, non minus quam de facto expellunt se mutuo Homo & equus. Non ergo quantitas expellit solum ea, quæ sunt eiusdem rationis. Vide quæ diximus in Logica Vtente capite 3. num. 6.

5. Sed Obiicies, quantitas non expellit ab eodem loco substantiam, quam afficit, nec qualitates in se subiectatas, nec etiam substantias spirituales aut corpora gloriosa etiam connaturaliter, ergo falsa est conclusio. Et confirmatur quia potest coexistere in eodem spatio cum quibuscumque aliis rebus, vt patet in quantitate corporis gloriosi, quæ est penetrabilis cum quacumque re; Et partes eiusdem quantitatis possunt coexistere simul in eodem spatio: vt constat in quantitate corporis Christi Domini sub speciebus Eucharisticis, ergo male dicitur quod ratio formalis quantitatis consistat in impenetrabilitate radicali seu in extensione partium, ad quam sequitur aptitudo expellendi se inuicem, & alias res ab eodem spatio. Respondeo, conceß. antecedenti neg. consequent. quia conclusio debet intelligi de exclusione aliarum rerum, quæ etiam sunt affectæ quantitate, quæ quidem relicta sit in suo operari naturali, quod dico propter quantitatem corporis gloriosi. Vnde ad confirmat. dist. antecedens. Potest supernaturaliter coexistere conced. antecedens; naturaliter, nego antecedens. Et similiter dist. consequentiam: ergo male dicitur &c. ad quam sequitur talis aptitudo vt nullo modo poßit coexistere cum aliis rebus quantis conced. consequentiam; ad quam sequitur talis aptitudo, vt non poßit coexistere connaturaliter nego.

Dices, Penetrabilitas est proprietas opposita impenetrabilitati & & competens rebus essentialiter distinctis à quantitate, vt rebus spiritualibus, ergo non potest competere quantitati, quæ habet proprietatem oppositam, nimirũ impenetrabilitatem. ℞. penetrabilitatem vt sic non esse proprietatem quarto modo rerum spiritualium & distinctarum essentialiter à quantitate, sed penetrabilitatem naturalem; hæc autem penetrabilitas non competit quantitati, cui proprium quarto modo est non impenetrabilitas quomodocumque, sed impenetrabilitas connaturaliter.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

Vtrum extensio partium substantiæ sit effectus quantitatis?

Appono hanc quæstionem, sic seorsim disputandam, quia est nobis & recentioribus communiter specialis controuersia cum Thomistis asserentibus extensionem partium ita esse de essentia quantitatis, vt nulla alia res habeat aut possit habere extensionem partium nisi ratione quantitatis. Vnde consequenter dicunt, quantitatem dare extensionem partium integralium substantiæ corporeæ, in qua subiectatur, & accidentibus etiam corporeis, quæ subiectantur in illa, vt albedini, nigredini.

Pro decisione quæstionis Suppono vt certum quantitatem facere partes substantiæ ita extensas & extra se inuicem, vt naturaliter non possint poni penetratiue in eodem loco. Vnde aptitudo ad sic extendere partes substantiæ erit proprietas quarto modo quantitatis, & radix ex qua oritur talis aptitudo ratio constitutiua essentialis eius. Quod totum constat ex dictis quæst. præced. Est ergo difficultas: vtrum substantia corporea (Et idem est de accidentibus materialibus) præcisa quantitate habeat ex se & in sua entitate aliquam extensionem actualem partium, ita quod vere ibi essent partes diuersæ?

6. Sit nostra conclusio, *substantia corporea absque quantitate conseruata verè habet partes integrales & extensionem actualem siue in ordine ad se, siue in ordine ad locum seu spatium, quare talem effectum non participat à quantitate.* Sic Scotus & Scotistæ omnes cum recentioribus communiter contra plures ex Thomistis apud Complutens. hic. Probatur *Primo.* Pars substantiæ hominis: v. g. quæ est in pede est realiter distincta à sua quantitate, & pars substantiæ quæ est in brachio est etiam realiter distincta à sua quantitate. Hoc admittunt contrarij. Deinde substantia pedis prout distincta à sua quantitate est distincta realiter à substantia brachij prout distincta etiam à sua quantitate, non enim vna simplex substantia subest omnibus partibus quantitatis, vt etiam ipsi concedunt, & habetur per experientiam, qua nouimus brachium separari à pede. Et tamen certum est non separari solam quantitatem, sed simul cum illa substantiam, quam antea quantitas informabat; atqui substantia quæ perseuerat in brachio separato non est eadem substantia cum substantia remanente in pede, ergo substantia quam antea quantitas brachij informabat erat entitatiue distincta à parte rei à substantia pedis.

Et confirmatur *primo*, quia pars substantialis pedis & pars substantialis brachij sunt extra se inuicem semper, nisi fiat miraculum, & substantia ipsa hominis exigit connaturaliter, quod partes illæ sint extra se inuicem tam bene, quam tota quantitas exigit connaturaliter habere partes extra se inuicem, cum hoc solum discrimine, quod partes quantitatis non possint naturaliter esse simul; partes verò substantiæ absque quantitate fortassis opera Angeli possint esse simul. Quod discrimen non facit ad rem. Probatur hoc & explicatur amplius quia substantia hominis connaturaliter loquendo exigit, manum non esse immediate vnitam pedi, nec oculum auri, ergo exigit habere partes extra partes in ordine ad se; Et rursus eò ipso quòd exigit manum non esse vnitam pedi immediate, exigit etiam connaturaliter, quod si ponatur in loco, manus ponatur

ponatur correſpondens vni parti loci, & pes alteri:nam ſi non exigeret hoc, fruſtra exigeret, manum non eſſe vnitam immediate pedi, ergo exigit connaturaliter partes ſuas integrales eſſe extra ſe inuicem in ordine ad locum

Dices, ſubſtantiam corpoream,quæ eſt ſubiectum immediatum quantitatis, exigere quidem vt partes ſuæ ſint extra ſe inuicem in ordine ad ſe & locum, non tamen immediate & ex ſe, ſed quatenus exigit quantitatem, à qua formaliter conſtituitur vna pars ipſius extra aliam partem tam in ordine ad ſe quam in ordine ad locum. Sed contra, quia prius competit ſubſtantiæ illi habere partes ſubſtantiales extra partes, vnitas tali vel tali modo; quam exigit habere quantitatem, quia habet huiuſmodi partes. Nam in conceptu ſubſtantiæ corporeæ vt ſic, vt diſtinguitur à ſpirituali, inuoluitur pluralitas partium integralium, & in hoc probabiliter & communiter diſtinguitur à ſubſtantia ſpirituali, quæ indiuiſibilis eſt & non conſtans pluribus talibus partibus. Item quia in veriori ſententia & vt probauimus in lib. de generatione diſp. 1. num. 25. ſubſtantia manus diſtinguitur eſſentialiter à ſubſtantia oculi, quam diſtinctionem nequeunt habere à quantitate, quæ eſt eiuſdem rationis in ipſis, ergo ſubſtantia habet ex ſe plures partes integrales, & non à quantitate.

Reſpondent ad hoc aliqui ex aduerſariis, vt Ionnes à S. Thoma explicando amplius & limitando ſuam ſententiam: dicunt ergo diſtinctionem poſſe duplici modo conſiderari, vel vt opponitur vnitati omnino ſimplici, vel vt opponitur confuſioni. Si ſumatur priori modo, dicunt ſubſtantiam habere à ſe, & non à quantitate partes diſtinctas: quia in ſe non eſt vna entitas omnino ſimplex; ſi vero ſumatur poſteriori modo, dicunt habere à quantitate partes diſtinctas: nam quamuis habeat in ſe plures partes, quarum vna entitatiuè non eſt alia, eas tamen habet confuſas, quouſque illi adueniat quantitas, quæ eas explicet & confuſionem tollat. Quam doctrinam ſic explicant: De ratione partium integralium eſt, quod vna non vniatur penetratiuè ſecundum ſe totam alteri (ſicut vnitur materia prima cum forma ſubſtantiali: hæc enim ſecundum ſe totam vnitur illi ſe penetrando cum tota illa) ſed ſolum ſecundum vnam extremitatem, ita vt vna extremitas huius partis vniatur cum alia extremitate alterius,atque adeo non dabuntur partes integrales, vbi non datur vna & altera extremitas ratione quarum poſſunt inter ſe vniri & vnum totum integrare; cum autem non poſſint inueniri vna & altera extremitas ſine extenſione; & hæc proueniat à quantitate, neceſſe eſt quod partes integrantes ipſius ſubſtantiæ proueniant illi à quantitate; hac vero ablata tolluntur omnes extremitates, & omnia indiuiſibilia, ratione quarum partes ſubſtantiæ vniebantur integraliter (quia vniebantur per puncta,lineas & ſuperficies, quæ ſunt indiuiſibila propria ſolius quantitatis) itaque licet maneat tota entitas partium ſubſtantiæ, manet tamen confuſa & per modum vnius, ita vt non poſſit dici, manere ibi vnam & alteram partem integralem formaliter, ſed ſolum radicaliter. Iſte eſt diſcurſus, quo plene ſe ſatisfeciſſe iudicant aliqui recentiores Thomiſtæ.

Sed contra *primo*, quia vt diximus, certum eſt, quod homo: verbi gratia non habeat à quantitate, quod oculus non ſit vnitus manui immediate, nec

auris pedi : nam cum quantitas omnium partium hominis sit eiusdem rationis , non potest concipi , quo modo faceret oculum potius vnitum capiti , quam manui , ergo substantia hominis non habet ex se partes confusas , sed potius ex se ipsa exigit partes suas cum ordine quodam inter se vniri independenter à quantitate , vt si substantia illa tota ponatur in loco , oculus correspondeat vni parti loci & manus alteri , & consequenter exigit partes suas esse ordinatas etiam, quoad locum , absque confusione.

Contra *Secundo* , substantia cum suis partibus , quando sunt sub quantitate , distinguitur realiter ab ipsa quantitate , vt concedis ; tunc sic , partes integrales substantiæ , vt sic distinctæ , vel vniuntur inter se per indiuisibilia distincta ab indiuisibilibus quantitatis , vel per ipsa indiuisibilia quantitatis ? si dicatur *Primum*, ergo ex parte substantiæ provt distinctæ à quantitate dantur indiuisibilia substantialia , per quæ partes, substantiales vniuntur inter se , non secundum se totas , sed secundum aliquid sui ; supra quæ indiuisibilia & partes subiectantur indiuisibilia , & partes quantitatis ; & hæc est nostra sententia , ergo tunc substantia habet partes integrales formaliter ratione sui , & non à quantitate , consequentia patet ex explicatione partis integralis admissa ab ipsismet aduersariis ; si vero dicatur *Secundum* nempe , quod partes substantiæ vniantur per indiuisibilia propria quantitatis, ergo sustantia provt distincta à quantitate non est vnum per se substantiale. Probo sequelam , quia substantia provt distincta à quantitate (adhuc quando est sub ipsa quantitate) nihil aliud est nisi suæ partes vnitæ collectiuè sumptæ cum vnionibus ; sed ex partibus substantiæ sic vnitis non potest resultare vnum totum per se substantiale , ergo tunc homo vt ex partibus suis integralibus substantialibus constat , non erit vnum per se substantiale. Probo minorem , quia partes integrales substantiæ per te vniuntur inter se per indiuisibilia quantitatis , quæ sunt accidentia , & quidem impedientia immediatum contractum partium (vide quæ diximus in Physicis disp. 1. toto num. 74.) ergo vniuntur accidentaliter , atque adeo ex ipsis sic vnitis non resultabit vnum per se.

Dices , hinc sequeretur , quod substantia ex se esset impenetrabilis & sic quod nullus daretur effectus particularis , aut vsus quantitatis ? Respondeo *primo* , potius debere negari , quantitatem esse accidens aliquod absolutum distinctum à substantia , quam concedere , substantiam ex se non habere partes , quæ sint extra se inuicem ? Respondeo *secundo*, nego sequelam : quia licet partes substantiæ vnirentur mediantibus indiuisibilibus , adhuc possent penetrare se inuicem , sicut de facto partes quantitatis possunt saltem de potentia absoluta penetrari , non obstante , quod vniantur per per indiuisibilia ; quis autem sit effectus proprius quantitatis , diximus quæstione præced. nimirum esse impenetrabilitatem naturalem.

8. Confirmatur *secundo* , nostra conclusio : quia si à substantia hominis , verbi gratia , separaretur quantitas , vt benè posset fieri in instanti , non deberent partes eius confluere ad punctum , nec moueri , vllo modo localiter à loco , in quo erant

erant antecedenter, ergo haberet illa substantia ex se partes extra partes tam in ordine ad se, quam in ordine ad locum. Probatur anteced. tum quia gratissime & absque fundamento vllo id diceretur, tum quia non esset potior ratio, cur confluerent ad vnum punctum istius spatij, quam ad quodcumque aliud; Nec necessario deberet Deus determinare ad quod punctum confluerent, nec esset assignabile vllum principium, à quo ille motus effectiue procederet; Tum *tertio* quia alias daretur motus successiuus in instanti, aut saltem vna pars moueretur ab vna parte spatij ad alteram partem distantem, non transeundo per medium, quod implicat fieri naturaliter: nam pars substantiæ manus correspondens huic parti loci, cui iam correspondet de facto, debet transire ad aliquod vnum punctum, ad quod idem punctum deberet confluere pars substantiæ pedis & sic vel manus vel pes deberet transire in illo instanti ad illud punctum, quod esset distans à parte loci, cui correspondet iã, nõ pertransito medio vel transito in instanti.

Dices, illum confluxum partium substantiæ ad punctum in illo casu fieri supernaturaliter, non naturaliter. Sed contra *primo*, quia ex hac responsiõe sequitur, quod saltẽ naturaliter non deberent confluere ad punctum, & consequenter quod naturaliter loquendo deberent esse extra se inuicem, quod sufficit nobis. Contra *secundo*, quia Deus non teneretur supernaturaliter concurrere ad talem confluxum, quia ad nihil prorsus deseruit, ergo posset non concurrere, & consequenter haberet substantia partes extra partes absque quantitate.

Dices, Deum non teneri *simpliciter* ad illum concursum, sed solum *secundum quid* ex hypothesi prioris miraculi, hoc est separation's quãtitatis. Sed contra quia nulla est ratio ob quam deberet etiam connaturaliter ex suppositione talis separationis, concurrere ad illum confluxum. Deinde ille confluxus est realiter distinctus ab illa separatione, nec vllum ex illis est necessario connexum ex vllo capite cum altero, ergo Deus ex suppositione separationis non tenetur concurrere ad illum confluxum.

Respondet Ioan. à S. Thom. quod separata Quantitate à substantia hominis v. g. non confluerent omnes partes ad punctum nec in tempore nec in instanti: omnes enim huiusmodi imaginationes (inquit) tollendæ sunt, quia solum sequuntur quantitatem. Quare illa substantia non esset distans nec alicubi positiue, sed solum haberet existentiam suam sine loco, sicut res extra mundum, & Angelus non operans. Sed contra, quia hæc responsio supponit falsa principia, nimirum Angelum non esse in loco, nisi operetur; Et quod esse in loco & habere partem correspondentem vni parti loci & aliam alteri, sequatur solummodo Quantitatem, quod ex n. præced. constat esse falsum, & nos negamus. Item quia certum est quod illa substantia hominis, quæ in hoc instanti existit in hoc loco & non mouetur localiter, si in alio instanti separetur quantitas, sit ita indistans à corporibus in hoc spatio locatis, vt si oculus posset ipsam videre, oculi hominum hic existentium possent ipsam videre, & oculi eorum qui essent Romæ, non possent eam videre; Deinde certum est, quod posset eadem substãtia fieri ab illis ipsis oculis ita distãs, & ita indistãs ab oculis existentibus Romæ, vt hi possent tunc ipsã videre & illi non possent. Et denique quia posset Angelus tunc intuitiue cogno-

ſcere & videre talem ſubſtantiam vt diſtinctam & diuerſam ab aliis. Et ſi poſſet deſtruere partes illius, poſſet ſine dubio deſtruere vnam partem relictis aliis. Et poſſet item oſtendere, quænam pars aeris, qui ſuccederet quantitati deſtructæ, eſſet ſine parte illa ſubſtantiæ à ſe corruptæ ſeu deſtructæ, ergo eſſet in loco ſufficienter ad propoſitum noſtrum, ſiue ſit in loco poſitiue ſiue negatiue, quod nihil facit ad rem.

9 Obiicies *primo* ex Complutenſibus, extenſio illa partium ſubſtantiæ independenter à quantitate non eſt neceſſaria, ergo ſola quantitas per ſe & ex ſe habet talem extenſionem: conſequentia patet, quia eatenus illa ſola non haberet illam extenſionem, quatenus etiam competeret ſubſtantiæ. probatur āteced. quia ideo eſſet iſta extenſio partium ſubſtantiæ neceſſaria, vt poſſet in ſe recipere Quantitatem quæ partes extenſas habet, ne ſcilicet diuiſibile extenſiue in indiuiſibili extenſiue recipiatur; Sed ad hoc non eſt neceſſaria illa extenſio, ſed ſufficit capacitas in ſubſtantia ad recipiendam quantitatem: alias (inquiunt) ſi ad recipiendam extenſionem quantitatis non ſufficeret extenſibilitas ſubſtantiæ, ſed neceſſaria eſſet aliqua extenſio actualis entitatiua; ſimiliter *vbi* circumſcriptiuum deberet præſupponere aliud vbi entitatiuum, & vt anima reciperet intellectum deberet præhabere alium intellectum. ℞. neg. anteced. Ad pobat. neg. mi. nam quemadmodum qualitates extenſæ non poſſent recipi in Quantitate, niſi hæc eſſet extenſa entitatiue, ita ſane non poſſet quantitas extenſa recipi in ſubſtantia, niſi hæc eſſet entitatiue extenſa. Ad probat. minoris, neg. ſequelam: nec enim ad recipiendum vllum accidens debet ſubiectum præhabere aliud accidens ſimile; Neque eſt vlla ratio aut experientia, cur ante *vbi* deberet eſſe aliud vbi, aut ante intellectum alius intellectus, neque id ab vllo authore claſſico niſi abſurdiſſime aut diceretur aut conciperetur, & valde mirum eſt argumenta, quæ contra Scoti ſententiam accumulant iſti Patres maiori ex parte eſſe huius farinæ: Itaque implicat quod quantitas poſſet extendere partes ſubſtantiæ, niſi ſubſtantia haberet partes plures extenſibiles, quarum vna non eſſet altera, & propterea ad hoc vt recipiat quantitatem extendentem, debet neceſſario habere plures huiuſmodi partes ſeu entitates. Neque hoc poteſt vlla probabilitate negari.

Obiicies *Secundo*, Non poteſt ante quantitatem eſſe in ſubſtantia vlla compoſitio partium integrantium etiam entitatiuarum, ergo illa compoſitio & conſequenter extenſio prouenit à quantitate: probatur anteced. quia compoſitio partium integralium eſt accidentalis, quia non eſt ex actu & potentia ſimpliciter, ergo nequit eſſe in ſubſtantia ante quantitatem cum quantitas ſit primum accidens ſubſtantiæ. Reſpondeo neg. anteced. & ad probat. diſt. anteced. eſt compoſitio accidentalis ideſt compoſitio partium, quæ non habent ſe per modum actus & potentiæ. cōced. antec. eſt cōpoſitio accidētalis prout talis dicitur compoſitio ſubiecti & accidentis in ſe ſubiectati, ſicut eſt compoſitio parietis & albedinis, quæ vtique obſtaret, vtpote accidentis impedientis immediatum contactum (vt ita dicam) ipſarum partium nego, anteced. Lege quæ ſupra citauimus in Phyſicis diſp. 1. n. 74.

10 Inquires, *quotuplex ſit Species Quantitatis?* Pro ſolutione huius dubij recolenda

recolenda sunt quæ diximus in log. vtent. cap. 3. sect. 2. vbi diuisionem & coordinationem prædicamenti quantitatis assignauimus. Item in Physicis tota disp. 6. vbi de diuisione & compositione continui egimus. disp. 3. quæst. 1. vbi de natura motus & disp. 4. quæst. 7. & 8. vbi de tempore. Ex quibus sufficiens habetur notitia eorum omnium, quæ deseruire possunt nostro instituto. Nam de quantitate continua latius disputare spectat ad Mathematicum; de quantitate vero discreta vt est numerus & oratio, & de successiua, vt est tempus & motus vltra dicta solum posset dubitari, vtrum habeant sufficientem vnitatem, vt possint & debeant collocari in hoc prædicamento tanquam species eius? De quo videndus noster Poncius disp. 14. quæst. 4. & 5. Nos autem propter authoritatem Aristot. & Scoti sine vlteriori examine (quod prorsus inutile censemus) tamquam species huius prædicamenti in ipso collocari debere dicimus; Sicut & de aliquibus speciebus *qualitatis* & *Relationis*, de quibus id etiam dubitatur, idem omnino propter eamdem authoritatem dicimus. Quod si aliquis velit oppositum asserere & defendere, probabiliter satis procedet, ego tamen cum ipso non contendam: quia res mihi est inutilis, & disputatio superflua.

DISPVTATIO XI.

De Qualitate.

1. Hoc nomen *qualitas* ex Aristot. 5. Metaph. cap. 13. & Scoto ibidem est æquiuocum & plures significationes sortitur apud Philosophos. *Primo* enim significat differentiam essentialem cuiuscumque. In quo sensu ex Porphyrio cap. de differentia diximus in logica vtente cap. 2. sect. 3. differentiam propriissimam prædicari *in quale quid*. Sub hac significatione transcendit omnia prædicamenta: quia in omnibus repeririuntur differentiæ essentiales, per quas & genera eorum diuiduntur & species constituuntur. *Secundo* significat quodcumque accidens prædicamentale. In quo sensu omne accidens dicitur prædicari de substantia *in quale*, sub hac acceptione qualitas comprehendit omnia prædicamenta accidentium. *Tertio* denique accipitur qualitas proprie & stricte pro supremo genere huius prædicamenti. Et sub hac acceptione eam definiuimus in logica cap. 3. sect. 3. dicendo, quod sit *Accidens absolutum, dispositiuum, seu modificatiuum substantiæ in se ipsa.* Per quam quidem descriptionem congrue & sufficienter explicatur essentia eius, & distinguitur à reliquis prædicamentis Accidentium: nam per ly. *Absolutum* distinguitur à prædicamento *Relationis*, & etiam à sex vltimis, quæ secundũ nos sunt relationes. Et licet in hac particula conueniat cũ Quãtitate distinguitur tamẽ ab ipsa per reliquas nẽpe per ly *dispositi-*

uum substantia in se ipsa : nam quantitas disponit substantiam in ordine ad recipiendas qualitates, & ad agendum ac patiendum ab agentibus corporeis, quæ in rem non quantam nequeunt agere, & etiam in ordine ad impenetrationem suarum partium : vt constat ex dictis disp. præced. qualitas vero vt sic taliter disponit substantiam, quod in se ipsa & non in ordine ad aliquod extrinsecum modificet; quamuis aliquibus qualitatibus ex speciali ratione sua hoc etiam ipsis conueniat, quod non obstat quominus qualitas vt sic recte describatur per *disponere substantiam in se ipsa*. Igitur ratione qualitatis explicata, solum restat nobis discutiendum, quid circa diuisionem eius quam facit Aristoteles hic, & nos explicauimus in Logica supra, senserint authores? Et si quæ alia circa hoc sunt dubia; sit ergo.

QVÆSTIO VNICA.

Qualis sit diuisio qualitatis tradita ab Aristotele?

PLura nobis disputanda occurunt in hac quæst. *Primum*, vtrum ista diuisio sit exacta? *Secundum* qualiter differant & se habeant inter se membra diuidentia? *Tertium* an recte ordinauerit Aristoteles ipsa, appellando primum *habitum, & dispositionem*, secundum *potentiam & impotentiam &c. Quartum* denique an sit diuisio generis in species?

Circa primum Notandum ex duplici capite posse aliquam diuisionem non esse exactam scilicet vel quia aliquæ res continentur sub membris diuidentibus, de quibus non prædicatur diuisum, vel quia aliquæ sunt res, de quibus prædicatur diuisum, quæ sub membris diuidentibus non continentur.

2. Sit conclusio, *Diuisio qualitatis quam ex Aristotele assignauimus in Logica loco supra citato est exacta & sufficiens.* Est communis, cuius varias rationes vide, si placet, apud Suarez tom. 2. Metaph. disp. 42. sect. 5. Sed accipe quam assignat Scotus q. 36. prædicament. quæ sic se habet; qualitas est dispositio substantiæ in se ipsa, aut ergo hæc dispositio est interior aut exterior, si exterior aut non primo sensibilis, & sic est quarta species quæ dicitur *forma & figura* : aut primo sensibilis, & sic est tertia species, quæ dicitur *passio & patibilis qualitas.* Si dispositio interior, aut est innatum principium operandi faciliter vel difficulter, & sic est secunda species; quæ dicitur *potentia & impotentia*; aut non est innatum principium operandi, & sic est prima species, quæ dicitur *habitus & dispositio*; atqui præter has non est assignabilis alia dispositio substantiæ in se ipsa, ergo sufficienter & exacte diuisa est qualitas in communi in ista quatuor membra.

3. Sed contra obiicies, aliqua res continetur sub membris diuidentibus, de qua non prædicatur diuisum, ergo diuisio non est exacta. Probatur antecedens figura seu forma est quidam terminus quantitatis, ergo non est species qualitatis, sed potius reducitur ad prædicamentum quantitatis, cuius terminus est. Et confirmatur ex Scoto 4. d. 12. q. 4. num. 19. vbi dicit: *quod figura vltra quantitatem non dicit nisi relationem partium ad se inuicem vel terminorum claudentium partes.* Et 1. d. 17. quæst. 2. num. 3. dicit, quod *pulchritudo*, quam diximus in Logica esse formam de quarta specie qualitatis, *non est aliqua qualitas absoluta, sed est*

aggregatio

aggregatio omnium conuenientium tali corpori puta magnitudinis , figuræ &c. Ergo forma & figura non debent poni species qualitatis. Respond. neg. anteced. Ad probat. dico , formam , aut figuram non esse terminum intrinsecum quantitatis : iste enim in linea est punctum , in superficie linea & in corpore superficies , sed potius esse terminum extrinsecum resultantem ex termino intrinseco , vnde argumentum nihil probat : solum enim potest procedere de terminis intrinsecis : alias concluderet , omnia accidentia debere reduci ad prædicamentum substantiæ:cum vnumquodque in sua serie possit dici modus & terminus extrinsecus substantiæ.

Ad confirmat. ex Scoto dico, quod sicut in quantitate potest excogitari duplex extensio partium , vna in ordine ad se , quæ vere datur in corpore Christi Domini existentis , in Eucharistia . & alia in ordine actuali ad locum ; ita in quacumque re materiali affecta quantitate possumus excogitare duplicem figuram , aut formam , vnam , quæ sequitur extensionem partium quantitatiuarum in ordine ad se , quæ etiam vere datur in corpore Christi Domini in Eucharistia, & aliam , quæ sequitur eamdem extensionem partium , vt dicunt actualem ordinem ad locum. Nunc dico quod Scotus sumit ibi figuram vel pro habitudine quam dicunt partes quantitatis ad locum , vel pro habitudine quæ sequitur ad easdem partes , quatenus subsunt relationi partium ad locum , & vtroque modo certum est esse relationes : quia in priori sensu spectat ad prædicamentum *vbi* , & in posteriori ad prædicament. *situs* ; Non autem sensit ibi Scotus figuram , provt est quarta species qualitatis , quæque sequitur ad partes quantitatis secundum se & secluso quocumque ordine actuali ad locum qualiter sumpsit q. 36. prædicament. citata §. *ad quintam q. dicendum* Et in hoc sensu intelligit Doctorem Cauellus schol. 5. ad. quæst. 6. Quinti Metaph. ex quo etiam habetur explicatio pro secunda auctoritate.

4. Circa secundum dubium de differentia & habitudine inter se eorum, in quæ fit hæc diuisio , dicendum est *primo* , quod qualitas comprehendens habitum & dispositionem provt significant solum qualitates primæ speciei bene describitur esse qualitas insensibilis sensu externo , non sequens ex natura subiecti, seu non insita subiecto ex natura , prior quidem nempe habitus difficulter mobilis , posterior vero id est dispositio facile mobilis. Est assertio communis, circa quam inquiri solet, an distinguantur essentialiter vel solum accidentaliter per ly *facile vel difficulter mobilis* ? Vbi nobis dicendum est cum Scoto & magis communi sententia , solum accidentaliter distingui ; Et debet intelligi de ratione habitus vt sic & dispositionis vt sic : cum manifestum sit , eidem omnino formæ posse competere accidentaliter , quod nunc sit , difficile mobilis , nunc facile mobilis; sed tamen habitui alicui potest competere , quod ex ratione sua particulari distinguatur ab aliqua dispositione in particulari essentialiter.

5. Dicendum est *secundo*, Quòd qualitas cōprehendens *potentiam & impotentiam naturalem* sit qualitas insensibilis sensu externo , naturæ innata , prior , qua quis multum posterior , qua parum inclinatur ad operandum. Est etiam assertio communis & Scoti cum suis. Circa quam idem dubium ac in præcedentibus inquiri solet , vtrum scilicet per ly *parum aut multum inclinari* distinguantur solum accidentaliter ? Et Respondetur similiter

affirmatiue ,

affirmatiue, cum simili etiam restrictione & explicatione, nempe quod hoc verum sit præcise de rationibus istis consideratis non secundum rationes particulares cuiuslibet, sed solum vt sic & in communi: nam manifeste constat per esse paruum aut magnum non argui distinctionem specificam: vt patet in calore intenso & remisso.

6. Dicendum est *tertio*, Quod qualitas comprehendens omnes & solas *passiones* & *patibiles qualitates* sit qualitas primo seu per se sensibilis sensu extero, Altera vero nempe *patibilis qualitas* diu durans, altera autem nempe *passio* cito transiens. Est etiam communis cum Philosopho & Scoto supra. Vbi etiam vt in præcedentibus dicendum est, per *cito aut diu durare* solum accidentaliter distingui, quod constat manifeste: nam calor idem respectu ignis dicitur patibilis qualitas, respectu vero aquæ dicitur passio. Item quia non est principium vllum distinguendi essentialiter rubedinem ortam ex verecundia, quæ est passio, & ortam ex naturali complexione, quæ est patibilis qualitas.

7. Dicendum est *quarto*, quod qualitas comprehendens formam & figuram sit qualitas secundo seu per aliam sensibilis, quarum prior nempe forma potest dici esse dispositio exterior substantiæ in se ipsa, nimirum quædam decens lineatio rei animatæ, propteréaque ab ipsa dicitur pulchra; Posterior vero potest dici ipsa inclusio seu terminatio superficiei decentibus & proportionatis lineis terminatæ. Quod intellige iuxta explicationem appositam supra n.3. Et dicendum est sicut in præcedentibus solum accidentaliter distingui & penes diuersas considerationes: Nam extrinseca terminatio superficiei, quæ à Philosophis considerantibus quantitatem r co poribus affectis qualitatibus sensibilibus dicitur *forma*; eadem à Mathematicis considerantibus quantitatem abstractam à substantia & qualitatibus, dicitur *figura*. Itaque tam formæ quam figuræ competit disponere seu modificare substantiam secundum superficiem exteriorem, & solum accidentaliter distinguuntur, penes hoc quod forma significat istam dispositionem physice, figura vero mathematice.

8. Circa tertium dubium, An scilicet recte ordinauerit Aristoteles diuisionem? Conclusio est etiam affirmatiua, si res, in quas fit, considerantur logice; Nam sensu logicali illud dicetur prius, quod est superius; Sed Habitus seu dispositio est superior quam naturalis potentia & impotentia, & hæc quam passio seu patibilis qualitas, & ista, quam forma seu figura: nam illa species qualitatis dicitur superior, quæ minus addit supra rationem qualitatis vt sic; sed secunda addit rationem naturalis potentiæ, quam non includit prima, & tertia rationem qualitatis exterioris, quam non includit secunda, & quarta rationem qualitatis secundo sensibilis, quam non includit tertia, ergo prima est superior quam secunda, hæc quam tertia, & tertia quam quarta. Si autem physice considerentur, sine dubio male ordinatæ sunt (sed vt notat Scotus supra, non ordinauit eas Aristoteles in hoc sensu). Probatur, quia in sensu physico illæ qualitates dicendæ sunt priores, quæ antecedunt alias via generationis; sed forma seu figura via generationis antecedit omnes alias: quia inter omnia accidentia quantitas primo inhæret substantiæ, vt diximus: ergo qualitates quæ immediate sequuntur quantitatem erunt priores, via

via generatio nis; ſed huiuſmodi ſunt forma & figura, ergo. Item inter qualitates interiores prior eſt naturalis potentia via generationis; quam habitus ſeu diſpoſitio, ergo &c.

9. Circa quartum dubium, An ſcilicet ſit diuiſio generis in ſpecies? *Concluſio etiam, eſt affirmatiua* cum Scoto quæſt. prædicament. citata. Et Probatur ſic: quia communis conceptus qualitatis vniuocè & in quid prædicatur de membris diuidentibus, quæ inter ſe ſe ſpecie differunt: iſtæ enim ſunt prædicationes vniuocæ & in quid: habitus eſt qualitas, naturalis potentia eſt qualitas; inſuper quælibet, earum differt ſpecie à qualibet: habent enim rationes formales diuerſas, ergo eſt diuiſio, generis in ſpecies. Verùm licet in ſe ſit talis diuiſio, nihilominus ab Ariſtotele non eſt aſſignata per differentias eſſentiales, & intrinſece conſtituentes illas ſpecies, ſed per modos accidentales naturaliter conſequentes differentias eſſentiales. Quod patet ex eo quod Ariſtoteles appellat hanc diuiſionem qualitatis in diuerſos modos: nam *qualitas* (inquit) *eſt eorum quæ multipliciter* id eſt quæ, multis modis dicuntur. Et in fine capitis ſubiunxit: *Fortaſſis quidam alius quiſpiam modus qualitatis apparebit.* Conſtat etiam quia membra diuidentia non diuidunt qualitatem immediate etenim vnius generis ſupremi tantum poſſunt eſſe duæ ſpecies immediate ipſum diuidentes: quia ex Ariſtot. 10. Metaph. Diuiſio immediata vnius generis ſolum fit per differentias immediate oppoſitas, quæ ſecundum eumdem ibidem ſolum poſſunt eſſe duæ: nam vnum vni duntaxat opponitur immediate; membra autem huius diuiſionis non ſunt duæ ſed quatuor; Nec diuidunt qualitatem vnum mediante altero: alias eſſent eſſentialiter ſubordinatæ, & vnum prædicaretur de alio, quod non contingit in propoſito, ergo dicendum eſt, hanc diuiſionem non eſſe aſſignatam per differentias eſſentiales, ſed præciſe per modos accidentales ipſas naturailter conſequentes. Qui modi talis ſunt conditionis, vt vnus dici nequeat de alio, nec duo de aliquo eodem, vt autem has conditiones obtineant, oportet ſumantur cum præciſione poſteriorum v. g. vt aliqua qualitas habeat rationem habitus ſeu diſpoſitionis, non ſufficit quod ſit faciliter aut difficulter mobilis à ſubiecto, ſed vlterius requiritur, quod præſcindat à ſubſequentibus, habeatque negationem ipſorum: id eſt requiritur, vt non ſit innatum principium faciliter aut difficulter operandi; item & quod non ſit qualitas exterior primo aut ſecundo ſenſibilis. Et eodem modo Philoſophandum eſt de reliquis.

10. Inquires, *Vtrum qualitas ſit perfectior quantitate?* ℞. affirmatiue, cuius ratio poteſt eſſe quod in nobiliori ſubiecto nempe in Angelo reperiatur & quod per differentias perfectiores contrahatur, ex quo merito colligitur, ipſam toto genere perfectiorem eſſe quantitate; à qua licet plures qualitates dependeant, non propterea exceduntur in perfectione: nam in rationibus aliis nobilioribus exceditur quantitas omnis ab aliquibus qualitatibus.

DISPVTATIO XII.

De Relationibus.

1. RELATIO prædicamentalis, quæ ponitur ab Ariſtotele in tertio prædicamento appellato ab ipſo *Ad aliquid* exactè deſcribitur dicendo

quod sit: *accidens reale intrinsecus adueniens, cuius totum suum esse est ad aliud se habere*: Idest *cuius totum esse consistit in ordinatione actuali alicuius realiter distincti ad aliud realiter distinctum.* Dicitur *Accidens* ad excludendas omnes relationes substantiales; vt sunt relationes Diuinæ & omnes illæ quæ identificantur substantiæ realiter: quia tales cum non sint aptæ natæ inhærere, non sunt accidentia prædicamentalia, licet aliàs possint dici accidentia prædicabilia, idest extra essentiam rei, cui conueniunt. Dicitur *reale* ad excludendas relationes rationis, quæ non collocantur in prædicamentis. Dicitur *intrinsecus adueniens* ad excludendas relationes extrinsecus aduenientes de quibus inferius q.4. dicitur *cuius totum esse consistit in ordinatione actuali alicuius ad aliud* vt excludantur accidentia realia absoluta? Et vt significetur, quod non possint existere, quin actualiter ordinent vnum ad aliud, aut quod non habeant aliud munus quam actualiter ordinare vnum ad aliud: sicut similitudo non habet aliud munus quam facere aliquid actu simile alteri. Adiungitur etiam *alicuius realiter distincti* vt excludantur relationes transcendentales, quæ identificantur realiter suis fundamentis.

2. Et quas propterea debes notare, non exigere suos terminos actualiter existentes, sed sufficere, si possibiles sint: nam si identificentur realiter suis fundamentis, eo ipso quod fundamenta existant, etsi termini non sint existentes, & relationes existent: taliter se habent relatio appetitus aut aptitudinis materiæ ad formam non existentem, & quam dicit potentia vitalis v.g. intellectus ad intellectionem; quatenus est natus eam producere; Relationes vero prædicamentales exigunt necessario terminum existentem, vtpote quæ ex fundamento & termino per resultantiam oriuntur.

3. Harum relationum tria sunt genera quæ cum communi sententia assignauimus in Logica vtente cap. 3. sect. 4. quæ est de hoc prædicamento, Recolantur ibi dicta, vltra quæ non videbatur aliud quidpiam prænotandum, nisi quod non solum propter authoritatem Philosophi & Scoti debent poni relationes secundi generis, quæ sunt producentis ad productum v.g. Patris ad filium, sed etiam propter rationem ipsam æque in ipsis ac in reliquis relationibus vrgentem, nempe quod sine noua forma non est dabilis noua denominatio. Nec obstat quod in Diuinis ab actuali generatione Pater denominetur Pater sine alia relatione Paternitatis: nam cum ibi generatio actualis semper actualiter perseueret, non mirum quod ab ipsa habeatur denominatio Paternitatis; In creatis verò cum generatio actualis transierit, oportet ponere nouam relationem, à qua habeatur dænominatio Patris, quæ dum filius existit, semper durat. Sit ergo.

QVÆSTIO I.

An dentur relationes reales distinctæ ab extremis?

4. Controuersia & difficultas in hac quæstione consistit in explicando, à quo habeant res referri ad se inuicem v.g. à quanam forma paries albus denominetur similis aut dissimilis aliis rebus. Et suppono hoc haberi per formam realem independenter ab omni operatione intellectus aut potentiæ vllius

alterius vitalis cognitiuæ aut collatiuæ: cum certum sit dari à parte rei aliqua, quæ sunt sibi inuicem similia, aut dissimilia, æqualia aut inæqualia independenter ab omni operatione intellectus, vt constat in duobus albis, albo & nigro, duabus quantitatibus palmaribus, vna palmari & alia bipalmari. Dantur ergo à parte rei realiter illa à quibus proueniunt istæ denominationes; illa autem sunt quæ vocamus relationes prædicamentales, atque adeo dantur tales relationes à parte rei; est autem potissimum controuersia, An illæ formæ à quibus proueniunt huiusmodi denominationes sint realiter distinctæ ab ipsis extremis, quæ referuntur.

Et Notandum hic debere intelligi per distinctionem realem, talem distinctionem qualem habent illa, quorum vnum possit existere sine altero, siue alterum possit vicissim sine illo priori existere, siue non. Vnde si similitudo sit aliquid sine quo possit esse paries albus, quamvis ipsa non possit esse absque pariete albo, similitudo à qua denominatur paries albus similis, erit in hoc sensu quid realiter distinctum ab ipso pariete albo.

5. Sit nostra conclusio, *Dantur à parte rei relationes reales prædicamentales, quæ sunt entitates modales distinctæ realiter à suis fundamentis.* Est sententia Scoti 2. d. 1. quæstione 4. numero 13. & alibi sæpe. Sequuntur discipuli, & est communis inter fideliores Thomistas. Contra fere omnes Iesuitas, qui sine dubio conueniunt cum Nominalibus: isti enim in re non negabant, dari relationes reales à parte rei, sed asserebant non esse entitates distinctas à suis fundamentis, quod & Iesuitæ, etiam asserunt, sed diuersimode explicant: nam aliqui inter quos Arriaga dicunt, relationem consistere in duobus extremis: verbi gratia in duobus albis, quæ ad se inuicem per relationem referuntur ita, vt vnum dicat in recto & alterum in obliquo & vtrumque sit de essentia eius; Alij vero vt Suarez dicunt, relationem identificari ipsimet fundamento sic, vt essentia eius consistat in fundamento solo, & terminus non sit de essentia eius, sed conditio necessario requisita, vt denominet fundamentum ipsum referendo ad terminum.

Probatur conclusio, *primo*, quando aliqua ita se habent inter se, vt vnum possit existere absque alio, distinguuntur realiter; sed fundamentum similitudinis potest esse sine illa; ergo ista est entitas distincta realiter à fundamento. Respondet Arriaga, hoc argumento vere conuinci, distingui similitudinem à fundamento, non tamen à fundamento, & termino: ab vtroque enim simul existente etiam Diuinitus repugnat similitudinem separari. Sed contra, ergo ex positione, & ablatione termini aliquod nouum additur & tollitur à fundamento, & hæc est relatio similitudinis; Nec valet dicere, solum esse nouam denominationem desumptam à coexistentia termini: quia hoc esset tollere vnum ex decem prædicamentis. Quod est contra Aristotelẽ & communem; ex quo vlterius sequeretur similitudinem pertinere ad prædicamentum qualitatis, quando est inter duo alba; & identitatem in substantia pertinere ad prædicamentum substantiæ.

Ad hoc Respondet Franciscus Alphonsus Complutensis, posse duo

considerari in fundamento & termino, nempe entitatem cuiuslibet secundum se sumptam seorsim, & coexistentiam simultaneam vtriusque, ratione cuius nouam aliquam denominationem sortiantur. Priori modo spectant ad sua propria prædicamenta, posteriori vero constituunt prædicamentum relationis quia licet non resultet ex illis nouum accidens Physicum, resultat tamen noua determinatio, quæ est accidens prædicabile sufficiens ad constituendum prædicamentum. Sed bene hoc, istud accidens quod ponimus esse relationem superadditam verum est non esse accidens physicum in hoc sensu, quod per veram actionem physicam ad ipsum terminatam producitur; Sed non propterea non est accidens prædicamentale, quod per simplicem emanationem, quæ potest dici actio metaphys. producitur, ergo in re addit nouam entitatem, quæ est nostra relatio similitudinis, quam aduersarij nouam denominationem appellant, quæstionem de nomine vt videtur, inducentes.

Respondet *secundo* Arriaga, terminum relationis prædicamentalis non distingui ab ipsa, quia in rigore non est relatio. Quod si similitudo dicatur relatio ideo est quia non potest concipi simile, quin concipiatur aliud extremum, cui dicitur simile, non quia vnum extremum respiciat alterum, sed quia simile dicit vtrumque; vtrumque autem nequit intelligi sine vtroque: quod exemplificat in Petro & Paulo quatenus constituunt binarium, vt constituunt binarium, non respiciunt se mutuo, nec dicunt ordinem ad inuicem, & tamen vt constituunt binarium, vnus nequit concipi sine altero, quia binarius dicit vtrumque.

Sed contra sic rgumentor *primo*, quia hoc est tollere suppositum controuersiæ, nempe dari relationes veras prædicamentales, de quibus inquirimus, An ex suppositione quod dentur, sint distinctæ à fundamento & termino, nec ne? Contra *Secundo*, quia si quis non diceret ordinem ad album potius quam ad nigrum ante operationem intellectus, non potius deberet dici similis albo, quam nigro. Deinde quia si vnum quid, quod dicitur simile, non possit concipi sine alio, cui sit simile, ideo hoc fit quia dicit ordinem aliquem ad illum; qualem non dicit ad alterum, cui non est simile; Et non ex eo quod similitudo dicit vtrumque, vt constat ex eo quod vtrumque non prædicetur de eo, quod dicitur simile. Et per hoc patet, exemplum ipsius non esse ad propositum quia binarius ex eo quod dicit vtrumque constituentem ipsum simul sumptos, non potest prædicari de vllo ex ipsis: nec enim ex duobus constituentibus binarium vllus dicitur binarius; Sed similitudo dicitur de vno ex extremis, ergo non potest includere vtrumque extremum: Vnde etiam manifeste constat, quod hic author subiungit esse falsum, nempe similitudinem non esse aliud, quam binarium albedinum v.g. nam si hoc esset verum, quemadmodum de vno ex illis albis diceretur, quod esset simile, diceretur etiam quod esset binarius aut binarium, quod est absurdum.

6. Probatur *Secundo* Conclusio. Omnis denominatio noua positiua & realis debet prouenire à forma noua & reali; Sed denominatio similis, qua denominatur subiectum album simile alteri albo, quod de nouo producitur, est denominatio noua & realis, noua quidem, quia non erat antecedenter ad productionem alterius albi, realis

autem,

autem, quia antecedenter ad fictionem aut operationem vllam intellectus. Et etiam quia est inter extrema realia ob rationem fundandi realem repertam in fundamento, quod denominatur, ergo debet esse aliqua forma de nouo, à qua proueniat.

Dices, illam denominationem prouenire ab albedine formaliter: nam quamuis albedo fuerit in illo subiecto & non denominauerit ipsum, hoc tamen propterea accidit, quia deficit connotatio termini existentis; quæ connotatio adest, quando terminus producitur, itaque similitudo albi non est aliud, quam albedo connotans aliud album existens simul. Sed contra quia illa connotatio est quid realiter distinctum ab albedine, quandoquidem possit esse albedo sine illa; sed illa connotatio vt distinguitur ab aliis connotationibus, non est aliud quam ipsa similitudo, ergo similitudo distinguitur realiter. Præterea si ipsa albedo est realiter forma denominans simile, hoc est ipsa similitudo, sequitur *primo*, quod non possemus cognoscere vnum album sine alio, quod est falsum. Probo sequelam, idem est formaliter ex parte obiecti, parietem esse similem & esse album, quando datur alius paries albus; sed non possumus cognoscere ipsum similem nisi cognoscamus alium parietem album, ergo non possumus cognoscere ipsum vt album, nisi cognoscamus simul, aliud album.

Secundo sequitur, quod album sit simile antequam sit productus terminus. Probatur sequela, esse simile nihil aliud est quam habere similitudinem; sed album haberet similitudinem antequam produceretur aliud album, quia haberet albedinem, quæ per te esset ipsa similitudo. Quod si dicas, simile non esse illud, quod habet similitudinem realiter, sed quod habet illam formaliter, album autem non producto alio albo, non haberet similitudinem formaliter, sed tantum realiter: nam habere ipsam formaliter est habere ipsam denominantem; non autem esset denominans simile, antequam existeret terminus eius. Itaque vt denominetur album simile, requiritur existentia termini, non quod terminus sit de essentia relationis, sed quod sit conditio necessario requisita, vt albedo tribuat denominationem similis. Hæc est sententia P. Suarez &c.

Contra quam sic argumentor: quia si vt habeatur denominatio similis, requiritur aliquid ita distinctum ab albedine, vt possit esse albedo sine ipso, nimirum coexistentia albi similis cum altero albo, non potest assignari ratio, cur ista coexistentia non esset ratio constituens simile; sed hæc est nostra relatio prædicamentalis. Quod probo sic: quia controuersia realis huius rei est: vtrum vt fundamentum proximum similitudinis v. g. albedo sit simile alteri albedini, requiratur aliquid distinctum ab vtraque albedine, & sine quo quælibet ex ipsis possit existere, ergo si requiratur simultas existentiæ vtriusque albedinis, seu aliqua connotatio, sine qua quælibet ex ipsis albedinibus esse possit, habebemus intentum. Nam dicere quod requiratur, sed quod non sit ratio formalis constitutiua in esse similis, sed solum conditio sine qua non, est excitare quæstionem de nomine.

Dices, similitudo duorum alborum non est distincta realiter à coexistentia eorum; sed illa coexistentia est relatio extrinsecus adueniens: non enim præsupponit aliquid ex parte fundamenti aut termini, ad quod necessario sequatur

ergo ex hoc sequitur non dari relationē intrinsecus aduenientem distinctam realiter ab extrinsecus adueniente. Quod non videtur dicendum. Probatur ma. in qua est difficultas: quia nullum est signum distinctionis realis inter ipsa: non enim possunt esse sine se inuicem neque vnum est causa aut principium alterius, neque subiectantur in subiectis distinctis realiter, vt patet, ergo; respondeo. neg. ma. ad cuius probat. Dico, quod quamuis coexistentia duorum alborum non possit esse, quin sit similitudo, nec similitudo etiam, quin sit coexistentia aliqua illorum, tamen potest esse similitudo sine vlla determinta coexistentia: quamuis enim varietur coexistentia, quæ est quid successiuum, nam dicit ordinem ad tempus; tamen non variatur similitudo, sicut neque albedo, quæ est proximum fundamentum eius: nam duo alba eadem numero similitudine semper referuntur ad se inuicem; non autem eadem numero duratione semper durant, dum durant, atque adeo neque eadem numero coexistentia propter eamdem rationem coexistunt.

Instabis, si hoc esset verum, posset Deus conseruare pro quocumque instanti aut coexistentiam sine similitudine aut similitudinum sine coexistentia; Sed hoc est falsum: quia pro instanti illo, pro quo est ipsamet coexistentia nequit esse aut similitudo illa sine coexistentia aut coexistentia illa sine similitudine: vt patet, ergo non distinguuntur realiter. Probatur sequela maioris: quia nulla est ratio ob quam haberent tam necessariam connexionem inter se pro illo instanti determinato si distinguerentur realiter. Respon. neg. sequel. ma. cum sua probatione. Ratio autem necessariæ connexionis est, quod posita coexistentia illa, vltimate disponatur fundamentum ad hoc, vt emanet ab ipso relatio, & consequenter relatio debet necessario pullulare; nec eius pullulatio potest à Deo impediri: Cuius rationem assignabimus inferius.

7. Obiicies *primo*, Si Relatio est ens reale distinctum à fundamento, quando de nouo produceretur, daretur motus ad ipsam seu noua actio; Sed hoc est contra Philosophum expresse asserentem: Ad relationes non dari per se motum, ergo. Respon. neg. ma. nam non debet dari per se motus aut actio productiua ad illud, quod sequitur necessario per resultantiam seu per emanationem: præsertim si taliter emanet, vt non possit impediri, quin emanet positis prærequisitis ad emanationem; & si inquiras vnde colligitur, si sit noua entitas distincta à fundamento, quod non producatur per meram actionem terminatam ad ipsam? Respondeo, id colligi tum authoritate Philosophi tum etiam ratione: quia cum nulla causa secunda possit aliquid producere actione aliqua, quin Deus immediate concurrat cum ipsa, vt diximus in Physicis, si album per actionem aliquam produceret in se relationem, non posset hoc facere, quin Deus immediate concurreret cū ipso: Deus autem libere agit, & consequenter posset non concurrere, quare si vellet, quamuis essent duo alba coexistentia, posset impedire, ne esset relatio; Quod aperte est falsum. Non igitur producitur relatio huius prædicamenti per actionem ad se immediate terminatam, sed potius pullulat necessario ex fundamento proximo,

quando

quando ponitur terminus, sic quod positio termini sit conditio necessario requisita ad talem resultantiam.

Dices, Posse fieri quod terminus relationis albi existentis Romæ produceretur in Indiis, ergo tale album non haberet pro conditione necessario requisita positionem termini; patet consequentia quia sicut omne agens habet determinatam sphæram actiuitatis, ita videtur quod ad positionem conditionis in quacumque distantia non possit agere. Respondeo nego consequentiam: Ad probat. dico, quod causa quæ est productiua per naturalem emanationem alicuius effectus, qui exigit aliquam conditionem ad hoc vt tribuat subiecto denominationem, non requirit maiorem applicationem istius conditionis quam quæ sufficit, vt tribuere possit talem denominationem. Vnde si ponatur in quacumque distantia, emanabit ille effectus, si eo ipso quod producatur in quacumque distantia, res emanans potest tribuere suo fundamento effectum suum formalem: Quare quandoquidem similitudo possit facere parietem Romanum similem parieti producto in Indiis eo ipso quod produceretur paries in Indiis, resultaret similitudo in pariete Romano.

Dices iterum, Hinc sequeretur, producto hic vno albo, in omnibus albis totius vniuersi produci nouum modum seu nouam relationem, quod videtur absurdum. Præter quam quod non potest assignari causa producens illos. Respondeo hoc non reputari à nobis absurdum; quod si vlterius inquiras causam productiuam, Dico, quod non est causa per se producens illos, loquendo de causa productiua per actionem veram, & propriam: nam cum ad relationes huius prædicamenti non detur motus per se, vt diximus, nec datur causa per se illarum in hoc sensu. Attamen potest dici quod detur motus & actio atque adeo causa per accidens illas producens etiam in hoc sensu, & hæc est causa quæ per se produxit illa alba, à quibus per simplicem emanationem resultant tales relationes ex eo quod ille nouus terminus producatur. Et potest haberi exemplum in eo quod dicunt Theologi, quod si Verbum Diuinum dimitteret naturam humanam, cum qua vnitum est in Christo Domino, pullularet ab illa natura propria subsistentia, sine eo quod daretur noua causa producens illam, sic in proposito.

8. Obiicies *Secundo* cum prædicto Francisco Alphonso, Deus vere & proprie dicitur esse causa creaturarum, etiamsi nullam relationem intrinsecam habeat ratione cuius dicatur causa, ergo à paritate rationis poterit vna creatura dici similis, & dissimilis, causa & effectus alterius sine noua relatione supperaddita: Respondeo disparitatem esse quod creatura sit capax nouæ formæ & relationis realis; secus vero Deus.

Dices, Hæc est petitio principij quia supponit solutio relationem esse nouam formam distinctam ab extremis, de quo est controversia? Respondeo, bonam esse redargutionem, si responsio talis daretur; sed nos non colligimus incapacitatem Dei respectu nouæ formæ, ex eo quod illa sit noua forma, sed ex sua infinitate, & summa actualitate, ob quam etiam dicitur de nouo, valens sine productione nouæ entitatis in ipso. Itaque rationes factæ pro conclusione vrgent ad ponendam nouam entitatem, quæ sit relatio inter duo alba, inter causam & effectum &c, Quod si ordine

naturæ,

naturæ datur aliquod ens ex se incapax nouæ formæ, qualis est Deus, tunc ratione istius incapacitatis & propter authoritatem communem, & Scoti passim negantis nouam relationem in Deo dicam relationem resultare in vno extremo, quæ est creatura, & non in alio qui est Deus; Instabis, sicut potes concipere Deum vt causam creaturarũ sine noua relatione superaddita, ita vnam creaturam vt causam alterius sine noua relatione. ℞. me concipere Deum causam creaturarum vt correlatiuum relationis effectus, quæ resultat in creatura, sed non per nouam relationem, qualiter concipio creaturam vt effectum, & hoc ratione incapacitatis in vno & non in altero.

Obiicies, *tertio*, Idem est constitutiuum hominis & distinctiuum eius; sed rationalitas est constitutiua eius, ergo est distinctiua etiam, & consequenter homo non habet relationem diuersitatis realiter à se distinctam, per quam differat à bruto; quod si illam non habeat, nec aliam vllam habebit: quia est eadem ratio. ℞. dist. ma. Idem est distinctiuum & constitutiuum fundamentale, concedo, formale nego, & concess. mi. dist. similiter consequens, ergo rationalitas est distinctiua eius fundamentaliter concedo, formaliter, nego.

Dices, Homo differt substantialiter ab equo, ergo non differunt per relationem, quæ est accidens, ℞. nego, conseq. quia non ideo dicuntur substantialiter differre, quod substantia sit ratio formalis ipsos distinguendi, sed quod ipsorum substantia sit ratio ad quam sequitur relatio, quæ est ratio formalis referendi ipsos vt distinctos. Itaque vt distinguatur relatio distinctionis, quæ est inter aliqua ratione alicuius accidentis, à relatione distinctionis, quæ sequitur inter illa ratione suæ substantiæ, seu essentiæ, illa vocatur accidentalis, hæc vero substantialis seu essentialis. Quod si inquiras, quare homo non habeat esse formaliter distinctum per rationalitatem, sed tantum fundamentaliter? ℞. rationem esse quia potest esse & habere rationalitatem, sine eo quod habeat esse formaliter distinctum, quando scilicet non esset brutum vllum.

9. Obiicies *quarto*, Multæ denominationes nouæ saluantur sine forma supperaddita fundamento, ergo denominationes relatiuæ possunt sic saluari, & consequenter frustra ponuntur formæ in fundamẽtis, à quibus istæ denominationes proueniant. Et confirmatur ex ratione communi, quod non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla est necessitas distinguendi relationem realiter aut modaliter à fundamento & termino & coexistẽtia, ergo non debet ab ipsis distingui. Probatur mi. quia si esset aliqua necessitas maxime ad saluandam denominationem nouam similis v.g. in pariete albo ad alium parietem album; sed si intelligatur per simile aliquid relatum per aliquam relationem superadditam non est ratio vlla, vnde colligatur, quod paries sit de nouo similis aut habeat illam denominationem de nouo, ergo. Probatur mi. quia si non habuissemus hoc nomen *simile*, nec aliquis diceret nobis, quod daretur aliqua forma superaddita albo quando produceretur aliud album, non potuissemus vllo discursu colligere, quod daretur talis forma superaddita, ergo non est assignabilis necessitas vlla ad illam ponendam. ℞. dist. antecedens. Multæ denominationes extrinsecæ, concedo, intrinsecæ nego. Et similiter dist. consequens, denominationes, relatiuæ extrinsecæ, concedo, intrinsecæ nego.

nego. Quod si Inquiras vnde colligimus denominationes similis, æqualis &c. esse intrinsecas? ℞. hoc colligi ex fundamentis nostræ conclusionis, & ex impugnatione aliorum modorum dicendi; Et specialiter colligitur ex eo, quod non esset potior ratio, cur essent denominationes extrinsecæ, quam intrinsecæ: v. g. non est potior ratio, cur non album esset simile isti albo per denominationem desumptam ab illo albo, quam à se ipso, & ab aliquo in se recepto.

Quod confirmatur sic, quia quotiescumque dicitur aliquid denominari tale per denominationem extrinsecam, tunc datur aliqua forma in aliquo extrinseco, à qua prouenit illa denominatio, qualis forma non habetur in re sic denominata. Vnde quia esse visum realiter est denominatio extrinseca, datur visio in oculo, à qua prouenit, qualis visio non datur in ipsa re, quæ videtur v.g. in pariete; & idem est discurrendo de omnibus, quæ extrinsece denominantur. Ergo si hic paries diceretur similis illi parieti per denominationem extrinsecam, deberet in illo pariete dari aliqua forma, à qua proueniret ista denominatio, qualis forma non esset in illo pariete, qui denominatur similis; Hoc autem est falsum, vt constat; igitur denominationes similis, æqualis &c. non sunt extrinsecæ: Ad confirmat. neg. mi. Ad cuius posteriorem probationem, dico, rationem seu discursum, vnde colligeremus vnum album dicere aliquem respectum ad aliud album qualem non diceret ad nigrum, esse, quod esset repræsentabilis per speciem, per quam posset repræsentari aliud album, & quod nigrum non posset repræsentari per eam: Nam ex hoc saltem probabiliter apparet, quod dicat aliquem ordinem & respectum actualem ad album, distinctum à respectu, quem dicit ad nigrum; Et illum respectum vocamus *similitudinem* & rem habentem illum ordinem, vt est habens illum ordinem, vocamus *simile*.

QVÆSTIO II.

Vtrum Relatio terminetur ad absolutum; an vero ad respectiuum?

10. SEnsus quæstionis est, An terminus vnius relationis similitudinis v.g. sit alia similitudo, vel potius res ipsa, quæ dicitur similis? Quæ quidem res & potest esse absoluta entitas, vt si similitudo sit inter duo alba; & etiam entitas respectiua, qualiter disp. 9. q. 3. diximus relationem paternitatis dicere & fundare relationem similitudinis ad aliam relationem paternitatis, sed tunc per accidens est, quod fundamentum relationis sit relatio: Itaque controuersia est vtrum relatio terminetur ad suam correlationem, vel ad fundamentum eius, quodcumque sit. Quod si hoc vltimum sit, dicetur terminari ad absolutum, si secus vero, ad respectiuum.

11. Sit nostra conclusio, *Relationes omnes siue non mutuæ siue mutuæ terminantur ad absolutum, non vero ad respectiuum.* Idest terminantur ad fundamentum correlationis, vt abstrahit à correlatione, non vero vt afficitur ipsa correlatione. Est sententia Scoti 1. d. 26. q. 1. & dist. 30. q. 1. Quem sequuntur discipuli & extra eius scholam Suarez, Vazq. Hurtado, & plures alij contra D. Thom. & suos, quos citant Complutenses hic, qui & addunt suam sententiam esse

procul dubio Aristot. & congruentiorē Christiæ Philosophiæ & Theologiæ, inuitantes scilicet hoc speciosso encomio ad eam amplectendam quos rationibus adducere non possunt. Probatur *primo* de relationibus non mutuis: quia cum terminus earum non sit vlla relatio (saltem realis, de qua est quæstio: quia sola hæc accipitur vt correlatio) necessario debent tales relationes terminari ad absolutū.

Respondent Complutenses, quod quamuis non detur alia relatio in termino relationis non mutuæ, tamen ille terminus habet denominationem relatiuam ab ipsamet relatione non mutua: v.g. scibile refertur ad scientiam per ipsammet relationem, quæ est in scientia & terminatur ad scibile; Et vt sic scibile denominatur & habet esse relatiuum terminat relationem scientiæ, & idem est de reliquis. Sed contra *primo*, quia sequeretur relationem esse terminum formalem sui ipsius, & eam consequenter ad se terminari, quo nihil absurdius excogitari potest. *Secundo* quia ideo scibile denominatur à relatione scientiæ, quia terminat illam, ergo prius natura est quod illam terminet, quam quod denominetur per ipsam, & consequenter relatio pro illo priori habet terminum sufficientem; Sed non habet relatiuum tunc, ergo non terminatur formaliter & per se ad relatiuum.

12. Probatur *secundo* de relationibus mutuis: Quia terminare ex proprio conceptu solum est denominatio extrinseca conueniens termino, non ex eo quod sit ad aliud, sed ex eo quod aliud sit ad ipsum, ergo ad terminum non est formaliter & per se requisita in termino relatio opposita, sed hoc solum per accidens & concomitanter accidit, in quantum terminus formalis relationis mutuæ talis est naturæ, vt simul proxime fundet relationem oppositam, quæ necessario ipso posito resultat. Probatur *tertio* absolute de omni relatione ex Scoto supra. Terminus ingreditur definitionem essentialem relationis, ergo si mea similitudo v.g. terminaretur ad tuam, mea similitudo definiretur per tuam, & tunc esset tua similitudo prior quam mea. patet hæc vltima conseq. ex Philosopho 9. Metaph. cap. 7. vbi infert, quod si potentia definitur per actum, quod actus est prior quam potentia. Tunc vltra, sed tua similitudo definitur per meam: cum mea etiam sit terminus eius, ergo simul esset prior & posterior quam mea.

Dices pro aduersariis, terminum qui ingreditur definitionem relationis & propterea specificat ipsam, esse terminum radicalem & materialem, non vero formalem: quia hic est ipsamet correlatio, quam bene probat argumentum, non specificare relationem, sed non propterea non est terminus formalis eius. Sed contra quia gratis dicitur, illū terminū, qui ponitur in definitione relationis & requiritur ad eius specificationem, & ex eius positione sequitur relatio, non esse terminum formalem sed radicalem. Deinde quia ille est terminus formalis, qui sufficeret, si per impossibile tolleretur quodcumque aliud, ad terminandam relationem; sed ille terminus, quem ipsi vocant radicalem v. g. substantia filij, supposita generatione passiua, quãuis non haberet correlationem, vt si per possibile vel impossibile tolleretur ab illo filiatio esset sine dubio sufficiens ad terminandam paternitatē, imo terminaret ipsam actu, ergo talis terminus esset formalissime terminus, & non solum radicaliter aut materialiter. Quod vlterius confirmatur sic: nam

nam fundamentum quod ponitur in definitione relationis & ex cuius positione ſequitur, eſt fundamentum non radicale tantum, ſed formale, nec conſtituitur in eſſe talis per relationem vllam ex correlationibus, ergo ſimiliter terminus qui ponitur in definitione relationis & ad cuius poſitionem ſequitur, eſt terminus formalis, nec debet conſtitui talis per relationem; anteced. eſt euidens, conſequentia patet à paritate.

Reſpondent Complutenſes, diſparitatem eſſe, quod relatio exigit fundamentum ex communi ratione accidentis, ſeu vt dicit eſſe *in*, & ideo comparatur ad fundamentum vt ad cauſam, & debet præexigere ipſum formaliter conſtitutum, at vero ad terminum comparatur ex propria ratione particulari, quatenus relatio eſt, ſeu vt dicit eſſe *ad*, ex qua parte (inquiunt) relatio non habet eſſe in rerum natura formaliter loquendo, ſed ſolum habet oppoſitionem ad correlatiuum, ac proinde non præexigit terminum formaliter conſtitutum in ratione termini. Sed contra hanc Doctrinam, quæ & difficilior eſt & obſcurior, quam ſententia ipſa, ad quam defendendam adducitur, ſic argumentor *primo*, quia falſum eſt quod relatio ſecundum eſſe *ad* non ſit quid reale exiſtens in rerum natura: nam ipſa relatio ſecundum eſſe ſuum proprium diſtinctum ab eſſe abſoluto & ab eſſe entis vt ſic communi enti abſoluto & reſpectiuo, eſt quid reale exiſtens in rerum natura, ergo exiſtunt realiter prædicata conſtitutiua eius; ſed eſſe *ad*, eſt prædicatum conſtitutiuum eius, non minus quam rationalitas eſt conſtitutiuum hominis, ergo etiam in quantum dicit eſſe *ad* eſt quid reale exiſtens in rerum natura. *Secundo*, quia non ſolum ex ratione accidentis vt ſic præexigit relatio fundamentum, ſed ex ratione ſua particulari. Vnde ſi non daretur vlla ratio accidentis vt ſic communior relatione: vt ſi non eſſet poſſibile vllum aliud accidens præter relationem, ſed ens vt ſic immediate contraheretur ad ſubſtantiam & ens relatiuum, profecto ens relatiuum præexigeret fundamentem, quatenus relatiuum eſt. *Tertio* quia certum eſt, non minus debere præſupponi terminum aliquem ad relationem, quam fundamentum; ſed ex dictis terminus talis qui præſupponitur, eſt terminus formaliſſimus ſub ratione illa ſub qua præſupponitur, ergo &c.

13. Obiiciunt *primo* Complutenſes verba Ariſtotelis aſſerentis, relatiua omnia dici ad conuertentiam, ex quibus inferunt, manifeſte ſequi Philoſophum docere, quod ſublata à termino relationis, quacumque ratione abſoluta, ſi maneat relatiua denominatio, vere terminat relationem, igitur iuxta Philoſophum relatio terminatur ad relatiuum. Quod confirmant ex eo quod non poteſt intelligi relatio, ſine eo quod intelligatur correlatio: nam ex eodem Philoſopho correlationes ſunt ſimul natura & cognitione; ſed hoc non eſſet verum, niſi vnum ex illis eſſet terminus alterius, ergo ita eſt; Reſpondeo, quod licet ex mutua conuertentia relatiuorum bene inferatur iuxta Philoſophum, quod ablata quacumque ratione accidentali à termino relatiui præter denominationem relatiuam, relatiuum dicetur ad illum terminum; tamen non inde ſequitur quod relatio terminetur ad terminum, vt habet iſtam denominationem relatiuam. Quod probo ſic: nam ſicut omnes concedunt, quod fundamentum non fundaret actu relationem, niſi eſſet actu relatio, & poſito quod ſit relatio, neceſſario fundat

ipsam circumscripto quocumque alio; Et tamen hoc non obstante fundamentum non habet formaliter fundare ab ipsa relatione; Ita quamuis non referretur Pater ad filium, nisi filius haberet filiationem,& posita filiatione, circumscriptis quibuscumque aliis, referretur ad ipsum, non sequitur quod filius terminet formaliter relationem Patris vt habet denominationem illam relatiuam; Sed præcise sequitur quod denominatio ista relatiua sit concomitans aut sequens necessario terminationem relationis,sic vt à posteriori possit ex ea colligi quod relatiuum terminetur aut non terminetur.

Ad confirmat. Respon. *primo* neg. ma. quia non est improbabile, quod possit quis cognoscere aliquem habere relationem paternitatis v.g.antequam cognosceret alium aliquem habere relationem filiationis: nam quamuis deduceret ex noua denominatione patris debere esse paternitatem in illo, qui sic denominatur, non videtur adeo necessarium, quod talem discursum applicet statim ad inferendum, quod detur similiter relatio filiationis in filio.Quod confirmatur, quia sicut potest quis intelligere relationem tertij generi, non intelligendo correlationem, eodem modo posset intelligere similitudinem albi ad album, non intelligendo aliam similitudinem in altero albo. Imo deberet necessario applicare aliũ discursum ad colligẽdũ, quod sit alia similitudo mutua. Ad dictũ Philosophi dico, debere intelligi,non quod relationes simul necessario cognoscãtur,sed quod neutra ex natura sua præexigat cognitionem alterius ℞.*Secundo* supponendo veritatem.ma.neg. mi. quia ratio ob quam relatio non possit intelligi sine correlatione, non est quod correlatio sit terminus eius, sed quod causæ determinantes intellectum ad intelligendam relationem sunt sufficienter applicatæ ad determinandum ipsum ad intelligendam correlationem, & propterea cum sint causæ naturales, necessario determinant ipsum.

14 Obiiciunt *secundo*: In Diuinis Paternitas habet pro termino filiationem, aut saltem filiatio est de ratione intrinseca constitutiua termini ipsius,ergo similiter contingit in creatis.Propter hoc argumentum Complutenses videntur existimasse sententiam suam congruentiorem esse Christianæ Philosophiæ & Theologiæ. Sed Respon. facile neg. conseque. Cuius ratio disparitatis est, quod Relatio filiationis sit cõstitutiua filij in esse personæ realiter distinctæ à Patre; Et cum terminus debeat esse realiter distinctus à re relata,hinc filiatio intrinsece ingreditur constitutionem termini Paternitatis; In creatis vero filiatio non est quæ constituit rem, quæ est filius in esse personæ realiter distinctæ. Propterea non est necessarium vt ingrediatur constitutionem termini paternitatis.Ex quo habes: quod relationes diuinæ referantur ad se inuicem, non oriri ex ratione relationis vt sic, vt falso supponunt hi auctores: alias relationes tertij generis sic deberent referri quod est falsum, cum non sint mutuæ; Neque ex eo quod sint diuinæ & substantiales,vt aliqui etiam falso dicunt, quia relatio similitudinis, quam tractat.de Trinitate ponimus communiter Scotistæ dicere Patrem ad filium, non terminatur ad correlationem, & tamen est diuina & substantialis & infinita,oritur ergo ex ratione assignata: quia ipsæ sunt constitutiua intrinseca extremorum in esse realiter distinctorum;Et consequenter quandoquidem relatio omnis terminetur ad terminum realiter distinctum

à

à suo fundamento, Paternitas diuina debet terminare filiationem per quam constituitur filius realiter distinctus à Patre.

QVÆSTIO III.

A quo sumunt relationes suam specificationem, & vnitatem numericam?

QVemadmodum in lib. de Anima disp. 1. num. 28. Loquebamur non de specificatiuo intrinseco potentiarum desumpto ab obiectis, sed de extrinseco & à posteriori. Sic in præsenti inquirimus de specificatiuo relationum: nam certum est intrinsece specificari & indiuiduari suis propriis differentiis, licet nobis ignotis.

15. Sit prima conclusio, *specificatio relationis adæquate sumenda est ex fundamento & termino proximo ac formali, ita vt quotiescumque aliquæ relationes habent fundamenta & terminos formales eiusdem rationis, possit optime colligi, quod relationes sint eiusdem rationis; quoties vero quodlibet ex his variatur, sint diuersæ rationis.* Est sententia communis & Notandum, intelligi hic per fundamentum proximum & formale illam formam vel formalitatem ratione cuius ad rem, quæ per relationem refertur, sequitur relatio seu conuenit ipsi, & per terminum formalem proximum intelligi ipsammet formam seu formalitatem ratione cuius conuenit rei, quæ terminat relationem, ipsâ terminare. v.g. Quia similitudo parietis albi ad alium parietem, album conuenit illi parieti ratione albedinis, sicut & alteri parieti albo terminare ipsam, propterea albedo est in vno fundamentum proximum seu ratio fundandi, & in altero terminus proximus seu ratio terminandi. Probatur, quia cum omnis respectus sit essentialiter habitudo inter duo extrema scilicet inter fundamentum & terminum, ergo tam fundamentum quam terminus sunt signa extrinseca, per quæ à posteriori cognoscimus speciem & quidditatem relationis.

Et confirmatur, quia si essent aliquæ relationes quæ conuenirent in solo fundamento aut in solo termino, eo ipso colligerentur esse distinctæ speciei, quia vna respiceret essentialiter aliquid, quod non respiceretur ab altera v.g. dissimilitudo albi ad nigrum & similitudo albi ad album distinguuntur specie, quia licet conueniant in fundamento formali nempe in albedine, vna tamen respicit essentialiter nigrum, & altera ipsum non respicit, sed aliud album. Deinde à paritate rationis, si essent duæ relationes quæ respicerent eumdem terminum formalem v. g. albedinem, vt similitudo albi ad album & dissimilitudo nigri ad album, quamuis conuenirent in termino formali seu in ratione formali terminatiua, tamen quia vna ex ipsis respicit essentialiter albedinem in fundamento quod refertur, quam albedinem non respicit altera nimirum dissimilitudo, sed potius nigredinem. Hinc optime colligitur, quod distinguantur specie. Et hæc de priori parte quæstionis.

16. Pro posteriori Notandum, sensum controuersum eius esse, Vtrum mulpicatis numero terminis multiplicentur etiam relationes? v.g. In vno albo dicente similitudinem ad plura alba sint plures relationes similitudinis, vel vna? Et in vno patre habente plures filios plures paternitates, An vna? Nam si subiecta seu fundamenta sint distincta numero, non est dubium, quin

& relationes etiam sint distinctæ numero. Vbi præterea Aduertendum est, posse idem reale fundamentum fundare plures relationes distinctas numero,& distinctæ etiam speciei ad diuersos scilicet terminos in specie: Nam idem album refertur per similitudinem ad aliud album & per dissimilitudinem ad nigrum. Et istæ duæ relationes similitudinis & dissimilitudinis sicut sunt distinctæ speciei, ita etiam sunt distinctæ numero. Quare ad colligendum aliquas duas relationes esse distinctas numero, non requiritur quod cognoscantur esse in diuersis subiectis; nec ad colligendum quod sint idem numero sufficit quod cognoscantur esse in eodem subiecto. Difficultas autem nostra procedit de multiplicatione numerica terminorum, vtrum scilicet sufficiat ad multiplicandas numero relationes?

17. Secunda conclusio, ***Relationes sumunt suam vnitatem numericam non solum à fundamento, sed etiam à termino.*** Id est non solum in duobus patribus sunt duæ paternitates v. g. sed etiam in vno respectu duorum filiorum. Ita Scotus 3. d. 7. quæst. vnica quodlibet 11. num. 11. & 5. Metaph. quæst. 7. Sequuntur discipuli & Suarez, Fonseca & alij, contra fideliores Thomistas, quos citant, Complutenses & Ioannes à S. Thoma hic. Quorum præcipuum fundamentum est, quod accidens habet formaliter suam vnitatem numericam à subiecto, cuius oppositum probauimus supra disp. 3. numero 30. Probatur conclusio ***primo***, quia si ex duobus filiis ad quos vnus pater dic i relationem paternitatis, moriatur vnus altero permanente, desinit esse relatio quæ erat ad mortuum; sed implicat quod eadem numero relatio permaneat & non permaneat, ergo necesse est plurificari numero paternitates in eodem patre, si habeat simul plures filios. Et confirmatur quia si Pater per vnam solam numero paternitatem respiceret plures filios, sequeretur quod vna numero relatio dependeret essentialiter à duobus terminis totalibus & adæquatis: quilibet enim filius est terminus adæquatus paternitatis: aliàs pater qui haberet vnicum filium, non haberet terminum adæquatum suæ paternitatis; sed hanc dependentiam essentialem à duobus terminis adæquatis, vt repugnantem refutauimus in Physicis disputatione 2. quæstione 17. ergo ad hoc vitandum debent plurificari paternitates multiplicatis filiis.

Probatur ***secundo***, Posita in vno patre actione generatiua & posito per eam filio, resultat in patre vna relatio paternitatis, ergo similiter posita alia distincta numero generatione in eodem patre & posito alio filio numero distincto per ipsam producto resultabit alia paternitas distincta numero à priori. Respondent Thomistæ sufficere quod præexistens paternitas extendatur ad nouum filium. Sed contra quia sicut quantitas non potest extendi ad nouum spatium nisi per aduentum nouæ quantitatis, quam rationem vrgebamus contra ipsos in Logica disp. 5. quæstione 3. ita neque relatio extendi potest ad nouum terminum nisi per nouam relationem, ergo necesse est plurificari relationes plurificatis terminis.

18. Sed Obiicies ***primo***, si in vno patre sunt plures paternitates, ergo erit plures patres: nam quælibet paternitas constituet eum patrem; Et patet ex eo quod semper vbi multiplicantur formæ, multiplicantur etiam

etiam concreta. ℞. neg. sequelam: quia non multiplicantur concreta accidentalia præcise ex multiplicatione formarum, sed opus est multiplicari etiam subiecti: aliàs qui habet plures scientias esset plures scientes.

Obiicies *secundo*, sicut vna numero potentia respicit plura obiecta numero distincta, ita etiam poterit vna relatio respicere plures terminos. ℞. *primo* vrgendo ipsum argumentum cōtra aduersarios: Nam ex ipso sequitur posse eamdem relationem respicere plures terminos distinctæ speciei, sicut & vna potentia respicit & actus & obiecta diuersæ speciei. *Secundo* ℞. directe concess. anteced. neg. conseq. Cuius ratio disparitatis est duplex, *prior* quia potentia non dependet in esse & conseruari ab obiecto, sicut relatio à termino; posterior quod potentia non respicit immediate plura obiecta, sed mediantibus pluribus actibus; secus vero relatio terminos.

19. Inquires *primo, vtrum Accidentia absoluta solo numero distincta possint etiā multiplicari in eodem subiecto?* ℞. negatiue: Et ratio disparitatis est: quia cum huiusmodi accidentia absoluta præter distinctionē entitatum in omnibus assimilentur aliis, non est necessitas multiplicandi illa; at vero accidentia relatiua etiamsi sint eiusdem speciei, præter distinctionem entitatum, habent quandam diuersitatem materialem, eo quod sint habitudines ad diuersos terminos materiales: Et sic opus est illa multiplicari: cum nequeat præstari idem effectus per vnam, ac per aliam.

20. Inquires *secundo quod nam sit supremum genus prædicamenti ad aliquid.* ℞. esse relationem intrinsecus aduenientem realiter separabilē à subiecto seu fundamento communem vniuoce omnibus relationibus illius prædicamenti. Nec obstat *primo* quod non videtur assignari posse aliquod vnum fundamentum pro tali relatione: deberet enim abstrahi ab omnibus fundamentis relationum particularium, quod est impossibile. Nec obstat: quia cum relationes possint fundari in rebus primo diuersis scilicet diuersorum prædicamentorum, quæ non conueniunt in aliquo vno conceptu prædicamentali, non est necesse quod relatio vt sic habeat fundamentum vnum prædicamentale, sicut neque terminum etiam vnum prædicamentalem propter eamdem rationem; Nec etiam obstat *secundo* quod videtur assignari debere aliam correlationem, atque adeo non esse vnam: nam cum in hoc prædicamento dentur relationes aliquæ habentes correlationes nempe quæ sunt mutuæ & aliæ non habentes correlationes nempe non mutuæ. Relatio, quæ est genus ad ipsas, debet abstrahere ab vtroque.

QVÆSTIO IV.

An dentur relationes extrinsecus aduenientes; Et quot sint earum species?

21. Scotus 3.d.1.q.1 & 4.d.6.q.10.& dist.13.q.1.& quodlibet. 11.n.4. duplicem respectum seu relationem realem in genere agnoscit, vnam extrinsecus aduenientem & aliam intrinsecus aduenientem. Intrinsecus aduenientes vocat omnes relationes, quæ collocantur in prædicamento *Ad aliquid*; extrinsecus vero aduenientes appellat omnia entia, quæ collocantur in sex vltimis prædicamentis, quæ

quæ omnia asserit Scotus consistere in sola relatione. Ex aduerso Thomistæ dicunt, consistere in entitate quadam absoluta, quæ habet identificatum sibi respectum quemdam secundum dici, propter quem non intelliguntur nisi in ordine ad aliud: Nullus enim Thomista est, qui omnino neget sex vltima prædicaméta dicere aliquo modo ordinem ad aliud; Nos vero Scotistæ in mero respectu & habitudine ad aliud consistere defendimus. Quos quidem respectus consequenter satis appellamus extrinsecus aduenientes: nam cum per ipsos intelligamus formam aliquam, quæ non identificatur alicui alij rei, ad distinctionem relationum transcendentalium; nec præsupponat fundamentum, terminum & rationem fundandi ad quam necessario sequatur absque actione aliqua immediate terminata ad ipsammet distinctionem relationum prædicamenti *Ad aliquid*, quæ propterea appellantur intrinsecus aduenientes, aptè satis applicamus ipsi nomen respectus extrinsecus aduenientis. Quidquid dicat Suarez de hoc nomine contra Scotum.

22. Sit nostra conclusio, *Dantur relationes extrinsecus aduenientes. Et in his consistunt sex vltima prædicamenta, quæ & inter se & à prædicamento Ad aliquid genere differunt.* Ita Scotus supra cum omnibus suis contra Thomistas & recentiores communiter. Probatur *Primo* quia secundum aduersarios communiter inter materiam & formam datur vnio, quæ est aliquid reale positiuum distinctum ab illis; sed talis vnio est huiusmodi respectus, ergo &c. Probatur mi. quia est aliquid reale, cuius totum esse consistit in ordinatione actuali vnius ad aliud, ergo est essentialiter respectus; Non est autem intrinsecus adueniens, vt fatentur aduersarij & constat etiam: quia non præsupponit aliquid ex parte extremorum, ad quod necessario sequitur: possunt enim esse extrema existentia simul, quamuis non haberent vllam vnionem; nec etiam est respectus transcendentalis: quia neque est quid absolutum: aliàs essentia eius non consisteret in actuali ordinatione vnius ad aliud, neque identificatum realiter alicui absoluto, quia non potest assignari quodnam sit illud absolutum neque ad quid deseruiat; ergo non est respectus transcendentalis aut prædicamentalis de prædicamento *ad aliquid* atque adeo erit extrinsecus adueniens in sensu supra explicato. Ampliorem huius rationis confirmationem vide in Physicis disp. 1. q. 13.

Probatur *secundo*, sex vltima prædicamenta non consistunt formaliter in solo absoluto, neque in aggregato ex absoluto & respectiuo, ergo in sola relatione consistunt, atque adeo sunt relationes formaliter, conseq. est bona & anteced. probatur. *Primum* scilicet quod non in solo absoluto: aliàs possent concipi *Actio*, *passio*, *vbi* &c. sine ordine ad aliud, quod est aperte falsum etiam secundum aduersarios: nam quouis absoluto dato non possent materia & forma vniri formaliter per ipsum; neque partes ad inuicem situari &c. ergo debent vniri inter se per aliquid quod sit nexus vnius ad aliud, quale non potest esse aliquid absolutũ; neque etiam in absoluto & respectiuo simul, vt fatentur Complutenses, quia prædicamenta sunt entia per se & simplicia, quale non esset illud aggregatum ex absoluto & respectiuo.

Propterea dicunt esse modos absolutos, quibus identificantur respectus quidam, & ideo appellant hæc prædicamenta relatiua secundum dici. Sed contra *primo*, vel illi respectus sunt actuales, & tunc sequitur quod modi illi

illi absoluti sint essentialiter ad se & non ad se, quod implicat, vel sunt respectus potentiales, & sic sequitur quod *Actio, passio* &c. non sunt actualiter ad aliud, sed tantum potentialiter & secundum dici. Contra *secundo*, vel consistunt formaliter hæc prædicamenta in illo modo absoluto vel in respectu secundum dici ipsi identificato non in primo, vt probatum est; Si vero in hoc secundo, ergo consistunt formaliter in aliquo respectu, & tunc superfluit illud absolutum: quia nunquam potest esse ratio aliter se habendi hoc in ordine ad illud, ergo neque pertinere formaliter ad constitutionem horum prædicamentorum. Restat ergo quod in sola relatione consistant.

23. Obiicies *primo* ex Aristot. 5. Physicor. ad relationem non datur per se motus; sed ad aliqua ex his prædicamentis v. g. ad *vbi* datur per se motus, ergo non consistunt formaliter in relatione. Respondet Scotus in 3. citato, verum esse, quod non detur per se motus ad relationem intrinsecus aduenientem: quia hæc consurgit ex positione extremorum, nec indiget alio motu, quam illo, per quem producuntur extrema; at vero ad relationem extrinsecus aduenientem vere potest esse motus: quia cum non consurgat ex positione suorum extremorum, opus est ponere motum terminatum per se ad aliquas, licet non ad omnes.

Obiicies *secundo*, quando dicimus has relationes non consurgere necessario posito fundamento, & termino, vel loquimur de fundamento & termino proximis, vel de remotis? Si de remotis, omnes relationes erunt extrinsecus aduenientes: tam bene enim non resultat relatio similitudinis positis duobus parietibus præcise, quam actio & vbi non resultant positis extremis; si vero de proximis loquamur, omnes sunt intrinsecus aduenientes: nam sicut datis parietibus albis necessario resultat similitudo, ita datis agente & passo cum debita approximatione, necessario resultat actio, & sic est in cæteris v. g. in *quando* & *vbi*. ℞. cum Scoto vbi supra nos loqui de fundamento & termino proximis, & cum dicis, quod tunc data approximatione necessario oritur actio. ℞. *primo*, quod approximatio non est ratio fundandi sed conditio extrinseca, quam Deus potest supplere: vt diximus in lib. de generat. disp. 5. q. 6. Quare Resp. *Secundo*, quod adhuc ea data potest Deus impedire, ne detur actio, vt patet in igne Babylonico; quod secus est in relationibus intrinsecus aduenientibus.

Aliqui authores vt Ioannes à S. Thoma dicunt rationem fundandi *actionem* esse positionem effectus, sicut & fundandi *vbi* ipsam circumscriptionem corporis; sed hoc est manifeste falsum: nam positio effectus & circumscriptio corporis habentur formaliter per ipsammet *actionem & vbi*, & non per aliquid prius, atque adeo non sunt rationes fundandi, ad quas sequuntur necessario *Actio & vbi*. Dices posita approximatione sufficienti sequitur necessario ipsum *vbi* intrinsecum. Item & *quando* sequitur etiam necessario fundamento & termino simul existentibus, ergo tam intrinsecus adueniens est, quam similitudo, quæ non oritur necessario inter extrema, nisi illis positis. ℞. neg. anteced. ad nullam enim approximationem, in qua non includitur ipsum *vbi* intrinsecum formaliter, neque ad vllum prius distinctum ab actione per quam immediate fit, sequitur necessario *vbi* intrinsecum. Ad illud de *quando* ℞. nego etiam antecedens: nam cum ipsummet

quando sit ratio formalis ponens extrema simul, non potest sequi ad extrema posita simul, verumtamen est quod positis extremis simul existentibus necessario ponitur. Et forte hoc tantum intenditur in argumento; sed si ita est conced. antecedens & neg. conseq. Et ratio disparitatis est, quod ipsa similitudo non constituat extrema simul existentia, sed præsupponat illud, per quod sic constituuntur, & eo posito necessario sequitur; coexistentia autem non præsupponit aliquid ex parte extremorum, ratione cuius sequeretur necessario.

24. Obiicies *tertio*, hæc sex vltima prædicamenta licet per differentiam assignatam, nempe quod sint respectus extrinsecùs aduenientes, differant à prædicamento *Ad aliquid*; tamen inter se non differunt genere, quod est contra conclusionem. Probatur, quia non solum conueniunt vniuocè in conceptu relationis vt sic cuius totum suum esse, est esse ad aliud, sed etiam conceptu relationis extrinsecus advenientis, scilicet quod non necessario resultet positis fundamento & termino: ergo &c. ℞.*primo*; Hoc argumentum militare etiam contra aduersarios, constituentes omnia hæc sex prædicamenta in modo absoluto cum respectu. ℞.*secundo* neg. anteced. quia quemadmodum omnia absoluta v. g. qualitas, quantitas & substantia genere differunt, etsi conueniant in conceptus entis absoluti, ita hæc entia relatiua. Igitur Ad probat. anteced dico, quod licet conueniant in duplici illo conceptu, & licet prædicetur de illis essentialiter & in quid, tamen iste conceptus non est genus respectu ipsorum, quia non contrahitur ad illa per differentias essentiales, sed potius per modos intrinsecos; qualiter descendit ens ad sua inferiora, & etiam ratio accidentis vt sic ad nouem prædicamenta accidentium: aliàs non possemus, vt diximus supra disp. 7. saluare cum Aristotele famosam illam diuisionem entis in decem prædicamenta. Pro quorum sex vltimis dicta in hac quæstione sufficiant: specialem enim rationem vniuscuisque habes in Logica capite 3. sect. 5. Nec video quod aliud vtile dicendum desiderari possit: nam in Physicis disp. 2. quæst. 6. & disp. 3. q. 2. diximus de Actione & Passione. Et disp. 4. de loco & tempore. De situ & habitu nil vtile occurrit dicendum.

DISPVTATIO XIII.

ET VLTIMA

De Ente Rationis

1. QVIA Scotus 1. d. 36. n. 9. cum Philosopho 3. de Anima primam entis diuisionem assignat in ens in anima & in ens extra animam seu in ens roationis & in ens reale, ideo & nos cum ipso supra disp. 2. q. 1. ens communissime acceptum diuisimus in ens reale & rationis, ibidemque de diuisione & huc vsque de primo diuisionis membro scilicet de ente reali disputauimus. Iamque ad naturam entis rationis indagandam accessimus. Circa quod quæstionem an sit? omittemus: tum quia est prorsus superflua, tum quia ex diuisione præfata sequitur dari saltem possibiliter ens rationis. Sit ergo q. 1.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Quid sit ens rationis ?

SVnt nonnulli Scotistæ , qui asserunt , ens rationis stricte apud Scotum vsurpari pro eo quod , cum non sit ens , fingitur seu concipitur ab intellectu per modum entis. In quo plane consentiunt Thomistæ , apud quos nihil communius , quam ens rationis esse non ens per modum entis apprehensum : v. g. cum montem aureum , Hirco-ceruum & alia huiusmodi concipimus , tunc dicunt , entia rationis formari. Sed vtrum tale ens chymericum ex mente Scoti possit dici ens rationis ? Iam ostendo.

2. Prima conclusio , *Illud figmentum , quo intellectus noster non ens per modum entis apprehendit , non est ens rationis.* Ita Scotus quodlibet 3. n. 2. vbi hæc habet verba : *Hoc nomen res potest sumi communissime , communiter & strictissime. Communissime prout se extendit ad quodcumque quod non est nihil : verissimè enim illud est nihil quod includit contradictionem & solum illud : quia illud excludit omne esse extra intellectum & in intellectu : quod enim est sic includens contradictionem , sicut non potest esse extra animam , ita non potest esse aliquid intelligibile vel aliquod ens in anima : quia nunquam contradictorium cum contradictorio constituit vnum intelligibile , neque sicut obiectum cum obiecto , neque sicut modus cum obiecto. Ens ergo vel res isto primo modo accipitur communissime , & se extendit ad quodcumque quod non includit contradictionem siue sit ens rationis : hoc est præcise habens esse in intellectu considerante , siue sit ens reale &c.* Hæc Scotus , ex quibus sic formo rationem pro conclusione : quod includit contradictionem non potest habere esse in anima, ergo neque esse ens rationis: consequentia patet ex Scoto supra in 1. citato : antecedens Probatur , vt sit ens in anima debet esse vnum intelligibile ; sed quod includit contradictionem , non constituit vnum intelligibile , ergo neque potest esse in anima. Probatur ma. vt sit ens in anima , debet formari de ipso aliquis conceptus vnus , sed illius quod non constituit vnum intelligibile , non potest haberi aliquis conceptus vnus , ergo neque esse ens in anima , atque adeo neque ens rationis. Ex quo colligitur male definiri ens rationis ab aliquibus per hoc quod sit : *quod solum habet esse obiectiue in intellectu* , & dicunt hanc esse definitionem sinonymam cum superiori tradita à Scoto quando inquit : *Ens rationis hoc est præcise habens esse in intellectu considerante.* Quia ens rationis stricte, quale est apud ipsos quod fingitur ad modum entis, non potest habere esse obiectiue in intellectu , ergo non subintelligit Scotus ens fictum , quando dicit , ens rationis esse , quod præcise habet esse in intellectu considerante.

3. Secunda conclusio, *Ens rationis sumptum pro ente in anima, prout istud contra distinguitur ad ens extra animam, quale est ens reale , est illud, quod causatur in rebus à solo intellectu considerante vel quacumque alia potentia immanenter seu intentionaliter operante circa obiectum suum. Et hæc est sola relatio rationis vel denominatio extrinseca derelicta in re seu obiecto terminante actum potentiæ.* Hanc conclusionem, si recte intelligatur, à nullo Scotista , siue sic opinetur , existimo posse negari. Et aduerte , me notanter dixisse : *Quod causa-*

tur in rebus à solo intellectu vel quacumque &c quia quod causatur ab intellectu simul & obiecto : vt sunt actus & habitus non sunt entia rationis, sed vere entia realia. Solum ergo quæ à solo intellectu fiunt, dicuntur in rigore entia rationis, de quibus in præsenti disputamus : Quemadmodum quæ à sola natura fiunt & sine interuentu gratiæ, dicuntur entia naturalia. Probatur ex Scoto 1.d.2.q. 7.n.43.vbi dicit: *Quidquid intellectus causat sine actione obiecti circa obiectum præcise, hoc est virtute propria intellectus (. Et hoc loquendo de obiecto vt habet esse cognitum in intellectu præcise & de intellectu, vt considerans est) illud est præcise relatio rationis.* Ex quibus verbis colligo probationem conclusionis : Quia à solo intellectu sine obiecto solum fit tendentia in obiectum seu modus intentionaliter se habendi ad illud ; Sed hæc tendentia solum ponit in obiecto denominationem extrinsecam cogniti, quæ est relatio rationis ad potentiam, ergo quod fit à solo intellectu in obiecto est ens rationis. Vbi aduerte, quod quando supra diximus disp.præced. & in log. cap.3.sect.5. relationes tertij generis mensuræ ad mensurabile non esse mutuas, tunc sermo erat de relationibus realibus : nam in obiecto quod gerit munus mensuræ terminantis actum potentiæ, causatur ab ipsa potentia quædam relatio rationis, quæ est denominatio extrinseca cogniti. Propterea dicebam, quod in obiecto non resultat vlla relatio *saltem realis.*

Dices cum nostro Poncio hic n. 38.Ex Scoto 1.d.35. Relatio rationis non potest consequi rem ex natura rei, sed si sequerentur relationes ad actus vitales tendentes in obiecta, consequerentur respectus rationis rem ex natura rei : nam re vera aliquid consequi ex natura rei, non est aliud, quam quod consequatur ipsam, alio modo, quam per considerationem illius, quod sic sequitur. ℟. concess. ma. neg.mi. quia vt commune est inter authores, illud solum dicitur sequi seu competere rei ex natura rei, quod seclusa operatione intellectus ipsi competit. (Et idem est de aliis potentiis vitalibus intentionaliter operantibus) Quare cum huiusmodi respectus non consequantur ad res seu obiecta, nisi dum actu attinguntur vitaliter à potentiis, Hinc est quod non nisi per opus earum ipsis competant, atque adeo non ex natura rei.Et ex hoc patet probationem minoris supponere falsum : videlicet ens rationis fieri per ipsammet cognitionem seu considerationem, per quam cognoscitur : vt ex Scoto probabimus q. sequenti.

4. Sed inquires, An per quemcumque actum intellectus producatur relatio rationis in obiecto terminante ipsum ? ℟. affirmatiue ; Et quantum ad operationem comparatiuam : qua scilicet vnum cognoscitur in ordine ad aliud est omnino certum apud Scotum : nam vt inquit 4.d.1. q. 2.n. 3. *Nihil habet præcise esse in considerato vt considerato, nisi comparatio, qua consideratum comparatur ad aliud per actum considerantis*; Sed comparatio (sicut quicumque alius actus) nihil ponit in comparato nisi denominationem taliter cogniti, quæ est relatio rationis cogniti ad aliud cognitum, fundatam super relationem cogniti ad cognoscentem, ergo per vtrumque actum ponitur relatio rationis in obiecto.Et Nota quod quia hæc relatio rationis cogniti ad cognitum seu comparati ad id cui comparatur est quæ reperitur in obiectis grammaticæ, rethoricæ, poeticæ,logicæ, & de qua frequenter etiam differitur in Physica,

ca, Metaphysica, Ethica & Theologia, ideo fere nulla fit mentio de relatione rationis, quæ resultat ex operatione absoluta simplici; Imo à multis Scotistis negatur, qui solum adstruunt eam quæ resultat ex actu comparatiuo. Sed ego non video potiorem rationem de vna quam de alia: sicut enim denominatio orta in obiecto, ex eo quod cognoscatur in ordine ad aliud, est ens rationis seu relatio rationis, quare etiam denominatio orta ex simplici cognitione, qua obiectum cognoscitur in se, non erit relatio rationis? Imo & fauet Scotus 1.d.36.n.10.vbi loquens de esse cognito, quod habent creaturæ ab æterno in mente diuina, dicit: *quod illud ens absolutum secundum istud esse diminutũ concomitatur relatio rationis; Sed per* talem actum non cognoscuntur creaturæ, comparando ipsas ad aliud, ergo per actum simplicem resultat in obiecto relatio rationis.

Dices, omne ens rationis est secunda intentio, sed illa denominatio orta ex operatione simplici non est secunda intentio, ergo neque ens rationis. ℞.neg.ma. est enim ibi fallacia consequentis: quia licet valeat omnis secunda intentio est ens rationis, non tamen omne ens rationis est secunda intentio: Nam vt supra dixi, quoniam omnia entia rationis, quæ reperiuntur in Logicis, resultant ex operatione comparatiua, qua vnum cognoscitur in ordine ad aliud, ideo videtur pluribus non dari ens rationis, quod non sit secunda intentio; Sed re vera datur, vt iam probauimus. Imo ex hoc non solum à voluntate, quæ (vt quæst. sequenti dicemus) potest habere actum collatiuum circa obiectum suum, sed etiam à potentiis sensitiuis visu, auditu &c, quæ talem operationem comparatiuam nequeunt exercere, fiunt talia entia rationis: nam vt insinuat Scotus. 3. Disp.1. quæst. 1. in initio: Actionibus immanentibus nulla passio realis correspondet *extra* idest ex parte obiecti; sed correspondent illis denominationes extrinsecæ *visi, auditi* &c. ergo ex Scoto istæ non sunt entia realia, sed rationis siue intentionalia, quod pertinet ad quæstionem de nomine.

QVÆSTIO II.

Quænam sit causa entis rationis?

CVm ens rationis non habeat verum esse simpliciter, sed solum secundum quid, ideo nec habet causam per se & directe, sed solum habet esse per resultantiam: vt constat ex quæst.præced. Propterea hic non quærimus de causa per se illius, sed per quam potentiam effici valeat, eo modo quo effici potest.

5. Sit prima conclusio, *Entia rationis non solum quæ sunt obiecti ad potentiam, sed etiam quæ sunt obiecti ad obiectum effici possunt à voluntate aut alia, si quæ est facultas comparatiua.* Hoc vltimum dico propter appetitum sensitiuum, imo & propter imaginatiuam, cui ab aliquibus talis virtus tribuitur. Ita habet Scotus 1. d. 45.n.4. vbi dicit: *quod omnis potentia collatiua, quæ potest habere actum circa obiectum existens vel non existens, & illud obiectum potest actu suo comparare ad aliud, ad quod tale obiectum non comparatur ex natura rei potest in obiecto, vt obiectum est, causare relationem ipsius ad aliud, quæ quidem*

relatio non est realis, quia non ex natura obiecti in se, nec tamen est stricte rationis: qui non semper illa potentia comparans est ratio tantum. Eamdem Doctrinam habet expresse & clare quodlibet. 17. num. 4. vbi concludens dicit: *Alio modo potest intelligi relatio rationis pro quacumque comparatione facta per actum partis rationalis siue per essentiam siue per participationem, & sic ista potest dici relatio rationis*, videlicet quæ fit per actum voluntatis, de quo loquitur ibi.

Hæc Scotus, ex cuius vltimis verbis sic formo rationem pro conclusione: omnis potentia collatiua est rationalis vel per essentiam vel per participationem; sed ab omni tali ex Scoto potest causari relatio rationis in obiecto suo, ergo non solum ab intellectu, sed à voluntate etiam, & forte ab appetitu sensitiuo possunt fieri entia rationis. Idem dicendum est de quacumque alia potentia immanenter operatiua etiam non collatiua, vt supra dixi: nam licet non possit causare relationem rationis, comparando obiectum suum ad aliud, resultat tamen ex actu suo simplici & absoluto relatio rationis, in obiecto terminante ipsum. Et hæc relatio rationis, quæ est denominatio extrinseca visi, auditi &c. in obiecto, vere est in anima: quia solum habet esse, dum potentiæ animæ operantur circa obiecta sua, ex quarum operationibus resultant tales relationes rationis.

6. Sed Obiicies, totum esse entis rationis est cognosci, ergo à solo intellectu, qui est potentia cognitiua, possunt fieri entia rationis. Respondeo antecedens esse verum de ente rationis secundum Etymologiam nominis: quia vt sic solum quod fit à ratione, qui est intellectus, dicetur ens rationis; sed si sumatur prout est ens in anima adæquate contra distinctum ad ens extra animam seu ens reale, non solum ab intellectu, sed ab aliis potentiis immanenter vitaliter, vt diximus, possunt fieri entia rationis.

Sed adhuc circa entia rationis facta ab intellectu potest esse dubium, vtrum non habeant aliud esse quam cognosci? Ad quod ℞. negatiue: quia in omni obiecto prius est esse quam cognosci, & prius est esse possibile quam posse cognosci seu quam esse cognoscibile, ergo ens rationis prius est cognoscibile quam cognitum. Et sic colligo ex Scoto 1. d. 35. num. 10. vbi dicit: *Quod Deus in primo instanti intelligit essentiam suam, in secundo producit lapidem in esse intelligibili & intelligit lapidem. In tertio forte intellectus diuinus potest comparare suam intellectionem ad quodcumque intelligibile, ad quod nos possumus comparare, & tunc comparando se ad lapidem intellectum potest causare in se relationem rationis. Et in quarto instanti potest quasi reflecti super istam relationem causatam in tertio instanti, & tunc illa relatio rationis cognita erit.* Ecce quod in tertio instanti fit ens rationis, & in quarto cognoscitur, ergo prius est esse eius, quam cognosci. Vide quæ diximus supra disp. 2. n. 22.

Nec satisfacit Arriaga in præsenti num. 16. negando hoc principium de prioritate in esse ad cognosci esse vniuersaliter verum: vt patet (inquit) in actu reflexiuo supra se ipsorum, in quo non est prius esse, quam cognosci: cum vtrumque sit idem realiter; Nec posse esse prius, quam posse cognosci. Hoc inquam, non valet: assumptum enim est falsum: nam reflexio supra actum non est ipsemet actus, sed necesse est esse alium actum; Nec requiritur prioritas esse ad cognosci propter causationem actus ab obiecto, sed ex ipsa natura obiecti etiam terminatiui

solum hoc exigitur: quo modo enim potest esse idem terminus & via ad terminum? Aliud ergo debet esse terminus & aliud actus terminatus ad ipsum. De hoc vide nostrum Theodor. Smising. de Deo vno tractat. 2. disp. 6. à num. 248.

7. Secunda conclusio, *Diuinus intellectus potest facere entia rationis.* Ita Scotus vbi proxime citatus & dist. 30. quæst. 2. Sed stando in sententia communi, quod Figmentum sit ens rationis, est dubium, an possit à Deo fieri? Ad quod Respondeo negatiue Et colligo ex Scoto 1. d. 43. num. 6. & 7. & sequitur ex dictis quæst. 1. Probatur ratione: Ad facienda entia rationis ficta, oportet vel distinguere quæ à parte rei non sunt distincta, vel intelligere rem aliter quam est à parte rei; sed vterque modus intelligendi est imperfectissimus, ergo neuter potest competere intellectui Diuino: Deus enim vnica intellectione, & vnico conceptu simplicissimo intelligit omnia & secundum eumdem modum, quem habent à parte rei, vt si sint vnum, cognoscit ea per modum vnius; si vero sint distincta, intelligit illa vt distincta. Deinde quia si posset intelligere Chimeram, ergo & posset facere: loquor in sententia contraria.

QVÆSTIO III.

ET VLTIMA

Quotuplex sit ens rationis?

ARriaga vbi supra sect. 5. primam diuisionem entis rationis assignat in ens rationis impossibile seu Chimericum verbi gratia equus rationanalis, homo hinnibilis &c. & in ens rationis possibile, vt cursus Petri non existens, affirmatus tamen existens. Primum diuidit in tot entia possibilia ficta, quot sunt vera, & similiter: Secundum in tot, quot sunt existentia sed non minor intellectum tot impossibilia concipientem, tam latam vniuersitatem nouorum entium fabricasse. Hoc figmentum appellant Thomistæ ens rationis sine fundamento in re; sed de eo nos non curamus. Aliud appellant ens rationis cum fundamento in re, & hoc subdiuidunt in negationem, priuationem & relationem. Relatio rationis (dicunt) fit, quando id quod est vnum, concipio; ac si essent duo, ponendo relationem inter ea. Negatio est verbi gratia carentia visus in talpa, priuatio, carentia visus in homine. Quas dicit prædictus Arriaga esse entia rationis, quando per modum formæ concipiuntur: aliàs vero sunt ante intellectum id est ante intellectum non est assignabilis visus in obiecto incapaci.

Sed contra hoc sic argumentor, si possibile est apprehendere priuationem ad modum formæ positiuæ, ergo possibile erit apprehendere cæcitatem ad modum visus, & ternebras ad modum lucis: conseq. patet, quia idem sunt carentia formæ ad formam & carentia visus ad visum; sed consequens est falsum & indignum dictu à Philosopho, ergo &c. Verum vt video forte illud admittent contrarij: qui enim duo contradictoria, quale est ens Chymericum v. g. equus rationalis, fabricant intellectu, & vt vnum intelligibile concipiunt, forte tenebras habebunt pro luce, & vt lucem claram concipient: qualiter gloriatur idem Arriaga, fundari hanc sententiam in manifesta experientia, in ratione, ac consensu etiam rusticorum, apud quos puto, quia cito credentes, tenebræ erunt lux, & equus

equus ratiocinabitur. Scotus noster qui talem modum concipiendi negationem ad modum formæ non inuenit, sic de negatione vt est in se (& idem iudica de priuatione) loquitur 1.d.23. n.5. *quando dicitur quod negatio est ens rationis, dico quod est negatiua entitas ex natura rei: Sicut enim Sortes est homo ex natura rei, ita est non asinus ex natura rei.* Hinc habes quam male admittunt nonnulli Scotistæ prædictam diuisionem entis rationis in negationem, priuationem &c.

8. Nostrum ergo ens rationis, quod est idem ac ens in anima in latissima significatione primo diuidimus in id quod resultat ex operatione absoluta, & quod ex operatione comparatiua. De priori quia non est vsuale, atque adeo nec doctrinale, non est modo curandum. Posterius vero est duplex, quia aut fit per intellectum aut per voluntatem (de facultatibus sensitiuis imaginatrice & appetitiua non curo: quia eadem est ratio de illis ac de rationalibus) si fit per voluntatem, dupliciter, quia vel per diuinam vel per humanam: voluntas enim diuina ordinat prædestinatũ ad gloriam, reprobum ad pœnam, meritum ad premium, sacramenta ad significandam efficaciter gratiam. Et illud esse volitum in quolibet est relatio rationis: vt docet Scotus 4.d. 16.q.2.n.7. Similiter voluntas humana vult hoc in ordine ad illud & varie, vnde ortum habent tot signa ad placitum siue sint voces siue aliæ res quæcumque. Item pretia, leges, contractus & innumera alia quæ ad classes reducere alterius operis est & tractationis.

Ens autem rationis quod fit per actum comparatiuum intellectus est duplex, prout deseruit Philosophis quia vel comparat naturã superiorẽ ad inferiora, vel comparat vtcumque & indifferenter hoc vt subiectum, ad illud vt prædicatum, hanc propositionem vt maiorem, ad illam vt minorem &c. De hac comparatione dixi satis in Logica. De priori vero per quam constituitur vniuersale Logicum supra disp.3.q.4.

Et Hæc sufficiant de ente rationis ac de toto Philosophico cursu, vtinam labor hic cedat in laudem & gloriam omnipotent. Dei optimi Maximi ac Beatissimæ Deiparæ Mariæ, eiusque immaculatæ Conceptionis sine peccato originali ac Sanctorum Seraph. P. Francisci & Doctoris Maximi Hieronymi. Amen.

FINIS.

INDEX ET ORDO CVRSVS PHILOSOPHICI, DISPVTATIONVM, Quæstionum, & Dubiorum.

TRACT. I. IN LOGICAM ARISTOTELIS.

Prior Pars Logicæ quæ est Vtens

CAPVT VI.

De Demonstratione ad lib. Posterior.

CAPVT VII.

De His quæ tradit Aristot. in Libris Topicorum.

CAPVT VIII.

De His quæ tradit Aristot. in Libris Elenchorum.

Posterior Pars Logicæ quæ est Docens.

DISPVTATIO I.

De terminis seu Elementis primis Syllogismi.

DISPVTATIO II.

Ad libros Perihermenias Aristotelis.

DISPVTATIO III.

Ad Libros Priorum Aristotelis.

DISPVTATIO IV.

In Libros Posteriorum Aristotelis.

DISPVTATIO V.

De natura & proprietatibus Logicæ?

TRA

INDEX.

TRACTATVS II.

In naturalem Philoſophiam Ariſtotelis.

DISPVTATIO I.

In primum librum Phyſicor. Ariſtot.

DISPVTATIO II

In Secundum librum Phyſicorum Ariſtotelis?

DISPVTATIO. III.

In tertium librum Physicor. Aristot.

DISPVTATIO. IV.

In quartum librum Physicor. Aristot.

DISPVTATIO V.

Iu quintum librum Physicor. Aristot.

DISPVTATIO VI.

In Sextum librum Physicor. Aristot.

DISPVTATIO VII.

In octauum librum Physicor. Aristot.

IN DVOS LIBROS ARISTOTELIS. De Generatione & Corruptione.

DISPVTATIO. I.

De Gencatione Subst antiali.

DISPVTATIO. II.

De Corruptione substantiali.

DISPVTATIO III.

De Alteratione.

DISPVTATIO. IV.

De Nutritione & Augmentatione.

DSPVTATIO. V.

De Aliquibus conditionibus ad actionem physicam requisitis.

DISPVTATIO. VI.

De elementorum natura & mixtione.

IN TRES LIBROS ARIST OT.

De Anima.

DISPVTATIO. I.

De natura Animæ & eius speciebus in communi.

DISPVTATIO II.

De potentiis animæ sensitiuæ.

DISPVTATIO III.

De sensibus externis & internis in particulari.

DISPVTATIO IV.

De Anima intellectiua?

DISPVTATIO V.

De intellectu & eius actibus?

TRACTATVS III.

In Meta physicam Aristotelis.

eius

TRACTAT.